

SAMMLUNG WISSENSCHAFTLICHER COMMENTARE

A. PERSIVS FLACCVS

SATVRAE

COMMENTARIO

ATQVE INDICE RERVM NOTABILIVM INSTRVXIT

HELGVS NIKITINSKI



K · G · SAUR MÜNCHEN · LEIPZIG

A. PERSIVS FLACCVS
SATVRAE

COMMENTARIO

ATQVE INDICE RERVM NOTABILIVM INSTRVXIT

HELGVS NIKITINSKI

ACCEDVNT VARIA DE PERSIO IVDICIA SAEC. XIV - XX



K · G · SAUR MÜNCHEN · LEIPZIG 2002

Die Deutsche Bibliothek – CIP-Einheitsaufnahme

Persius Flaccus, A.:

Saturae : accedunt varia de Persio iudicia saec. XIV - XX / A. Persius Flaccus.
Commentario atque indice rerum notabilium instruxit Helgus (Oleg) Nikitinski. -

München ; Leipzig : Saur, 2002

(Sammlung wissenschaftlicher Commentare)

ISBN 3-598-74293-2

© 2002 by K. G. Saur Verlag GmbH, München und Leipzig

Printed in Germany

Alle Rechte vorbehalten. All Rights Strictly Reserved.

Jede Art der Vervielfältigung ohne Erlaubnis des Verlages ist unzulässig.

Gesamtherstellung: Strauss Offsetdruck GmbH, Mörlenbach

PRAEFATIO

Legentes, ne quid praeter operis propositum expectent, sciant velim commentarium meum in vocabulis loquendique formulis curatius definiendis – haec enim certior interpretandi via visa est, cum cetera in opinione posita sint – plerumque versari. studiorum praetera otiosis nec non litterarum studiosis consulere volui, si Persium forte neque magna adeo temporis iactura animi causa legere vellent, quod an apte perfecerim, ipsi iudicent; eos vero non audio qui cum linguae latinae auctorem litteratissimum legere velint, eiusdem linguae aspectu in commentario terreantur.

atque certe non in eam partem disputo, ut omnes in veteres auctores commentarios latine conscriptos esse velim. alia enim latinae interpretationi alia vernaculis magis patent; eiusdem ut sit erroris credere omnia ab his explanari posse quam illam tamquam panchrestum medicamentum venditare. quod autem linguae latinae termini q. d. technici huius temporis desunt, non hercle vitio vertendum nedum eo superandum censebam ut arcessiti inducerentur qui linguam corrumperent, sed tamquam alteram interpretandi viam ultro amplexandam et colendam.

facile est hodie post tanta doctrinae monumenta in auctoribus enarrandis ingeniosum atque eruditum esse, latine vero scire et inde iudicium exercere non item. iudicii autem magna pars videbatur a praesumptis de Persio opinionibus abstinere. nolui enim auctorem explicando summovere. ne omnia quidem explicare velle meum esse duxi, sed lectorem manu quasi ad auctorem propius ducere, deinde vero solum relinquere, uti vir virum paulo seductior audiret. in dubiis itaque locis enodandis ne nimis philosopharer, cum constaret Persium multa quidem praeter inter-

pretum opiniones cogitare potuisse eundem tamen nihil quod latinitati repugnaret scripsisse, illud in officio esse putavi ut eam duces sequeretur; quod si raro admodum assecutus sum, lectores rogo levitati meae condonent, homines enim sumus quandoque et dormitamus. ceterum latinitate quomodo quis nisi multum legendo scribendoque se imbuere queat, equidem non video.

Persi interpretes in commentario nominatim sescenties laudare nolui, attentus tamen lector me alienis mea ubique admiscere videbit. cum in magno Persi editionum atque commentariorum numero nullus adhuc, quod mireris, rerum notabilium satis amplius exstaret index, ea quoque ex parte legentium commode consulere volui.

in textu constituendo plurimum me Vendellio Clausen et Valthero Kißel debere simpliciter confiteor, neque maiorem operam κείσσει dare pretium fuit, cum nescius non essem Valtherum Kißel in maiore editione critica adornanda versari; itaque in app. critico nihil aliud praestiti nisi praecipuas quasdam lectiones. ceterum moneo alterius codicis Pithoeani manus (P²) lectiones, quae quidem haud maioris auctoritatis sunt atque ceterorum codd. saec. XI, me eo tantum consilio in app. crit. exhibuisse ut lectionum varietatem breviter et commode monstrarem. quod ad verba poetae attinebat, cum viderentur quaedam apud editores intercisa divulsa aut pendula manere, eadem aliter distinxī, nam haec talia quoque commentarii vice funguntur. dolendum est me mox ut audio proditura scholiorum in Persium editione (edd. W.V. Clausen, J.E.C. Zetzel) uti nondum potuisse.

restat, ut consilium meum in variis de Persio iudiciis eligendis edendisque exponam. initium quidem a saec. potissimum XIV duxi, cum priora virorum doctorum cura tolerabiliter iam utcumque essent tractata¹. testimonia adducuntur latine, anglice, francogallice, hispanice, italice,

¹ cf. Klaus Fetkenheuer, *Die Rezeption der Persius-Satiren in der lateinischen Literatur. Untersuchungen zu ihrer Wirkungsgeschichte von Lucan bis Boccaccio* (Lateinische Sprache und Literatur des Mittelalters. Hrsg. von Peter Stotz, Bd. 31). Bern (Peter Lang) 2001. vide praeterea: *A. Persii Flacci Saturarum liber recensuit adnotatione critica instruxit testimonia usque ad saeculum XV addidit Santi Consoli*, Romae ³1913, ubi tamen multa desunt.

theodisce scripta¹. auctores quorum natales in eundem annum cadunt litterarum ordine recensentur, ceteri quoad fieri potuit ad temporis rationem. ne libri moles improba cresceret, primum recentissimae doctrinae opera, quorum usus facile cuicumque patet, nulla admisi. eruditorum inde a saec. XVIII de Persio dissertationes, ut quae reconditoris tantum de litteris latinis doctrinae incrementis inservirent, omnes fere exclusi. quaedam tamen vel propter iudicii acumen vel memorabilis alicuius dicti causa vel denique quae abditiora essent servavi. editores atque interpretes lectissimi tantum adducuntur². in ceteris testimoniis colligendis, cum subsidiis primum consultus abstinuissem, auctoribus ipsis perlegendis nullo plerumque titulorum discrimine habito (nescias enim interdum quid quisque liber secum ferat) operam dedi: inde labor paene infinitus et aerumnosae plenus aleae, neque dubito quin quidam me fugerint; utinam praecipui saltem adsint. iudicia de Horatio atque Iuvenale (parcius largiusve pro rerum pondere) adduxi, quo libratior de Persio sententia evaderet. spero me eis quoque studiosis utilem fore qui in saturae Romanorum fata inquirunt.

iam denique iucundum gratiarum agendarum munus in eo. virorum clarissimorum Michaelis de Albrecht Heidelbergensis Hugonis Beikircher et Vinfridi Bühler Monacensium Vendellii Clausen Harvardiensis Iosephi Delz Basileensis Nicolai Horsfall Oxoniensis Valahfridi Stroh atque Ioannis Wieland Monacensium consiliis atque adnotationibus me plurimum profecisse grato animo agnosco. Demetrius Torshilov Mosquensis maxime me in opere hoc typis exornando iuivit. Alexius Scatebranus (Solopov) Rutenus plagulas oculis perlustravit antequam typographo commissae sunt. Valtherus Kißel Erlangensis codices Persi phototypice expressos

¹ Russorum testimonia latine reddidi (Demetrii Chvostov et Basilii Modestov locos industriae Alexii Liubzhin Mosquensis debeo). Scandinavos consultus praeterii, quos qui quaerat, adeat opus eruditissimum q. i.: Lennart Pagrot, *Den klassiska verssatiren teori. Debatten kring genren från Horatius t.o.m. 1700-talet*. Stockholm – Göteborg – Uppsala 1961.

² nolui enim idem praestare quod G. F. Hering, *Persius. Geschichte seines Nachlebens und seiner Übersetzungen in der deutschen Literatur*. Berlin 1935; cf. U. W. Scholz, *Zur Persius-Kommentierung um 1500: Scholia und Kommentare*, in: *Wissensorganisierende und wissenschaftliche Literatur im Mittelalter. ...* Wiesbaden 1987, p. 143-156.

humaniter mihi suppeditavit. at tamen ne omnia omnino aliis debere videar, mala certe omnia mihi vindico. Societas Humboldtiana olim et nuper Friderici Thyssen opus fundatum pecunia liberaliter prolata studia mea egregie adiuverunt.

PERSI EDITIONES ATQUE COMMENTARII PRAECIPUI

A. Persii Satyrarum liber I, D. I. Iuvenalis sat. lib. V, Sulpiciae satyra I cum veteribus commentariis nunc primum editis ex bibliotheca P. Pithoei, Lutetiae 1585.

Auli Persii Flacci Satyrarum liber, cum ejus vita, vetere scholiaste, et Isaaci Casauboni notis, qui eum recensuit et commentario libro illustravit, una cum ejusdem Persiana Horatii imitatione. Editio novissima, auctior et emendatior ex ipsius auctoris codice: cura et opera Merici Casauboni ... Londini 1647 [¹1605].

Auli Persii Flacci Satirarum liber. Cum scholiis antiquis edidit Otto Iahn. Lipsiae 1843.

Des Aulus Persius Flaccus Satiren berichtet und erklart von C. F. Heinrich. Leipzig 1859.

A. Persii Flacci D. Iunii Iuvenalis Sulpiciae Saturae. recognovit Otto Iahn. Berolini 1868. ²1886 curavit Franciscus Buecheler, ³1893. ⁴1910 curavit Fridericus Leo.

The Satires of A. Persius Flaccus. With a translation and commentary by John Conington ... Edited by H. Nettleship ... Oxford ³1893.

A. Persii Flacci Satirae. Edidit, adnotationibus exegeticis et indice verborum instruxit Geyza Némethy ... Budapestini 1903.

Auli Persi Flacci Saturae. Edidit atque prolegomenis, interpretatione Belgica, commentario instruxit Iacobus van Wageningen. Groningae 1911.

PRAEFATIO

- A. Persi Flacci Saturae. Les Satires de Perse. Texte latin publié avec un commentaire critique et explicatif et une introduction par François Villeneuve ... Paris 1918.
- A. Persi Flacci Saturarum liber. Accedit vita. Edidit W. V. Clausen. Oxford 1956.
- Auli Persi Flacci Saturae. Testo critico e commento a cura di Nino Sciavoletto. Firenze 1956, ²1961.
- A. Persi Flacci et D. Iuni Iuvenalis Saturae. Edidit brevis adnotatione critica denuo instruxit W. V. Clausen. Oxonii 1959, ²1992.
- A. Persi Flacci Saturarum liber. Praeedit vita. Edidit, praefatus est, adparatu critico, interpretatione et verborum indice instruxit Dominicus Bo. Aug. Taurinorum 1969.
- A commentary on Persius by R. A. Harvey (Mnemosyne Suppl. 64). Leiden 1981.
- The Satires of Persius. The Latin text with a verse translation by Guy Lee. Introduction and commentary by William Barr. Liverpool 1987.
- Aules Persius Flaccus. Satiren. Herausgegeben, übersetzt und kommentiert von Walter Kißel. Heidelberg 1990.

LIBRI SAEPIUS ADHIBITI

- ALLG: *Archiv für lateinische Lexikographie und Grammatik*, ed. E. Wölfflin. Leipzig, 1884-1909.
- André, *L'alimentation*: J. André, *L'alimentation et la cuisine à Rome*. Paris ²1981.
- J. André, *Étude: Étude sur les termes de couleur dans la langue latine*. Paris 1949.
- Axelsson, *Unpoetische Wörter*: B. Axelsson, *Unpoetische Wörter*. Lund 1945.

Blümner, *Technologie*: H. Blümner, *Technologie und Terminologie der Gewerbe und Künste bei Griechen und Römern*. Leipzig vol. 1 ²1912; voll. 2-4, 1875-1887.

CIL: *Corpus inscriptionum Latinarum*. Berolini 1863-

Häußler, *Nachträge: Nachträge zu A. Otto Sprichwörter und sprichwörtliche Redensarten der Römer*. Darmstadt 1968.

Hofmann, *Lateinische Umgangssprache*: J. B. Hofmann, *Lateinische Umgangssprache*. Heidelberg ³1951 [melius tamen consulueris: J. B. Hofmann, *La lingua d'uso latina*. Introduzione, traduzione italiana e note a cura di Licinia Ricottilli. Bologna ²1985]

Kühner – Holzweissig: R. Kühner, F. Holzweissig, *Ausführliche Grammatik der lateinischen Sprache. Teil 1: Elementar-, Formen- und Wortlehre*. Hannover ²1912.

KS: R. Kühner, C. Stegmann, *Ausführliche Grammatik der lateinischen Sprache*. Hannover ²1914, 2 voll.

LHS: Leumann-Hofmann-Szantyr, *Lateinische Grammatik*, Bd. 2: J. B. Hofmann, A. Szantyr, *Lateinische Syntax und Stilistik*. München 1965.

Menge: *Repetitorium der lateinischen Syntax und Stilistik ...* von Hermann Menge. Wolfenbüttel ¹⁰1914.

Neue – Wagener: F. Neue, C. Wagener, *Formenlehre der lateinischen Sprache*. vol. 1 Leipzig ³1902; vol. 2 Berlin ³1892; vol. 3 Berlin ³1897; vol. 4 Leipzig ³1905.

OLD: *Oxford Latin Dictionary*. Edited by P. G. W. Glare. Oxford 1968-1982.

Otto, *Sprichwörter*: A. Otto, *Die Sprichwörter und sprichwörtlichen Redensarten der Römer*. Leipzig 1890.

RE: *Real-Encyclopädie der classischen Altertumswissenschaft*. Stuttgart 1894-1978.

SVF: *Stoicorum veterum fragmenta* collegit Ioannes ab Arnim. voll. 1-3 Lipsiae 1903-1905; vol. 4 (*quo indices continentur* conscripsit Maximilianus Adler) 1924.

ThL: *Thesaurus linguae Latinae*. Lipsiae 1900-

Wills, *Repetition*: Jeffrey Wills, *Repetition in Latin Poetry. Figures of Allusion*. Oxford 1996.

VITA PERSI

*de commentario Probi Valeri deprompta*¹

1. Aules Persius Flaccus natus est pridie Non. Dec. Fabio Persico L. Vitellio coss., decessit VIII Kal. Dec. P. Mario Afinio Gallo coss.
2. natus in Etruria Volaterris, eques Romanus, sanguine et affinitate primi ordinis viris coniunctus, decessit ad VIII miliarium via Appia in praediis suis.
3. pater eum Flaccus pupillum reliquit moriens annorum fere VI. Fulvia Sisennia nupsit postea Fusio equiti Romano et eum quoque extulit intra paucos annos.
4. studuit Flaccus usque ad annum XII aetatis suae Volaterris, inde Romae apud grammaticum Remmum Palaemonem et apud rhetorem Verginium Flavum. cum esset annorum XVI, amicitia coepit uti Annaei Cornuti, ita ut nusquam ab eo discederet; inductus aliquatenus in philosophiam est.
5. amicos habuit a prima adolescentia Caesium Bassum poetam et Calpurnium Staturam, qui vivo eo iuvenis decessit. coluit ut patrem Servilium Nonianum. cognovit per Cornutum etiam Annaeum Lucanum, aequae tum auditorem Cornuti. nam Cornutus illo tempore tragicus fuit sectae poeticae, qui libros philosophiae reliquit. sed Lucanus mirabatur adeo scripta Flacci, ut vix se retineret recitantem a clamore: quae illius essent vera esse poemata, se ludos facere. sero cognovit et Senecam, sed non ut caperetur eius ingenio. usus est apud Cornutum duorum convictu doctissimorum et sanctissimorum virorum acriter tunc philosophantium, Claudii Agathini medici Lacedaemonii et Petroni Aristocratis Magnetis, quos unice miratus est et aemulatus, cum aequales essent Cornuti, minor ipse. idem decem fere annis summe dilectus a Paeto Thrasea est, ita ut peregrinaretur quoque cum eo aliquando, cognatam eius Arriam uxorem habente.
6. fuit morum lenissimorum, verecundiae virginalis, famae pulchrae, pietatis erga matrem et sororem et amitam exemplo sufficientis. fuit frugi, pudicus.

¹ Vitam Persi ad fidem ed. Clausen a. 1992 dedi, tantum quod numeros capitibus assignavi.

7. reliquit circa HS vices matri et sorori. scriptis tantum ad matrem codicillis Cornuto rogavit ut daret HS XX, aut ut quidam, C; ut alii volunt, et argenti facti pondo viginti et libros circa septingentos Chrysippi sive bibliothecam suam omnem. verum Cornutus sublatis libris pecuniam sororibus, quas heredes frater fecerat, reliquit.

8. scriptitavit et raro et tarde; hunc ipsum librum imperfectum reliquit. versus aliqui dempti sunt ultimo libro, ut quasi finitus esset. leviter contraxit Cornutus et Caesio Basso, petenti ut ipse ederet, tradidit edendum. scripserat in pueritia Flaccus etiam praetextam †vesciot† et †opericon† librum unum et paucos [sororum Thraseae] in Arriam matrem versus, quae se ante virum occiderat. omnia ea auctor fuit Cornutus matri eius ut aboleret. editum librum continuo mirari homines et diripere coeperunt.

9. decessit autem vitio stomachi anno aetatis XXX.

10. sed mox ut a schola magistrisque devertit, lecto Lucili libro decimo vehementer saturas componere instituit. cuius libri principium imitatus est, sibi primo, mox omnibus detrectaturus cum tanta recentium poetarum et oratorum insectatione, ut etiam Neronem illius temporis principem inculpaverit. cuius versus in Neronem cum ita se haberet: *auriculas asini Mida rex habet*, in eum modum a Cornuto, ipse tantummodo, est emendatus: *auriculas asini quis non habet?* ne hoc in se Nero dictum arbitraretur.

A. PERSI FLACCI
SATURARUM LIBER

SIGLA

<i>A</i>	Montepessulanus bibl. med. 212 (saec. X)
<i>B</i>	Vaticanus tabularii basilicae H 36 (saec. IX ex.)
<i>α</i>	consensus codicum <i>AB</i>
<i>P</i>	Montepessulanus bibl. med. 125 (saec. IX)
<i>Bob.</i>	Fragmentum Bobiense, hodie Vaticanus lat. 5750, saturae primae vv. 53-104 continens (saec. VI)
<i>ς</i>	codices non nominatim allati ac fere recentiores
<i>Σ (LMU)</i>	scholia, quae in <i>L</i> et <i>M</i> et <i>U</i> servata sunt
<i>L</i>	Leidensis bibl. publ. 78 (saec. X)
<i>M</i>	Monacensis 23577 (saec. XI)
<i>U</i>	Monacensis 14482 (saec. XI ex. vel XII in.)
<i>Σ</i>	consensus scholiorum

PROLOGUS

Nec fonte labra prolui caballino,
nec in bicipiti somniasse Parnaso
memini ut repente sic poeta prodirem;
Heliconiadasque pallidamque Pirenen
5 illis remitto, quorum imagines lambunt
hederae sequaces: ipse semipaganus
ad sacra vatium carmen adfero nostrum.
 quis expedivit psittaco suum 'chaere'
picasque docuit nostra verba conari?
10 magister artis ingenique largitor
venter, negatas artifex sequi voces.
quod si dolosi spes refulserit nummi,
corvos poetas et poetridas picas
cantare credas Pegaseium nectar.

1 fonte P²: fronte α 3 memini ut *Paris. 6487, Monac. 19477^A et 19490, schol. Stat. Theb. 1, 62: contra metrum* memini me ut αXP². *vide ad 5, 41* 4 eliconiadasque P²: aeliconiadas α pyrenen P²: sirenen α 5 lambunt P²Σ: ambiunt α 9 picasque P²: picamque α nostra uerba α: uerba nostra P² conari αP²: 'conari: et blandiri legitur' Σ 12 refulserit P²: refulgeat α: 'refulserit: et refulgeat' Σ
14 pegaseium Σ(M): pegaseum αΣ(LU): per pegaseum P² nectar α: melos P²: 'nectar: in aliis melos' Σ

SATURA I

O curas hominum, o quantum est in rebus inane!
 'quis leget haec?' min tu istud ais? nemo hercule. 'nemo?'
 vel duo vel nemo. 'turpe et miserabile!' quare?
 ne mihi Polydamas et Troiades Labeonem
 5 praetulerint? nugae. non, si quid turbida Roma
 elevelt, accedas examenque improbum in illa
 castiges trutina nec te quaesiveris extra.
 nam Romae quis non ...? ah, si fas dicere! – sed fas:
 tunc – cum ad canitiem et nostrum istud vivere triste
 10 aspexi ac nucibus facimus quaecumque relictis,
 cum sapimus patruos, – tunc tunc – ignoscite, nolo
 (quid faciam?), sed sum petulanti splene – cachinno.
 scribimus inclusi, numeros ille, hic pede liber,
 grande aliquid, quod pulmo animae praelargus anhelet.
 15 scilicet haec populo pexusque togaque recenti
 et natalicia tandem cum sardonyche albus
 sede leges celsa, liquido cum plasmate guttur
 mobile collueris, patranti fractus oculo.
 hic neque more probo videas nec voce serena
 20 ingentis trepidare Titos, cum carmina lumbum
 intrans et tremulo scalpuntur ubi intima versu.
 tun, vetule, auriculis alienis colligis escas,
 auriculis quibus et dicas cute perditus 'ohe'?'
 'quo didicisse, nisi hoc fermentum et quae semel intus
 25 innata est rupto iecore exierit caprificus?'

5 praetulerint *P*: praetulerunt α 6 que α : ue *P*. cf. 4, 5 7 quaesiueris *P*: que-
 siuerit α 8 romae *Leid. Voss. 13, Bern. 398, Monac. 19489*: romaest α : romae
 est *P* ah *Monac. 330*: ac αP 9 tunc *P\S*: tum α . cf. 4, 37 14 quod *P\S*: quo α
 17 leges $\Sigma(LU)$: legens αP , *Porph. Hor. sat. 2, 2, 21* 19 hic $\alpha\Sigma$: tunc *P* 22 tun
P\S: tune *Prisc. GLK 2, 107, 19*: tunc α 23 auriculis *codd.*: articulis *Madvig*.
 24 quo *P\S(M)*: quod $\alpha\Sigma(LU)$

en pallor seniumque! o mores! usque adeone
 scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?
 'at pulchrum est digito monstrari et dicier "hic est";
 ten cirratorum centum dictata fuisse
 30 pro nihilo pendes?' ecce inter pocula quaerunt
 Romulidae saturi, quid dia poemata narrent:
 hic aliquis, cui circum umeros hyacinthina laena est,
 rancidulum quiddam balba de nare locutus,
 Phyllidas Hypsipylas vatium et plorabile siquid
 35 eliquat ac tenero subplantat verba palato.
 adsensere viri: nunc non cinis ille poetae
 felix? non levior cippus nunc inprimit ossa?
 laudant convivae: nunc non e manibus illis,
 nunc non e tumulo fortunataque favilla
 40 nascentur violae? 'rides' ait 'et nimis uncis
 naribus indulges. an erit, qui velle recuset
 os populi meruisse et cedro digna locutus
 linquere nec scombros metuentia carmina nec tus?'
 quisquis es, o modo quem ex adverso dicere feci,
 45 non ego cum scribo, si forte quid aptius exit –
 quando hoc? rara avis est –, si quid tamen aptius exit,
 laudari metuam, neque enim mihi cornea fibra est.
 sed recti finemque extremumque esse recuso
 'euge' tuum et 'belle'. nam 'belle' hoc excute totum:
 50 quid non intus habet? non hic est Ilias Atti
 ebria veratro? non siqua elegidia crudi
 dictarunt proceres? non quidquid denique lectis
 scribitur in citreis? calidum scis ponere sumen,

30 pendes *P*: pendas α 32 saturi ζ : satuli α : satyri *P* quid...narrent *P*:
 quis...narret α 32 circum *PΣ(LU)*: circa $\alpha\Sigma(M)$, *Hier. epist.* 54, 5 34 uatum α ,
Prisc. GLK 1, 398, 4, *Eutych. GLK* 5, 480, 31: uanum *P* siquid α : siquis *P* 44 fe-
 ci *PΣ*: fas est α 46 47 hoc ordine *PΣ*: 47 46 α 46 hoc *PΣ(MU)*: haec $\alpha\Sigma(L)$
 53 citreis *P*: cereis α

scis comitem horridulum trita donare lacerna
 55 et 'verum' inquis 'amo, verum mihi dicite de me.'
 qui pote? vis dicam? nugaris, cum tibi, calve,
 pinguis aqualiculus propenso sesquipede exstet.
 o Iane, a tergo quem nulla ciconia pinsit
 nec manus auriculas imitari mobilis albas
 60 nec linguae, quantum sitiatur canis Apula, tentae!
 vos, o patricius sanguis, quos vivere fas est
 occipiti caeco, posticae occurrere sannae.
 quis populi sermo est? quis enim nisi carmina molli
 nunc demum numero fluere, ut per leve severos
 65 effundat iunctura unguis? 'scit tendere versum
 non secus ac si oculo rubricam derigat uno.
 sive opus in mores, in luxum, in prandia regum
 dicere, res grandes nostro dat Musa poetae.'
 ecce modo heroas sensus adferre docemus
 70 nugari solitos Graece nec ponere lucum
 artifices nec rus saturum laudare, ubi corbes
 et focus et porci et fumosa Palilia faeno,
 'unde Remus sulcoque terens dentalia, Quinti,
 cum trepida ante boves dictatorem induit uxor
 75 et tua aratra domum lictor tulit.' euge poeta!
 est nunc Brisaei quem venosus liber Acci,
 sunt quos Pacuviusque et verrucosa moretur
 Antiopa, 'aerumnis cor luctificabile fula'.

57 propenso α (B *dub.*) P *Bob.*: protenso B² *dub.*: protento *Prisc.* GLK 2, 251, 21 58 pinsit P, *Serv. Aen.* 1, 179: pin**sit A: pinsit B: pinxit Σ (L): 'apud Persium ambiguum a tergo ciconia pisat an pisit legendum sit' *Diomed.* GLK 1, 373, 2 sq. 59 imitari P *Bob.* Σ : imitata est α 60 tentae *Barth.* sed cf. 'quantum ... / rura silent ... / tanta quies' *Lucan.* 1, 259-261: tante α P *Bob.* 61 fas α *Bob.* Σ (M): ius P Σ (LU) 63 populi α P: populis *Bob.* 69 docemus P *Bob.* Σ (M): uidemus α Σ (LU) 73 unde *codd.*: inde *Kijfel* 74 cum P Σ : quem α *Bob.* fortasse subest quom. cf. *Iuv.* 3, 37 dictatorem α P *Bob.*: dictaturam Σ

hos pueris monitus patres infundere lippos
 80 cum videas, quaerisne unde haec sartago loquendi
 venerit in linguas? unde istuc dedecus, in quo
 trossulus exsultat tibi per subsellia levis?
 nilne pudet capiti non posse pericula cano
 pellere, quin tepidum hoc optes audire 'decenter'?
 85 'fur es' ait Pedio. Pedius quid? crimina rasis
 librat in antithetis, doctas posuisse figuras
 laudatur: 'bellum hoc!' hoc bellum? an, Romule, ceves?
 men moveat? quippe et, cantet si naufragus, assem
 protulerim? cantas, cum fracta te in trabe pictum
 90 ex umero portes? verum nec nocte paratum
 plorabit qui me volet incurvasse querella!
 'sed numeris decor est et iunctura addita crudis:
 cludere sic versum didicit: "Berecyntius Attis"
 et "qui caeruleum dirimebat Nerea delphin",
 95 sic "costam longo subduximus Appennino".
 "arma virum" – nonne hoc spumoso et cortice pingui,
 ut ramale vetus uegrandi subere coctum?'
 quidnam igitur tenerum et laxa cervice legendum?
 'torva Mimalloneis inplerunt cornua bombis
 100 et raptum vitulo caput ablatura superbo
 Bassaris et lyncem Maenas flexura corymbis
 euhion ingeminat, reparabilis adsonat echo.'
 haec fierent, si testiculi vena ulla paterni
 viveret in nobis? summa delumbe saliva

81 istuc α Bob.: istuc P: istud Σ 85 quid α P: qui Bob. 86 doctas *codd.*: doctus
Scaliger 87 laudatur Σ : laudatus Bob.: laudatu P: laudatis α hoc hoc bellum
 P Bob.: hoc bellum $\alpha\Sigma(LU)$: hoc bellum est $\Sigma(M)$. cf. 2, 19 88 post et *distinguendum*, cf. *Prop.* 4, 5, 11 91 plorabit α Bob.: plorauit P. cf. 2, 5; 3, 93; 5, 90, 97
 93 cludere α : cludere P Bob. Σ sic P Bob.: si α didicit Bob. Σ : dedit α :
 didici P 96 et cortice P Bob.: e uertice α 97 uegrandi *Porph. Hor. sat.* 1, 2,
 129, *Serv. Aen.* 11, 553: praegrandi *codd.* Σ

105 hoc natat in labris, et in udo est Maenas et Attis,
 nec pluteum caedit, nec demorsos sapit unguis.
 'sed quid opus teneras mordaci radere vero
 auriculas? vide sis, ne maiorum tibi forte
 limina frigescant: sonat hic de nare canina
 110 littera.' per me equidem sint omnia protinus alba:
 nil moror. euge omnes, omnes bene, mirae eritis res.
 hoc iuvat? 'hic' inquis 'veto quisquam faxit oletum.'
 pinge duos anguis, 'pueri, sacer est locus, extra
 meiite': discedo. secuit Lucilius urbem,
 115 te Lupe, te Muci, et genuinum fregit in illis;
 omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
 tangit et admissus circum praecordia ludit,
 callidus excusso populum suspendere naso:
 me muttire nefas? nec clam? nec cum scrobe? nusquam?
 120 hic tamen infodiam: vidi, vidi ipse, libelle:
 auriculas asini – quis non habet? hoc ego opertum,
 hoc ridere meum, tam nil, nulla tibi vendo
 Iliade. audaci quicumque adflata Cratino
 iratum Eupolidem praegrandi cum sene palles,
 125 aspice et haec, si forte aliquid decoctius audis.
 inde vaporata lector mihi ferueat aure,
 non hic qui in crepidas Graiorum ludere gestit
 sordidus et lusco qui possit dicere 'lusce',
 sese aliquem credens, Italo quod honore supinus
 130 fregerit heminas Arreti aedilis iniquas,
 nec qui abaco numeros et secto in pulvere metas
 scit risisse vafer, multum gaudere paratus,

107 uero α : uerbo P 111 omnes omnes *Leid. bibl publ. 78, Monac. 14498 et ut vid. Monac. 330*: omnes αP . cf. 87 112 hic αP : hinc $\Sigma(LU)$ 119 me α : me* P: men Σ
 121 quis non *codd.*: *Persium scripsisse Mida rex Σ et vita testantur* 124 palles
codd.: *calles Powell* 128 et P: es α possit $P\Sigma(LU)$: possis α 129 sese $\alpha\Sigma$:
 seque P

si cynico barbam petulans nonaria vellat.
his mane edictum, post prandia Callirhoen do.

SATURA II

Hunc, Macrine, diem numera meliore lapillo,
qui tibi labentis apponit candidus annos.
funde merum genio. non tu prece poscis emaci,
quae nisi seductis nequeas committere divis.
5 at bona pars procerum tacita libabit acerra:
haut cuivis promptum est murmurque humilisque susurros
tollere de templis et aperto vivere voto.
'mens bona, fama, fides' haec clare et ut audiat hospes;
illa sibi introrsum et sub lingua murmurat 'o si
10 ebulliat patruus, praeclarum funus!' et 'o si
sub rastro crepet argenti mihi seria dextro
Hercule! pupillumve utinam, quem proximus heres
inpello, expungam, nam et est scabiosus et acri
bile tumet; Nerio iam tertia conditur uxor.'
15 haec sancte ut poscat, Tiberino in gurgite mergit
mane caput bis terque et noctem flumine purgat.
heus age, responde (minimum est quod scire laboro):
de Iove quid sentis? est, ut praeponere cures
hunc ... 'cuinam?' cuinam? vis Staio? an, scilicet, haeres?
20 quis potior iudex, puerisve quis aptior orbis?
hoc igitur, quo tu Iovis aurem impellere temptas,

2 apponit $\alpha\Sigma$: apponet P 5 libabit α : libauit P . cf. 1, 91 10 ebulliat patruus
 Σ , *Serv. Aen.* 6, 187: ebullit patruis α : ebulliat (-a- *leviter eras.*) patrus (-s *eras. ut vid.*)
 P 11 crepet P : crepat α 13 expungam Σ : expuncam* P : expungas B , *Porph.*
Hor. sat. 2, 6, 12: expungas A nam et est α : nam est $P\Sigma$ 14 ducitur *Mon.*
14498, Bern. 648, *Serv. geo.* 4, 256: conditur αP poscat α : poscas P mergit α :
mergis P 16 purgat α , *Serv. Aen.* 8, 69: purgas P 18 est α : estne $P\Sigma$ cui-
nam cuinam $\Sigma(LU)$: cuinam $\alpha P\Sigma(M)$. cf. 1, 87

dic agedum Staio: 'pro Iuppiter, o bone' clamet
 'Iuppiter'; at sese non clamet Iuppiter ipse?
 ignovisse putas, quia, cum tonat, ocus illex
 25 sulphure discutitur sacro quam tuque domusque?
 an quia non fibris ovium Ergennaque iubente
 triste iaces lucis evitandumque bidental,
 idcirco stolidam praebet tibi vellere barbam
 Iuppiter? aut quidnam est qua tu mercede deorum
 30 emeris auriculas? pulmone et lactibus unctis?
 ecce avia aut metuens divum matertera cunis
 exemit puerum, frontemque atque uda labella
 infami digito et lustralibus ante salivis
 expiat, urentis oculos inhibere perita;
 35 tunc manibus quatit et spem macram supplice voto
 nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in aedis:
 'hunc optet generum rex et regina, puellae
 hunc rapiant; quidquid calcaverit hic, rosa fiat.'
 ast ego nutrici non mando vota. negato,
 40 Iuppiter, haec illi, quamvis te albata rogabit.
 poscis opem nervis corpusque fidele senectae.
 esto, age. sed grandes patinae tucsetaque crassa
 annuere his superos vetuere Iovemque morantur.
 rem struere exoptas caeso bove Mercuriumque
 45 arcessis fibra: 'da fortunare penatis,
 da pecus et gregibus fetum.' quo, pessime, pacto,
 tot tibi cum in flammis iunicum omenta liquescant?
 et tamen hic extis et opimo vincere fertio
 intendit: 'iam crescit ager, iam crescit ovile,

37 optet $\alpha\Sigma$: optent *P* 40 rogabit α : rogarit *P* 41 poscis $P\Sigma$: poscit α 42
 grandes $P\Sigma$: pingens α : pingues ζ 45 arcessis ζ : accessis α : accersis *P*, *Prisc.*
GLK 2, 433, 26. *cf.* 5, 172 47 flammis α : flamma $\Sigma(LU)$: flammis *P* 48 et
 tamen *P*: at tamen $\alpha\Sigma$. *cf.* 5, 159

50 iam dabitur, iam iam ... ‘, donec deceptus et exspes
 nequiquam fundo suspiret nummus in imo.
 si tibi creterras argenti incusaque pingui
 auro dona feram, sudes et pectore laevo
 excutiat guttas laetari praetrepidum cor.
 55 hinc illud subiit, auro sacras quod ovato
 perducis facies. ‘nam fratres inter aenos,
 somnia pituita qui purgatissima mittunt,
 praecipui sunt sitque illis aurea barba.’
 aurum vasa Numae Saturniaque inpulit aera
 60 Vestalisque urnas et Tuscum fictile mutat.
 o curvae in terris animae et caelestium inanes,
 quid iuvat hoc, templis nostros inmittere mores
 et bona dis ex hac scelerata ducere pulpa?
 haec sibi corrupto casiam dissolvit olivo,
 65 haec Calabrum coxit vitiato murice vellus,
 haec bacam conchae rasisse et stringere venas
 ferventis massae crudo de pulvere iussit.
 peccat et haec, peccat, vitio tamen utitur. at vos
 dicite, pontifices, in sancto quid facit aurum?
 70 nempe hoc quod Veneri donatae a virgine pupae.
 quin damus id superis, de magna quod dare lance
 non possit magni Messalae lippa propago?
 compositum ius fasque animo sanctosque recessus
 mentis et incoctum generoso pectus honesto,
 75 haec cedo ut admoveam templis et farre litabo.

52 creterras α : crateras $P\Sigma$, *Serv. Aen.* 1, 723, *Isid. orig.* 20, 5, 3 54 excutiat αP :
 excutias Σ 56 perducis P : perducit α 61 terris αP : terras *Lact. div. inst.* 2, 2,
 18 65 haec $\alpha\Sigma$: et P 69 sancto αP : sanctis *Hist. Aug. Alex.* 44, 9 73 animo
A: animimo *B*: animos P , *Lact. div. inst.* 2, 4, 11 *codd. Bonon. et Sangall.* 213 et *Paris.*
 1662: animi $\Sigma\zeta$, *schol. Stat. Theb.* 2, 24

SATURA III

Nempe haec adsidue: iam clarum mane fenestras
 intrat et angustas extendit lumine rimas:
 stertimus, indomitum quod despumare Falernum
 sufficiat, quinta dum linea tangitur umbra.
 5 'en quid agis? siccas insana canicula messes
 iam dudum coquit et patula pecus omne sub ulmo est'
 unus ait comitum. 'verumne? itan? ocius adsit
 huc aliquis! nemon?' turgescit vitrea bilis:
 'findor', ut Arcadiae pecuaria rudere credas.
 10 iam liber et positis bicolor membrana capillis
 inque manus chartae nodosaque venit harundo:
 tunc querimur crassus calamo quod pendeat umor.
 nigra sed infusa vanescit sepia lympha:
 dilutas querimur, geminet quod fistula guttas.
 15 o miser inque dies ultra miser, hucine rerum
 venimus? a, cur non potius teneroque columbo
 et similis regum pueris pappare minutum
 poscis et iratus mammae lallare recusas?
 'an tali studeam calamo?' cui verba? quid istas
 20 succinis ambages? tibi luditur; effluis amens,
 contemnere: sonat vitium, percussa maligne
 respondet viridi non cocta fidelia limo.
 udum et molle lutum es, nunc nunc properandus et acri
 fingendus sine fine rota. sed rure paterno
 25 est tibi far modicum, purum et sine labe salinum
 (quid metuas?) cultrixque foci segura patella.

8 nemon BP: nemo A 9 credas ζ, *Eutyches* GLK 5, 471, 28, *schol. Stat. Theb.* 4, 45, cf. Σ: 'ita rumpor clamoribus ut asinos credas clamare': oridas P: dicas αΣ, *Serv. geo.* 3, 328; 374, *Aen.* 7, 16; 8, 248 12 tunc αP: tum ζ 13 sed α: set P: quod ζΣ uanescit P: uanescat αΣ(LU) 16 a α: aut PΣ(LU): at ζ. cf. *sim. interiect. ord. (ol-al!) e. g. Ter. Ad.* 268 sq. columbo PΣ, *Serv. Aen.* 5, 213: palumbo α 26 patella α: patella est P

hoc satis? an deceat pulmonem rumpere ventis,
 stemmate quod Tusco ramum, millesime, ducis,
 censoremve tuum vel quod trabeate salutas?
 30 ad populum phaleras! ego te intus et in cute novi.
 non pudet ad morem discincti vivere Nattae?
 sed stupet hic vitio et fibris increvit opimum
 pingue; caret culpa, nescit quid perdat, et alto
 demersus summa rursus non bullit in unda.
 35 magne pater divum, saevos punire tyrannos
 haut alia ratione velis, cum dira libido
 moverit ingenium ferventi tincta veneno:
 virtutem videant intabescantque relicta.
 anne magis Siculi gemuerunt aera iuveni,
 40 et magis auratis pendens laquearibus ensis
 purpureas subter cervices terruit, 'imus,
 imus praecipites' quam si sibi dicat et intus
 palleat infelix, quod proxima nesciat uxor?
 saepe oculos, memini, tangebam parvus olivo,
 45 grandia si nollem morituro verba Catoni
 dicere non sano multum laudanda magistro,
 quae pater adductis sudans audiret amicis.
 iure. etenim id summum, quid dexter senio ferret,
 scire erat in voto, damnosa canicula quantum
 50 raderet, angustae collo non fallier orcae,
 neu quis callidior buxum torquere flagello.
 haut tibi inexpertum curvos deprendere mores,
 quaeque docet sapiens bracatis inlita Medis
 porticus, insomnis quibus et detonsa iuventus
 55 invigilat siliquis et grandi pasta polenta.

29 ue PΣ, *Serv. Aen.* 3, 382, *Prisc. GLK* 3, 208, 18; 211, 2: que α. cf. 4, 5 45 morituro...catoni PΣ: morituri...catonis α 46 dicere P: discere α non sano PΣ: et insano α 48 summum P, *Prisc. GLK* 3, 415, 29: summo α 55 grandi α: grande P

et tibi, quae Samios diduxit littera ramos,
 surgentem dextro monstravit limite callem.
 stertis adhuc laxumque caput conpage soluta
 oscitat hesternum dissutis undique malis.
 60 est aliquid quo tendis et in quod derigis arcum?
 an passim sequeris corvos testaque lutoque
 securus quo pes ferat, atque ex tempore vivis?
 elleborum frustra, cum iam cutis aegra tumebit,
 poscentis videas: venienti occurrere morbo,
 65 et quid opus Cratero magnos promittere montes?
 discite, o miseri et causas cognoscite rerum:
 quid sumus et quidnam victuri gignimur, ordo
 quis datus aut metae qua mollis flexus et unde,
 quis modus argento, quid fas optare, quid asper
 70 utile nummus habet, patriae carisque propinquis
 quantum elargiri deceat, quem te deus esse
 iussit et humana qua parte locatus es in re.
 discite nec invideas quod multa fidelia putet
 in locuplete penu defensis pinguibus Umbris,
 75 et piper, et pernae (Marsi monumenta cluentis),
 maenaque quod prima nondum defecerit orca.
 hic aliquis de gente hircosa centurionum
 dicat: 'quod satis est, sapio mihi. non ego curo
 esse quod Arcesilas aerumnosique Solones
 80 obstipo capite et figentes lumine terram,
 murmura cum secum et rabiosa silentia rodunt
 atque exporrecto trutinantur verba labello,

56 diduxit $\Sigma(U)$: deduxit $\alpha P\Sigma(L)$, *Isid. orig.* 1, 3, 7 57 callem ζ , *Isid. l.l.*: collem
 αP . cf. *Anth. Lat.* 632, 3 60 in quod P : in quo $\alpha\Sigma(LU)$ dirigit $\alpha\Sigma(L)$: dirigas P
 66 o miseri et αP , *Aug. civ. dei* 2, 6: et o miseri ζ 67 et αP , *Aug. l.l.*: aut Σ 68 da-
 tus $P\Sigma(LU)$, *Aug. l.l.*: datur α qua α , *Aug. l.l. codd. pott.*: quam $P\Sigma(LU)$ 71 elar-
 giri P : largiri $\alpha\Sigma$, *Aug. l.l.* 73 nec αP : neque Σ 75 om. α monumenta
 eluentis P : monimenta clientis ζ 78 satis est sapio α : sapio satis est $P\Sigma$

aegroti veteris meditantés somnia, gigni
 de nihilo nihilum, in nihilum nil posse reverti.
 85 hoc est quod palles? cur quis non prandeat hoc est?
 his populus ridet, multumque torosa iuventus
 ingeminat tremulos naso crispante cachinnos.
 ‘inspice, nescio quid trepidat mihi pectus et aegris
 faucibus exsuperat gravis halitus, inspice sodes’
 90 qui dicit medico, iussus requiescere, postquam
 tertia conpositas vidit nox currere venas,
 de maiore domo modice sitiente lagoena
 lenia loturo sibi Surrentina rogabit.
 ‘heus bone, tu palles.’ ‘nihil est.’ ‘videas tamen istuc
 95 quidquid id est: surgit tacite tibi lutea pellis.’
 ‘at tu deterius palles, ne sis mihi tutor;
 iam pridem hunc sepeli, tu restas.’ ‘perge, tacebo.’
 turgidus hic epulis atque albo ventre lavatur,
 gutture sulphureas lente exhalante mefités.
 100 sed tremor inter vina subit calidumque trientem
 excutit e manibus, dentes crepuere relecti,
 uncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris.
 hinc tuba, candelae, tandemque beatulus alto
 conpositus lecto crassisque lutatus amomis
 105 in portam rigidas calces extendit; at illum
 hesterni capite induto subiere Quirites.
 ‘tange, miser, venas et pone in pectore dextram:
 nil calet hic; summosque pedes attinge manusque:
 non frigent.’ visa est si forte pecunia, sive
 110 candida vicini subrisit molle puella,
 cor tibi rite salit? positum est argente catino

84 in nihilum *P*: in nihilo α 93 sibi *P*: tibi α rogabit *Monac.* 330, *Trevir.* 1089:
 rogavit *P*: rogabis α . *cf.* 1, 91 94 istuc *P*: istud $\alpha\Sigma(LU)$ 106 hesterni *P*: ex-
 terni $\alpha\Sigma$ 108 attinge αP : attende Σ 110 uicini *P*: uicinis α

durum holus et populi cribro decussa farina:
 temptemus fauces: tenero latet ulcus in ore
 putre quod haut deceat plebeia radere beta.
 115 alges, cum excussit membris timor albus aristas ...
 nunc face supposita fervescit sanguis et ira
 scintillant oculi, dicisque facisque quod ipse
 non sani esse hominis non sanus iuret Orestes.

SATURA IV

'Rem populi tractas?' (barbatum haec crede magistrum
 dicere, sorbitio tollit quem dira cicutae)
 'quo fretus? dic hoc, magni pupille Pericli.
 scilicet ingenium et rerum prudentia velox
 5 ante pilos venit, dicenda tacendave calles.
 ergo ubi commota fervet plebecula bile,
 fert animus calidae fecisse silentia turbae
 maiestate manus. quid deinde loquere? "Quirites,
 hoc" puta "non iustum est, illud male, rectius illud."
 10 scis etenim iustum gemina suspendere lance
 ancipitis librae, rectum discernis ubi inter
 curva subit vel cum fallit pede regula varo,
 et potis es nigrum vitio praefigere theta.
 quin tu igitur, summa nequiquam pelle decorus,
 15 ante diem blando caudam iactare popello
 desinis, Anticyras melior sorbere meracas?
 quae tibi summa boni est? uncta vixisse patella
 semper et adsiduo curata cuticula sole?

115 alges PΣ: alget α 118 esse P: est α

2 dira PΣ, *Isid. orig.* 17, 9, 71: dura α 3 quo P: quos α hoc αPΣ(M): o
 Σ(LU) pericli PΣ: periclis α 5 ue P: que αΣ. cf. 3, 29 13 es Σ(LU): est αP,
Isid. orig. 1, 24, 1 16 desinis P: desinas α

20 expecta: haut aliud respondeat haec anus. i nunc
 "Dinomaches ego sum" suffla "sum candidus." esto,
 dum ne deterius sapiat pannucia Baucis,
 cum bene discincto cantaverit ocima verna.⁷
 ut nemo in sese temptat descendere, nemo,
 sed praecedenti spectatur mantica tergo!
 25 quaesieris 'nostin Vettidi praedia?' 'cuius?'
 'dives arat Curibus quantum non miluus errat.'
 'hunc ais ...' 'hunc dis iratis genioque sinistro,
 qui, quandoque iugum pertusa ad compita figit,
 seriolae veterem metuens deradere limum
 30 ingemit "hoc bene sit" tunicatum cum sale mordens
 cepe, et farratam pueris plaudentibus ollam
 pannosam faecem morientis sorbet aceti!⁷
 at si unctus cesses et figas in cute solem,
 est prope te ignotus cubito qui tangat et acre
 35 despuat: 'hi mores! penemque arcanaque lumbi
 runcantem populo marcentis pandere vulvas!
 tum, cum maxillis balanatum gausape pectas,
 inguinibus quare detonsus gurgulio extat?
 quinque palaestritae licet haec plantaria vellant
 40 elixasque nates labefactent forcipe adunca,
 non tamen ista filix ullo mansuescit aratro.'
 'caedimus inque vicem praebemus crura sagittis.
 vivitur hoc pacto; sic novimus.' ilia subter
 caecum vulnus habes, sed lato balteus auro
 45 praetegit. ut mavis, da verba et decipe nervos,
 si potes. 'egregium cum me vicinia dicat,

25 quaesieris $\zeta\Sigma$: quaesieri *P*: quaesierit α 29 ueterem *P*: ueteris α 31 far-
 ratam...ollam ζ : fariratam...ollam α : farrata...olla *P* 33 at *P*: a α figas *P\Sigma(U)*:
 frigas α : fricas $\Sigma(L)$ 34 tangat *P*: tangit α 36 uuluas *codd.*: bulbos *Richter*:
 ualuas *Housman* 37 tum *Vat. Reg. 1562*: tu Σ : tunc αP . *cf. Iuv. 5, 138; 6, 235; 8,*
131; 10, 47; et Housman, ed. Iuv. p. xxi-xxii 40 forcipe *P*: forfice α

non credam?' viso si palles, inprobe, nummo,
 si facis, in penem quidquid tibi venit, amarum
 si puteal multa cautus vibice flagellas,
 50 nequiquam populo bibulas donaveris aures.
 respue quod non es, tollat sua munera Cerdo.
 tecum habita: noris quam sit tibi curta supellex.

SATURA V

Vatibus hic mos est, centum sibi poscere voces,
 centum ora et linguas optare in carmina centum,
 fabula seu maesto ponatur hianda tragoedo,
 volnera seu Parthi ducentis ab inguine ferrum.
 5 'quorsum haec? aut quantas robusti carminis offas
 ingeris, ut par sit centeno gutture niti?
 grande locuturi nebulas Helicone legunto,
 si quibus aut Procnes aut si quibus olla Thyestae
 fervebit saepe insulso cenanda Glyconi.
 10 tu neque anhelanti, coquitur dum massa camino,
 folle premis ventos, nec clauso murmure raucus
 nescio quid tecum grave cornicaris inepte,
 nec scloppo tumidas intendis rumpere buccas.
 verba togae sequeris iunctura callidus acri,
 15 ore teres modico, pallentis radere mores
 doctus et ingenuo culpam defigere ludo.
 hinc trahe quae dicis mensasque relinque Mycenis
 cum capite et pedibus plebeiaque prandia noris.'
 non equidem hoc studeo, pullatis ut mihi nugis
 20 pagina turgescat dare pondus idonea fumo.
 secreti loquimur. tibi nunc hortante Camena

51 respue *P*: respuat α es $\Sigma(LU)$: est αP noris $P\Sigma$: ut noris α

15 radere α : rodere *P* 19 pullatis αP : 'legitur et bullatis' Σ 21 secreti $\zeta\Sigma$:
 secreta αP

excutienda damus praecordia, quantaque nostrae
 pars tua sit, Cornute, animae, tibi, dulcis amice,
 ostendisse iuvat. pulsa, dinoscere cautus
 25 quid solidum crepet et pictae tectoria linguae.
 hic ego centenas ausim deposcere fauces,
 ut, quantum mihi te sinuoso in pectore fixi,
 voce traham pura, totumque hoc verba resignent
 quod latet arcana non enarrabile fibra.
 30 cum primum pavido custos mihi purpura cessit
 bullaque subcinctis Laribus donata pependit,
 cum blandi comites totaque inpune Subura
 permisit sparsisse oculos iam candidus umbo
 cumque iter ambiguum est et vitae nescius error
 35 deducit trepidas ramosa in compita mentes,
 me tibi supposui. teneros tu suscipis annos
 Socratico, Cornute, sinu. tunc fallere sollers
 adposita intortos extendit regula mores
 et premitur ratione animus vincique laborat
 40 artificemque tuo ducit sub pollice voltum.
 tecum etenim longos memini consumere soles
 et tecum primas epulis decerpere noctes.
 unum opus et requiem pariter disponimus ambo
 atque verecunda laxamus seria mensa.
 45 non equidem hoc dubites amborum foedere certo
 consentire dies et ab uno sidere duci:
 nostra vel aequali suspendit tempora Libra
 Parca tenax veri, seu nata fidelibus hora
 dividit in Geminos concordia fata duorum
 50 Saturnumque gravem nostro Iove frangimus una:
 nescio quod certe est quod me tibi temperat astrum.

26 hic α : hinc *Paris. 8055, Bern. 398*: hic $P\Sigma$ fauces P : uoces $\alpha\Sigma$ 36 supposui
 $\Sigma(M)$: seposui $\alpha P\Sigma(LU)$ 37 tunc P : tum α . cf. 1, 9 41 memini α : memini me
P. cf. chol. 3 51 certe α : certum P

mille hominum species et rerum discolor usus,
 velle suum cuique est nec voto vivitur uno.
 mercibus hic Italis mutat sub sole recenti
 55 rugosum piper et pallentis grana cumini,
 hic satur inriguo mavult turgescere somno,
 hic campo indulget, hunc alea decoquit, ille
 in venerem putris. sed cum lapidosa cheragra
 fregerit articulos, veteris ramalia fagi,
 60 tunc crassos transisse dies lucemque palustrem
 et sibi iam seri vitam ingemuere relictam.
 at te nocturnis iuvat inpallescere chartis;
 cultor enim iuvenum purgatas inseris aures
 fruge Cleanthea. petite hinc, puerique senesque,
 65 finem animo certum miserisque viatica canis.
 'cras hoc fiet.' idem cras fiet. 'quid? quasi magnum,
 nempe diem donas!' sed cum lux altera venit,
 iam cras hesternum consumpsimus; ecce aliud cras:
 egerit hoc annos et semper paulum erit ultra.
 70 nam quamvis prope te, quamvis temone sub uno
 vertentem sese frustra sectabere canthum,
 cum rota posterior curras et in axe secundo.
 libertate opus est non hac: ut quisque Velina
 Publius emeruit, scabiosum tesserula far
 75 possidet. heu steriles veri quibus una Quiritem
 vertigo facit. hic Dama est, non tresis agaso
 vappa lippus et in tenui farragine mendax:
 verterit hunc dominus – momento turbinis exit
 Marcus Dama. papae! Marco spondente recusas

58 putris αP : 'legitur et in uenerem putrit' $\Sigma(M)$: 'legitur et putret' $\Sigma(LU)$ sed Σ :
 set *Monac.* 14498: et αP 59 fregerit *P*: fecerit α 61 uitam...relictam $\alpha\Sigma(LU)$:
 uita...relicta *P* 63 enim α : enim es* (t eras.) *P* 65 miserisque α : miserieque *P*:
 serisque *Markland* 66 cras fiet $P\Sigma(LU)$: cras fiat α 78 turbinis *P*: temporis α

80 credere tu nummos? Marco sub iudice palles?
 Marcus dixit, ita est. adsigna Marce tabellas.
 haec mera libertas, haec nobis pillea donant.
 ‘an quisquam est alius liber, nisi ducere vitam
 cui licet ut libuit? licet ut volo vivere: non sum
 85 liberior Bruto?’ mendose colligis (inquit
 Stoicus hic aurem mordaci lotus aceto):
 haec reliqua accipio, ‘licet’ illud et ‘ut volo’ tolle.
 ‘vindicta postquam meus a praetore recessi,
 cur mihi non liceat, iussit quodcumque voluntas,
 90 excepto siquid Masuri rubrica vetabit?’
 disce, sed ira cadat naso rugosaque sanna,
 dum veteres avias tibi de pulmone revello.
 non praetoris erat stultis dare tenuia rerum
 officia atque usum rapidae permittere vitae;
 95 sambucam citius caloni aptaveris alto.
 stat contra Ratio et secretam garrit in aurem,
 ne liceat facere id quod quis vitiabit agendo.
 publica lex hominum naturaque continet hoc fas,
 ut teneat vetitos inscitia debilis actus.
 100 diluis elleborum, certo conpescere puncto
 nescius examen: vetat hoc natura medendi.
 navem si poscat sibi peronatus arator
 Luciferi rudis: exclamet Melicerta perisse
 frontem de rebus. tibi recto vivere talo
 105 ars dedit? et veri specimen dinoscere calles,
 nequa subaerato mendosum tinniat auro?
 quaeque sequenda forent quaeque evitanda vicissim,

82 haec nobis $\alpha\Sigma$: hoc nobis *P* donant α : donat *P* 84 libuit α : uoluit *P\Sigma*
 sum α : sim *P* 87 haec reliqua α : hoc reliquum *P* 90 uetabit *Vat. Reg. 1562*
sicut coni. Heinrich: uetauit αP . *cf. 1, 91* 97 uitiabit ζ : uitiauit αP . *cf. 1, 91*
 103 exclamet α : exclamat *P* 105 ueri specimen $\alpha\zeta$: ueris speciem *P*: ueri spe-
 ciem *Monac. 14498, Paris. 8272, Prisc. GLK 2, 433, 8*

illa prius creta, mox haec carbone notasti?
 es modicus voti, presso lare, dulcis amicis?
 110 iam nunc adstringas, iam nunc granaria laxes,
 inque luto fixum possis transcendere nummum
 nec gluttu sorbere salivam Mercurialem?
 'haec mea sunt, teneo' cum vere dixeris, esto
 liberque ac sapiens praetoribus ac Iove dextro.
 115 sin tu, cum fueris nostrae paulo ante farinae
 pelliculam veterem retines et fronte politus
 astutam vapido servas in pectore volpem,
 quae dederam supra relego funemque reduco:
 nil tibi concessit ratio; digitum exere, peccas,
 120 et quid tam parvum est? sed nullo ture litabis,
 haereat in stultis brevis ut semuncia recti.
 haec miscere nefas, nec cum sis cetera fossor,
 tris tantum ad numeros satyrum moveare Bathylli.
 'liber ego' unde datum hoc sumis, tot subdite rebus?
 125 an dominum ignoras nisi quem vindicta relaxat?
 'i puer et strigiles Crispini ad balnea defer' –
 si increpuit – 'cessas nugator?': servitium acre.
 te nihil inpellit nec quicquam extrinsecus intrat
 quod nervos agitet? sed si intus et in iecore aegro
 130 nascuntur domini, qui tu inpunitior exis
 atque hic quem ad strigilis scutica et metus egit erilis?
 mane piger stertis. 'surge' inquit Avaritia 'eia
 surge.' negas. instat: 'surge' inquit. 'non queo.' 'surge.'
 'et quid agam?' 'rogat! en saperdas advehe Ponto,
 135 castoreum, stuppas, hebenum, tus, lubrica Coa.
 tolle recens primus piper et sitiente camelo.

109 es α : et P 112 gluttu P: glutto $\alpha\Sigma(LU)$ 117 in αP : sub Σ 118 relego
 αP : repeto $\Sigma(LU)$ 123 satyrum α : satyri P Σ , Ps. Acro Hor. epist. 2, 2, 125 124
 sumis P: sentis $\alpha\Sigma(LU)$ 130 qui ζ : quid α : quin P 134 rogat $\Sigma(LU)$: rogas αP

verte aliquid, iura. 'sed Iuppiter audiet.' 'eheu,
 baro, regustatum digito terebrare salinum
 contentus perages, si vivere cum Iove tendis.'
 140 iam pueris pellem succinctus et oenophorum aptas.
 ocius ad navem! nihil obstat quin trabe vasta
 Aegaeum rapias, ni sollers Luxuria ante
 seductum moneat: 'quo deinde, insane, ruis, quo?
 quid tibi vis? calido sub pectore mascula bilis
 145 intumuit quam non extinxerit urna cicutae?
 tu mare transilias? tibi torta cannabe fulto
 cena sit in transtro Veiientanumque rubellum
 exhalet vapida laesum pice sessilis obba?
 quid petis? ut nummi, quos hic quincunce modesto
 150 nutrieras, pergant avidos sudare deunces?
 indulge genio: carpamus dulcia, nostrum est
 quod vivis; cinis et manes et fabula fies;
 vive memor leti, fugit hora, hoc quod loquor inde est.'
 en quid agis? duplici in diversum scinderis hamo.
 155 huncine an hunc sequeris? subeas alternus oportet
 ancipiti obsequio dominos, alternus oberres.
 nec tu cum obstiteris semel instantique negaris
 parere ingenio, 'rupi iam vincula' dicas;
 nam et luctata canis nodum abripit, et tamen illi,
 160 cum fugit, a collo trahitur pars longa catenae.
 'Dave, cito, hoc credas iubeo, finire dolores
 praeteritos meditor.' (crudum Chaerestratus unguem
 adrodens ait haec) 'an siccis dedecus obstem
 cognatis? an rem patriam rumore sinistro
 165 limen ad obscaenum frangam, dum Chrysidis udas

137 audiet α : audiat $P\Sigma(U)$: audit $\Sigma(LM)$ 141 obstat P : obstat α 145 quam
 $P\Sigma(LU)$: quod α 150 pergant α : peragant P . P eodem errore tenetur in *Iuv.*
 14, 122 sudare ζ : sudore α : suadare P 159 et tamen α : at tamen P . cf. 2, 48

ebrius ante fores extincta cum face canto?
 'euge puer, sapias, dis depellentibus agnam
 percutē.' 'sed censen plorabit, Dave, relicta?'
 'nugaris. solea, puer, obiurgabere rubra,
 170 ne trepidare velis atque artos rodere casses.
 nunc ferus et violens; at si vocet, haut mora dicas
 "quidnam igitur faciam? nec nunc cum arcessat et ultro
 supplicet, accedam?" – si totus et integer illinc
 exieras, nec nunc.' hic hic quod quaerimus, hic est,
 175 non in festuca, lictor quam iactat ineptus.
 ius habet ille sui, palpo quem ducit hiantem
 cretata Ambitio? 'vigila et cicer ingere large
 rixanti populo, nostra ut Floralia possint
 aprici meminisse senes. quid pulchrius?' at cum
 180 Herodis venere dies unctaque fenestra
 dispositae pinguem nebulam vomuere lucernae
 portantes violas, rubrumque amplexa catinum
 cauda natat thynni, tumet alba fidelia vino,
 labra moves tacitus recutitaque sabbata palles.
 185 tum nigri lemures ovoque pericula rupto,
 tum grandes galli et cum sistro lusca sacerdos
 incussere deos inflantis corpora, si non
 praedictum ter mane caput gustaveris ali.
 dixeri haec inter varicosos centuriones,
 190 continuo crassum ridet Pulfenius ingens
 et centum Graecos curto centusse licetur.

172 arcessat *P*: accessor *α*. cf. 2, 45

174 nec *ζ*: ne *P*: nunc *α*. 'ne' pro 'ne ...
 quidem' ne apud poetas quidem poni, monet Madvig ad *Cic. fin.* 1, 39, cf. *LHS*, 447 sq.

175 quam *PΣ(LU)*: quem *α*

176 ducit *α*: tollit *P*

190 pulfenius *P*: fulfenius *α*

SATURA VI

Admovit iam bruma foco te, Basse, Sabino?
 iamne lyra et tetrico vivunt tibi pectine chordae,
 mire opifex numeris veterum primordia vocum
 atque marem strepitum fidis intendisse latinae,
 5 mox iuvenes agitare iocos et pollice honesto
 egregius lusisse senex? mihi nunc Ligus ora
 intepet, hibernatque meum mare qua latus ingens
 dant scopuli et multa litus se valle receptat.
 'Lunai portum, est operae, cognoscite cives.' –
 10 cor iubet hoc Enni, postquam destertuit esse
 Maeonides Quintus pavone ex Pythagoreo.
 hic ego securus volgi et quid praeparet auster
 infelix pecori, securus et angulus ille
 15 vicini nostro quia pinguior, et si adeo omnes
 ditescant orti peioribus, usque recusem
 curvus ob id minui senio aut cenare sine uncto
 et signum in vapidam naso tetigisse lagoena.
 discrepet his alius (geminos, horoscope, varo
 producis genio: solis natalibus est qui
 20 tinguat holus siccum muria vafer in calice empta,
 ipse sacrum inrorans patinae piper; hic bona dente
 grandia magnanimus peragit puer): utar ego, utar,
 nec rhombos ideo libertis ponere lautus
 nec tenuis sollers turdarum nosse salivas.
 25 messe tenuis propria vive et granaria (fas est)
 emole. quid metuis? occa et seges altera in herba est.
 ast vocat officium: trabe rupta Bruttia saxa

3 uocum α : rerum *P* 6 lusisse *PE*: iussisse α 9 cognoscite α : cognoscere *P*
 23 rhombos *PE*: scombros α 24 turdarum *PE*, *Explanat. in Don. GLK 4, 494, 22,*
Pomp. GLK 5, 161, 25: turdorum α 26 metuis α : metuas *P. cf. 61; 69* 27 ast
 $\alpha\Sigma$: a* *P*

prendit amicus inops remque omnem surdaque vota
 condidit Ionio, iacet ipse in litore et una
 30 ingentes de puppe dei iamque obvia mergis
 costa ratis lacerae: nunc et de caespite vivo
 frange aliquid, largire inopi, ne pictus oberret
 caerulea in tabula. sed cenam funeris heres
 negleget iratus quod rem curtaveris; urnae
 35 ossa inodora dabit, seu spirent cinnama surdum
 seu ceraso peccent casiae nescire paratus.
 tune bona incolumis minuas? et Bestius urget
 doctores Graios: 'ita fit: postquam sapere urbi
 cum pipere et palmis venit nostrum hoc maris experts,
 40 fenisecae crasso vitiarunt unguine pultes.'
 haec cinere ulterior metuas? at tu, meus heres
 quisquis eris, paulum a turba seductior audi.
 o bone, num ignoras? missa est a Caesare laurus
 insignem ob cladem Germanae pubis, et aris
 45 frigidus excutitur cinis, ac iam postibus arma,
 iam chlamydes regum, iam lutea gausapa victis
 essedaque ingentesque locat Caesonia Rhenos.
 dis igitur genioque ducis centum paria ob res
 egregie gestas induco. quis vetat? aude.
 50 vae, nisi conives. oleum artocreasque popello
 largior. an prohibes? dic clare. 'non adeo' inquis
 'exossatus ager iuxta est.' age, si mihi nulla
 iam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis
 nulla manet patruis, sterilis matertera vixit
 55 deque avia nihilum superest, accedo Bovillas

35 inodora PΣ: inhonora α. *utrumque interpretatur* Σ 37 et α: sed (ed in ras. P²)
 PΣ 40 crasso Σ: crassa αP 46 clamides α, Prisc. GLK 2, 333, 6; 350, 23: cla-
 midas PΣ(LU) uictis α: captis PΣ, Prisc. *ibid.* 51 largior P: largiar α
 adeo α: audeo PΣ

clivumque ad Virbi: praesto est mihi Manius heres.
 ‘progenies terrae?’ quaere ex me quis mihi quartus
 sit pater: haut prompte, dicam tamen; adde etiam unum,
 unum etiam: terrae est iam filius. et mihi ritu
 60 Manius hic generis prope maior avunculus exit.
 qui prior es? cur me in decursu lampada poscis?
 sum tibi Mercurius; venio deus huc ego ut ille
 pingitur. an renuis? vis tu gaudere relictis?
 ‘dest aliquid summae.’ minui mihi, sed tibi totum est
 65 quidquid id est. ubi sit fuge quaerere, quod mihi quondam
 legarat Tadius, neu dicta: ‘pone paterna,
 fenoris accedat merces, hinc exime sumptus:
 quid relicum est?’ relicum? nunc nunc inpensius ungue,
 ungue, puer, caules. mihi festa luce coquetur
 70 urtica et fissa fumosum sinciput aure,
 ut tuus iste nepos olim satur anseris extis,
 cum morosa vago singultiet inguine vena,
 patriciae inmeiat volvae! mihi trama figurae
 sit reliqua, ast illi tremat omento popa venter!
 75 ‘vende animam lucro, mercare atque excute sollers
 omne latas mundi, nec sit praestantior alter
 Cappadocas rigida pinguis plausisse catasta;
 rem duplica.’ feci; iam triplex, iam mihi quarto,
 iam decies reedit in rugam. depunge ubi sistam:
 80 inventus, Chrysippe, tui finitor acervi.

60 exit α : exstat *P* 61 poscis α : poscas *P*. cf. 26 63 uis *P* Σ : vin α relictis
P: relictus α 69 coquetur $\alpha\Sigma(LU)$: coquatur *P*. cf. 26 76 nec $\alpha\Sigma(M)$: ne *P*
interpretatur Σ : neu $\Sigma(LU)$ 77 plausisse *P interpretatur* Σ : pauisse α catasta
 α : catastas *P* 79 depunge $\alpha P\Sigma(M)$: depinge $\Sigma(LU)$

HELGI NIKITINSKI

COMMENTARIUS IN PERSI SATURAS

PROLOGUS

CHOLIAMBI

Carmen hoc est saturarum prologus et ipsum satira. in primis septem versibus modeste de se potissimum agit Persius: se quidem non pulchra atque magnifica poeticae sublimitatis plena carmina condere, sed certe a bona voluntate¹ profecta; in alteris septem versibus poetas irridet quibus fons sublimitatis poeticae lucris spes est.

atque haec omnia quasi ex rustica simplicitate profert; ideo duriora vocabula adhibet (vide v. 1 adn.). ceterum 1-7 versibus iocose quidem, sed honorifice veros sincerosque vates tangit Persius. se autem extra ordinem eorum modeste ponit, ita tamen ut causam suam prorsus a vaniloquis poetis seiungat, quos versibus 8-14 incessit. dicit enim fere: 'sunt qui divino spiritu afflati sublimia carmina cantent, sunt qui mercede ducti sublimia sectentur: ego neutrum genus sequor atque nihil dotis nisi bonam voluntatem castamque mentem² affero'.

1 *Nec fonte labra prolui caballino,*
'non bibi de fonte Hippocrenes'.

se extra ordinem eorum poetarum ponit, qui spiritu divino instincti, sublimia carmina condunt. cum de poetis loquitur qui sese in monte Helicone (ubi 'fons caballinus' – Hippocrene, Ἴππου κρήνη – est) divino

¹ eiusmodi modestiae τύποι apud auctores non raro inveniuntur, cf. e. g.: 'verum dis lacte rustici multaeque gentes et mola litant salsa qui non habent tura, nec ulli fuit vitio deos colere quoquo modo posset' Plin. nat. praef. 11. cf. v. 6 (semi-paganus) adn.

² cf. adn. supra.

spiritu afflatos crediderunt, non tantum veteres poetas dicit, ut Hesiodum atque Callimachum (nam Ennium Heliconem, non Parnasum in somniis vidisse, credere par est¹) sed omnes (non tantum veteres) dicit qui sinceræ sublimitatis vates sunt.

fonte ... caballino: cf. ‘*dicitur enim Pegasus errando ad Heliconem montem pervenisse, ibique siti oppressus ungula fodisse: ex quo loco fons editus Musis sit consecratus. dicit autem se de illis non esse, qui sunt egregii Musarum amici*’ Schol.

labra prolui: poeta ludit in locutionem ‘primis labris gustare’ (sensu ‘leviter tantum alqd. attingere’) quam ridicule in contrarium sensum vertit, scilicet se fontem caballinum ne summis quidem labiis degustasse. ridet magniloquos poetas, qui, ut ait Ausonius, ‘*totamque solent haurire Aganippen*’. Mosell. 44 7.

prolui: proluere proprie non est ‘multum haurire’ sed ‘multum lavare’, cf. OLD s. v. 2c (non 2b!).

caballino: ‘*caballino autem dicit non equino, eo quod satiræ humiliora verba conveniant*’ Schol. recte quidem, nam ipse, cum de se loquitur duriora vocabula (voces q. d. ‘non poeticæ’) eligit sicut: *labra, prolui, semipaganus* (v. 6), eo ut ab illis poetis sublimibus atque suaviloquentibus (cf. ‘*nectar*’ v. 14) quos in hoc prologo deridet, differat. nam data opera simplicitatem hominis rustici de poetis disserentis affectat. notandum est praeterea Perisium in delectu verborum (*prolui, somniasse, venter, refulserit, cantare nectar*) semper, ut ita dicam, physiologicè agere.

2-3 *nec in bicipiti somniasse Parnaso / memini*

somniasse ... memini: pro ‘somniaſſe me memini’. ‘me’ pro consuetudine sermonis cottidiani², quem sectatur, missum facit.

bicipiti ... Parnaso: sic saepius apud auctores³, propter Parnasi duo cacumina quae ceteris eiusdem montis cacuminibus altitudine praestare videntur. ceterum Parnasus apud Romanos demum, inde a Vergilio (geo. 3, 291 sq.; Stat. Theb. 6, 355 sqq.; silv. 4, 4, 46 sq.; 89 sqq.) ut poetarum mons celebrari coepit, Graecis vero in eo numero habitus non est.

¹ vide Kißel, p. 79.

² LHS 362; KS 1, 700.

³ ‘*Parnasusque biceps*’ Ov. met. 2, 221; Sen. Oed. 281; Sil. 15, 311; Ps. Acro Hor. carm. 2, 1, 39. vide RE 18, 4, col. 1584, 1593, 1595 sqq.

3 ut repente sic poeta prodirem;

‘ut subito atque facile poeta fierem’¹.

sic: i. e. ‘eadem ratione (sc. ut illi qui ex fonte Hippocrenes bibendo atque in Parnaso somniando poeticam sublimitatem nacti sunt)’. vel potius sensu ‘facile, temere’²; cf. Ter. Andr. 175 ‘*mirabar hoc si sic abiret*’ ubi Donatus: “*sic*” *pro leviter et neglegenter, quod Graeci οὕτω dicunt*’.

poeta: sciendum est Persium *poetae* vocabulum numquam nisi per ironiam usurpasse, cf. chol. 13; 1, 36; 68; 75. melius aliquando, licet non sine ironia, de *vatibus* (cf. 1, 34; 5, 1) sentit. cf. tamen v. 6 (*semipaganus*) adn.

prodirem: ‘fierem, evaderem’. *prodire* cum vi dictum est (quasi dicat ‘cum pompa prodirem in lucem, in publicum’), apteque hoc factum repentinum exprimit.

4-5 Heliconiadasque pallidamque Pirenen / illis remitto,

‘et Musas Heliconem habitantes et nympham Pirenam aliis poetis relinquo’, i. e. ‘non sum poeta divino quodam furore instinctus’.

Heliconiadasque: vide Ind. s. v. ‘synizesis’.

pallidam: fortasse³ *pallidam* Pirenen inducit, quia de lacrimis Pirenes nymphae cogitat: ἐπὶ δὲ αὐτῇ λέγουσιν ὡς ἡ Πειρηνη γένοιτο ὑπὸ δακρύων ἐξ ἀνθρώπου πηγῆ, τὸν παῖδα ὄδυρομένη Κεγχρῖαν ὑπὸ Ἀρτέμιδος ἀκούσης ἀποθανόντα Paus. 2, 3, 2. est igitur epitheton ornans, sicut *biceps* in v. 2, *sequax* (v. 6), *Pegaseius* (v. 14).

Pirenen: Pirene est fons Corinthiacus, cui vis ad sublimia carmina pangenda tribuitur (cf. Stat. silv. 1, 4, 27; RE 37, col. 107, 64 sqq.), ungula Pegasi procreatus vel e lacrimis Pirenes nymphae (vide ‘*pallidam*’ adn.). ceterum in nummis Corinthiacis nympham Pirenen iuxta Pegasum sedentem videmus⁴. utique istius quoque (cf. v. 1) fontis aqua ‘*Pegaseium nec-*

¹ mire sane hunc locum interpretatus est Petrus Crinitus: ‘composuit [sc. Persius] Satyras numero sex, praefatus in his multum se laboris atque diligentiae possuisse, neque repente Poetam prodiisse’ Petri Criniti *De poetis latinis*, Parisiis 1508, f. 23^r (lib. 3, cap. 55).

² ‘so ohne weiteres’, cf. OLD s. v. 11b.

³ minus recte active intelligas, sensu: ‘quae pallidos facit’. de pallore, litterarum professioni proprio propter intentas cogitationes, cf. Iuv. 7, 97; Quint. inst. 1, 2, 18; 7, 10, 14; Plin. nat. 20, 160.

⁴ J. Ilberg in: W. H. Roscher, *Ausführliches Lexikon der griechischen und römischen Mythologie*. Leipzig 1897-1909, vol. 3, 1756, 55 sqq.

*tar*¹ (v. 14) dici potest. hic vero fontis *nympha*¹ intellegitur, quae et ipsa, sicut *Musae*, poetis propitia.

remitto: 'concedo'.

5-6 *quorum imagines lambunt / hederæ sequaces:*

clarorum auctorum statuæ virenti *hedera* vincti in bibliothecis publicis atque privatis asservabantur, cf. *Plin. nat.* 35, 9 sq.

lambunt: 'ambiunt, cingunt', addito sensu: 'quasi lingua tergunt' Schol. apta imago, ducta ab similitudine formæ foliorum et linguae: gloria quasi titillet poetarum statuas.

hederæ: plur. q. d. poeticus, sublimi poesi aptus². cum ironia *hederarum* meminit, nam *hederæ* sunt 'doctarum præmia frontium' quae poetas 'dis miscent superis' (*Hor. carm.* 1, 1, 29).

sequaces: *sequaces* dicuntur proprie quod facile sequuntur³ et arripiunt (arbores, parietes etc.). in imagine eo, quod velut præmia poetas sequantur.

6-7 *ipse semipaganus / ad sacra vatium carmen adfero nostrum.*

ipse: i. e. sine Musarum auxilio.

semipaganus: est quasi semirusticus (cf. *Cic. orat.* 161; 'subrusticus' fam. 5, 12, 1); se hominem rudem poetis (vide vv. 4-6) opponit⁴. dicit se prope

¹ alii minus recte de ipso fonte *Pirene* cogitant. quod falsum esse vel ordo ipse rerum demonstrat, cum in vv. 1-3 dicat se numquam locis poeticis ne in somnio quidem inerrasse, his vero versibus (vv. 4-5) se ne personas quidem divinas poetis faventes novisse.

² nam in tanta locorum copia singularis numerus ante *Claud.* in hexametris tantum in *Culice* 405, *Verg. ecl.*, *Ov. met.* 4, 395, *Hor. epist.* 1, 3, 25 et *Stat. Achil.* 1, 610 invenitur, quam rem noli ad metri tantum necessitatem trahere (cf. tamen *Courtney ad Iuv.* 7, 29).

³ nam res *sequaces* sunt quasi persecutrices (cf. *Serv. geo.* 2, 374 (de capris quae vites insectantur); *geo.* 4, 230 (de fumis qui 'apium persecutores' sunt; *Aen.* 5, 193 (de undis, quae naves insequuntur)), i. e. quae persequuntur, assidue insectantur, cf. 'curaque sequaces' *Lucr.* 2, 48.

⁴ similiter: 'habemus hanc philosophiam non ab *Hymetto* sed ab *Arce* [h. e. 'ex pago'] nostra' (Mss.: *araxira* vel sim. *arce* nostra ex emendatione *Shackleton Bailey*) *Cic. Q. fr.* 2, 8, 3, et adn.: 'Arx is the pagus or castellum near Arpinum' *Cicero: Epistulae ad Quintum Fratrem et M. Brutum*. Ed. by D. R. Shackleton Bailey. Cambridge 1980, p. 188.

rusticum esse atque divino illo spiritu, quo illi afflati sunt, destitutum, carmina tamen sua nihilo minus ad *sacra*¹ poesis afferre. modeste ille quidem, sed non sine aliqua fiducia sui; nam si prorsus indignum se censisset, carmina sua ad *sacra vatuum* afferre non auderet². hoc spectat ad ea quae sequuntur: etenim casta mens rusticorum est, non eorum qui urbanis vitiis diffluunt; picae vero, psittaci, corvi loquentes urbanae dissolutaeque vitae deliciae sunt.

vatuum: cf. v. 3 (*poeta*) adn.

carmen ... nostrum: 'saturas meas'.

8-9 *quis expedit psittaco suum 'chaere' / picasque docuit nostra verba conari?*
'quis elicit de psittaco salutandi vocem ('chaere'), quis docuit picas humanas voces imitari'.

suum 'chaere': quasi propriam avicularum istarum salutandi vocem. vel potius sensu: suum munus; nam psittacorum munus atque officium est ut 'chaere' dicant.

nostra verba: hominum proprium sermonem. ceterum bene Persius psittacos qui unum tantum 'chaere' suum vel aliam facilem vocem norunt reddere a picis distinxit, qui teste Plinio (nat. 10, 118) loquaciores³ sunt, ideoque etiam plura vocabula ('verba') conantur.

conari: ad voluntatem potius quam ad effectonem refertur, nam "*conari*" *levius est quam "facere"* Donat. Ter. Andr. 270.

10-11 *magister artis ingenique largitor / venter, negatas artifex sequi voces.*
respondet praemium ciborum magistram artis esse. aviculae istae cibis quibusdam alliciebantur, ut voces redderent, sicut hodie etiam facere solemus⁴.

venter: translate 'voracitatem' vel 'opiparorum esculentorum libidinem' significat ('vivite lurcones, comedones, vivite ventres' Lucil. 75 M;

¹ quo sensu 'sacra' usurpantur ex locis sequentibus facile elicies: 'nos ... *sacra litterarum colentes*' Quint. inst. 10, 1, 92; 'non equidem vellem .../ *Pieridum sacris imposuisse manum*' Ov. trist. 4, 1, 27.

² praeterea si se magnopere deprimere vellet Persius, fontem Hippocrenes certe contemptim nominare non debuit.

³ cf. praeterea Otto, *Sprichwörter*, p. 278 (nr. 1412); Häußler, *Nachträge*, p. 201.

⁴ cf. 'docentur ... *adsidente qui crebro dicat ... ac cibis blandiente*' Plin. nat. 10, 120.

‘*vitium ventris et gurgitis*’ Cic. Cael. 44; ‘*dediti ventri atque somno*’ Sall. Cat. 2, 8; ‘*delicias ventris*’ Apul. apol. 18).

ingenique largitor: oxymoron; quia ingenium nobis, sc. quod innatum est, non aliunde dari potest (‘*ingenium est naturalis sapientia*’ Non. p. 322, 33 M.; cf. Cic. fin. 5, 36).

negatas ... voces: ‘voces humanas a natura (avibus) negatas’.

artifex: hic infinitivus ‘*sequi*’ pendet (cf. 1, 70 sq.).

sequi: ‘imitari, sectari’¹ (vide Ind. ‘infinitivus substantivo additur’).

12-14: verum si malis poetis spes lucranda pecuniae appareat, putaveris eos cantare eximia carmina (i. e. si lucri spes apparet, statim se ad sublimia carmina conscribenda applicant).

12 *quod si dolosi spes refulserit nummi,*

quod si: est adversativum quod rem quae sequitur cum aliqua vi, accurate tamen² inducere solet. saepius epilogum introducit³.

dolosi: dolosus est nummus quia homines fallit i. e. callide ducit contra naturam eorum (ut hic ad versus scribendos ducit).

refulserit: proprie dixit, nam quaedam aves omnibus rebus quae fulgeant mire quam capiuntur; auferunt scilicet ut in nidis suis collocent⁴.

nummi: est vox q. d. ‘non poetica’¹. Persius ἀισχροκέροδειαν saepe insectatur: vide ‘*viso si palles, inprobe, nummo*’ 4, 47; ‘*visa est si forte pecunia*’ 3,

¹ non ‘assequi’ vel ‘consequi’ (cf. ‘*cuius rei tantae tamque difficilis facultatem consecutum esse me non profiteor, secutum esse prae me fero*’ Cic. nat. deor. 1, 12; ‘*studium cum spe senescit, et quod assequi non potest, sequi desinit*’ Vell. 1, 17, 7).

² theodisce dixeris ‘mit Nachdruck, aber sachlich’. in universum de *quodsi* cf. LHS 571 et Nicolai Horsfall adn. ad Verg. Aen. 7, 310 in: *Virgil, Aeneid 7. A commentary by Nicholas Horsfall* (Mnemosyne, Suppl. 198), Leiden 2000, p. 216.

³ e. g. Hor. carm. 1, 1, 35 (hunc locum fortasse ironice respicit Persius); 3, 1, 41; epod. 10, 21; ep. 1, 2, 70; 1, 9, 11; Prop. 1, 1, 37; 2, 14, 31; 2, 32, 61; 3, 6, 41 (et P. Fedeli ad l. in: *Properzio, Il Libro Terzo delle Elegie*. Introduzione testo e commento di Paolo Fedeli, Bari 1985, p. 225); Luc. 2, 281; Mart. 2, 24, 7; 3, 50, 9; 3, 93, 23; 7, 38, 3; 7, 68, 3; 8, 64, 16 (i. e. 60%); Iuv. 8, 135.

⁴ idque stulte faciunt, quia tamquam avari nesciunt nummis suis sapienter uti (cf. sextam saturam, cuius lemma est divitiis non sordide parcendum, sed recte utendum).

109; *‘inque luto fixum possis transcendere nummum’* 5, 111 cf. praeterea 1, 53 sqq.; 2, 9 sqq, 52 sqq.

13-14 *corvos poetas et poetridas picas / cantare credas Pegaseium nectar.*

corvos poetas et poetridas picas: vide Ind. s. v. ‘attributum’. corvorum atque picarum voces male sonare accepimus². picae sunt praeterea molestissimae loquacitatis³. psittacos hic fortasse consulto non inducit, quia minus molesti sunt quam rapaces corvi⁴ atque loquaces picae (v. quae ad v. 12 dixi). neque tamen absurde prorsus Barthius: ‘Persius tantam copiam habet Poetarum, ut etiam *picas* mox versus facturas opinetur’⁵.

poetas ... poetridas: haec formula epice sonat⁶ et ideo vim comicam auget.

cantare ... nectar: pro: ‘pangere dulcia poemata’. est audax iunctura (cf. *δρόσον ... ἀείδω* Call. fr. 1, 33 Pf.; ‘*mulsa loquitur*’ Plaut. Poen. 325).

cantare: translate dictum sensu ‘carmina pangere’ (cf. ThL 3, 290, 54 sqq.; 66), cum proprius quoque sensus festive audiatur⁷.

Pegaseium: de Pegaso cf. v. 1 adn.

¹ ‘in der .. gehobenen Poesie heißt ‘Geld’ *opes, aurum* od. dgl.; der Gebrauch von *pecunia* sowie von *nummus* ist der Satire und dem Epigramm vorbehalten etc.’ Axelson, *Unpoetische Wörter*, p. 108.

² cf. ‘*inter Ledaeos ridetur corvus olores / ... / improba Cecropias offendit pica querelas*’ Mart. 1, 53, 8-10; Auson. epigr. 80, 5 ed. Green.

³ ‘*pica loquax*’ Mart. 14, 76, 1; Plin. nat. 10, 118; Aelian. nat. anim. 2, 12, 504 b 1; Plu. soll. anim. 19, 973 de.

⁴ cf. Otto, *Sprichwörter*, p. 95 (nr. 448).

⁵ Casp. Barthii *Adversariorum commentariorum libri LX*, Francofurti 1648, col. 1011 (lib. XXI, cap. 1).

⁶ cf. Wills, *Repetition*, p. 280.

⁷ etenim *cantare avium quoque est*, cf. ThL 3, 288, 70 sqq; 290, 52 sq. e. g. ‘*non temere est quod corvos cantat mihi nunc ab laeva manu*’ Plaut. Aul. 624.

SATURA I

DE SUIS ALIORUMQUE STUDIIS

Persius Lucilii in moribus castigandis exemplo sibi proposito, in sui temporis poetas invehitur qui, neglecto vero et honesto, vanam ostentationem affectant; a quo incepto fictus quidam adversarius¹ poetam ita deterrere conatur ut de vero et honesto disquisitionem populo vendibilem non esse affirmet, tum quod procerum animos sit offensura. Persius autem respondet se non ad arbitrium popularis aerae scribere sed, cum mores versos videat, a satira clam scribenda abstinere se non magis posse quam a risu clandestino²; denique ostendit (vv. 123 sqq.) quales velit lectores saturarum suarum.

1 *O curas hominum, o quantum est in rebus inane!*

principium hoc teste Schol. a Lucilio (fr. 9 M) petatum est: *hunc versum de Lucilii primo [sc. libro] transtulit, et bene humanae vitae vitia increpans ab ad-*

¹ quid de adversario apud Persium in universum sentiendum sit, egregie docet Isaac Casaubonus (ad sat. 1, 24): 'observandus autem Persii mos proprius: quoties enim alium inducit sibi aliquid obicentem, sic personam alienam sustinet, ut suam interea non ponat'; cui sententiae iuste succinit Otto Iahnus (ed. a. 1843, p. 71 sq.): 'tanta autem libertate hac dialogi forma usi sunt satirici, ut saepe dubius haereas, utrum cum adversario colloquatur poeta, an secum: quod praecipue apud Persium locum habet, ubi non est certus quidam adversarius, qui unius hominis partes accurate circumscriptas agat, sed omnia, quibuscum rem habet poeta, hac veluti persona comprehenduntur'.

² cf. v. 12; 122.

miratione incipit. iam statim initio Persius se contemplatione vanitatis humanae ad saturas scribendas compulsus esse declarat. iisdem verbis summam etiam totius operis ostendit: versari se in vitiis hominum insecandis (similiter aliquatenus exclamat in 2, 61: ‘*o curvae in terris animae et caelestium inanes*’; cf. 3, 66 sqq.).

o curas hominum: i. e. ‘o quam vanae sunt hominum curae, studia’.
in rebus: ‘in rebus humanis’.

2-3 ‘*quis leget haec?*’ *min tu istud ais? nemo hercule. ‘nemo?’ / vel duo vel nemo. min*: vide Ind. (‘prosodiaca quaedam notabilia’).

vel duo vel nemo: ‘pauci adeo’, ut graecum ἢ τις ἢ οὐδεὶς Hdt. 3, 140, 2; Plat. rep. 6, 496c etc.

3 ‘*turpe et miserabile!*’

sc. ‘erit tibi si nemo tuas saturas leget’.

turpe: quia dedecori est sperni.

miserabile: quia deflendum est nullam gratiam et famam assequi. ceterum de differentia verborum haec tibi nota: *turpem* hominem spernimus, *miserabilis* autem hominis casus miseret nos¹.

3-5 *quare? / ne mihi Polydamas et Troiades Labeonem / praetulerint? nugae.*

Persius respondet: ‘quid est, cur turpe et miserabile putes, si saturas scribam quibus vitiosi Romani Labeonis pessimos versus praeferant? ego talia non curo’.

ne etc. ... *praetulerint?*: intellege: ‘an vereris, ne mihi proceres Romani Labeonem praeferant?’

ne mihi Polydamas et Troiades: ad Hectoris verba alludit: Πουλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχεῖν ἀναθήσει Hom. Il. 22, 100; αἰδέομαι Τρῶας καὶ Τρωάδας ἐλκεσιπέπλους Hom. Il. 22, 105 = 6, 442. Polydamas Troianis consilium dedit, ut intra muros Achillis impetum opperirentur, v. Il. 18, 254 sqq. Persius igitur quasi alter Hector fortiter quidem sed incaute (nam

¹ itaque *miserabile* levior quantum ad dedecus res est, *turpe* vim habet ad dedecus maiorem, cf.: ‘*multis vexatus contumeliis, plurimis iactatus iniuriis non turpis ad te sed miser confugit*’ Cic. Quinct. 98; ‘*Pompeio miserum magis fuit quam turpe ... lucem non aspicere, carere publico*’ Cic. har. resp. 49; ‘*quam miserum est id negare non posse quod sit turpissimum confiteri!*’ Cic. Phil. 2, 61; id. Rosc. Am. 140; Catull. 68, 30.

is propter dementia[m] quandam Polydamantis consilium irritum fecit suamque insaniam postea dolet, v. Il. 22, 99 sqq.) cum carmine suo in publicum prodiit.

Polydamas: Polydamas hic pro quolibet nimis cauto atque semper mussitante ponitur, cuius consilium apud populum multum valere solet. ceterum, cum versus isti Homerici (v. supra) iam inde ab Aristotele¹ in proverbium abiisse videantur, non magnopere quaerendum, quis potissimum per Polydamanta intellegatur.

Troiades: per ironiam de effeminatis² id saeculi Romanis loquitur, qui originem suam a Troianis ducebant. ridetur insolens forma graeca (cf. Hom. Il. 9, 139 Τρωϊάδας δὲ γυναικας) *Troiades*³, qua ineptus ille Labeo fortasse utebatur. cf. v. 31 *Romulidae*.

Labeonem: cf. '*Labeo transtulit Iliadem et Odysiam verbum ex verbo ridicule satis. eius est ille versus: 'crudum manduces Priamum Priamique pisinnos (Hom. Il. 4, 35)'* Schol. cf.: '*Accius Labeo poeta indoctus fuit illorum temporum, qui Iliadem Homeri versibus foedissime composuit*' Schol. ad v. 50. de poeta Accio Labeone nihil praeter haec comperimus. non est tamen quod scholiis fidem deroges.

nugae: i. e. 'si populus mihi Labeonem praefert, nihil curo'.

5-7 *non, si quid turbida Roma / eleuet, accedas examenque improbum in illa / castiges trutina*

non ... accedas ... castiges: 'non, credo, propius iudices istos iniquos adeas atque corrigere velis'⁴.

eleuet: 'minuet, infringat, levius aestimet'⁵. metaphora a trutina: ut lanx gravior attollatur, ex ea aliquid ponderis detrahitur. Romam quasi iniquam trutinam esse dicit, quae semper agitur (ideo *turbidam*⁶ dicit).

¹ NE 3, 11. 116a, 23; Cic. Att. 2, 5, 1; 7, 1, 4.

² cf. Hom. Il. 2, 235 = 7, 96; 'o vere Phrygiae neque enim Phryges' Verg. Aen. 9, 617.

³ quae apud auctores Latinos hoc tantum loco invenitur, cum usitatior forma sit *Troades*.

⁴ his verbis fortasse non interlocutorem adloquitur, sed impersonaliter dicitur: 'non, credo, propius quis ad iudices istos iniquos adeat atque corrigere velit' et porro: 'neque, credo, quis quaesiverit agnitionem sui extra'. cf. 5, 45, LHS 419.

⁵ cf. '*perspicuitas ... argumentatione elevatur*' Cic. nat. deor. 3, 9; '*ea ipsa elevare, quae nunc ... verbis extolluntur*' Liv. 28, 43, 16.

⁶ cf. '*mare turbidum*' Hor. Carm. 1, 3, 19: turbidum mare quia vehementer agitur.

*accedas: coni. potent.*¹

examen improbum ... castiges: iugum trutiniae castiges; quod fit digito iugum percutiendo, 'ut temperetur, et prae agitatione post in aequum conquiescat' Schol. ceterum absurda res est, trutinam, quae continuo percita motu agitur (nam semper *turbida Roma* (vide quae supra ad v. 5 dixi) agitur), digito castigare ut conquiescat.

*trutina: hic sumitur pro tota libra*², quae ex iugo (quod hic *examen* vocatur³), ansa atque duabus lancibus constat.

7-8 *nec te quaesiveris extra. / nam Romae quis non ...?*

hoc sentit, non famam sed conscientiam spectandam esse⁴: 'neque, credo, qualis sis ex alieno iudicio petas, praesertim cum Romae omnes sint corrupti iudicii'.

extra: adverbium.

nam Romae quis non ...?: sentitur 'desipit' vel simile quid. quasi ipse se cohibens (ideo aposiopesis) innuit neminem Romae recte iudicare (respicit versus 5 sqq.).

8-12 haec dicta ex mente poetae quasi fluctuantis et se cohibentis: 'a, si liceat mihi verum dicere – et certe licet, nam saturae hoc est propositum, verum dicere – dicam: cum video senes et meos tristes aequales et omnia ea quae facere solemus pueritiam egressi cum iam severitatem affectamus, non possum risum detinere, tam aspectus iste ridiculus est'. horum veruum sensum pressius ita reddideris: 'cum haec omnia tam absurda video, non possum quin saturam scribam'.

8 *ah, si fas dicere! – sed fas*

ah, si fas dicere!: noli haec verba ad praecedentem sententiam ('*nam Romae quis non ...?*') referre.

¹ cf. '*non ... contemnas ... nec nolis*' Hor. ep. 1, 1, 29-31. de '*non ... nec*' v. KS 1, 194 adn. 2.

² '*trutina est gemina ponderum lances, aequali examine pendens, facta propter talenta et centenaria appendenda*' Isid. orig. 16, 25, 4.

³ theodisce 'Waagbalken'; cf. '*aequato examine*' Verg. Aen. 12, 725; '*examine aequo*' Suet. Vesp. 25; '*examini libramento servato*' Cod. Theod. 12, 7, 1.

⁴ de sententia cf. '*tecum habita: noris quam sit tibi curta supellex*' 4, 52; '*se contentus est sapiens*' Sen. epist. 9, 13; '*ut malis tibi placere quam populo*' Sen. epist. 29, 11 sq.

fas dicere: 'fas est (= licet, concessum est) dicere' sc. mihi. ThL 6, 290, 39 sqq. et 293, 62 sqq. cf. 6, 25 adn. indicativus praesentis verbi 'esse', ex familiaris sermonis habitu, saepissime omittitur, vide Ind. ('ellipsis').

9-10 *tunc cum ad canitiem et nostrum istud vivere triste / aspexi*

tunc: in v. 11 (*tunc tunc*) continuatur.

canitiem: metonymice senes dicit.

et nostrum istud vivere triste: quasi dicat: 'et nostram vitam praepostere morosam' (cf. 'sapimus patruos' v. 11 adn.). hoc opprobrium ad iuvenes spectat, Persi aequales.

vivere: infinitivum pro substantivo positum saepius apud Persium invenies, vide Indicem s. v. 'infinitivus'.

10-11 *ac nucibus facimus quaecumque relictis / cum sapimus patruos*

nucibus ... relictis: 'ludis puerilibus depositis' Schol., i. e. 'aetatem pueritiae egressi'. ductum est proverbium¹ a puerorum lusibus, quos nucibus lusitasse compertum habemus².

facimus: vana nempe facimus, cf. v. 1.

sapimus patruos: 'aliquem sapere' est 'alicui similem esse', itaque 'sapere patruos' est 'similes patruis esse', q. e. 'severitatem affectare' (patruum enim fere severitatis tristitiaequae exempla habebantur, cf. 'fuit in hac causa pertristis quidam censor, patruus' Cic. Cael. 25; Hor. carm. 3, 12, 3 (et Ps. Acro ad l.: 'patruum enim adolescentibus corripiendis austeriores solent esse quam patres etc.)); sat. 2, 2, 96 sq.; 'ne sis patruus mihi' 2, 3, 88; patruorum severitas in proverbium vertit³.

11-12 *tunc tunc ... – ignoscite, nolo / (quid faciam?) sed sum petulanti splene ... – cachinno*

abrupta haec omnia et incohata cum propter cachinni effectum (cf. 'persona cachinnans inducitur ... ob nimium risum vix loqui posse' Donat. Ter. Eun. 1002) tum propterea quod sibi proposuit Persius non coram populo, sed intra se ipsum et cum solo libello indulgere risui, cf. v. 121 sq.

¹ Otto, *Sprichwörter*, p. 248 (nr. 1257).

² Joachim Marquardt, *Das Privatleben der Römer*. Zweite Auflage besorgt von A. Mau. Leipzig 1886, p. 839 sqq.

³ vide Otto, *Sprichwörter*, p. 268 (nr. 1357).

tunc tunc: cum ‘cachinno’ iungendum¹.

ignoscite etc.: ‘date mihi veniam; talis sum naturae, ut rideam’ Schol.

sed: explicativum potius quam adversativum (‘in quasi-kausaler Funktion’ LHS 488): quasi ‘nam’.

petulanti: petulans splen dicitur quia se tenere nequit, i. e. dicit Persius se a risu temperare non posse.

splene: cf. ‘quem [= splenem] quidam etiam risus causa factum existimant.

Nam splene ridemus, felle irascimur, iecore amamus’ Isid. orig. 11, 123².

cachinno: verbum, non nomen.

13-30 loquitur de vanis poetis qui malis versibus suffragia vitiosorum atque imperitae plebis sectantur.

13-14 *scribimus inclusi, numeros ille, hic pede liber, / grande aliquid quod pulmo animae praelargus anhelet*³

scribimus etc. *aliquid*: ‘componimus, abditi in secretis, soluta vel stricta oratione egregium quoddam opus’. cf. Horatianum illud: ‘*scribimus indocti doctique poemata passim*’ ep. 2, 1, 117. ceterum de plurali q. d. sociativo vide Ind.

includi: quasi ‘domi intus clausi’⁴ i. e. ‘in abdito’⁵.

grande aliquid: cf. ‘*cupis grande aliquid et par prioribus scribere*’ Sen. epist. 79, 7.

¹ ‘tunc tunc’ rara perquam geminatio, cf. ‘*tunc mihi, tunc placeant silvae*’ (Tib.) 3, 9, 15; ‘*tunc vero, tunc praecipue manifestus Achilles*’ Stat. Ach. 1, 835, cf. Wills, *Repetition*, p. 109 et Ind. sub voce ‘iteratio’.

² ‘*secundum physicos dicit, qui dicunt homines splene ridere etc.*’ Schol. cf. Plin. nat. 11, 205; ‘*splen tumidus nocet, et risum tamen addit ineptum*’ Seren. Sammon. 426.

³ haec dicuntur fortasse ex mente adversarii, cuius partes apud Persium verborum fastu indicantur (cf. e. g. v. 25). est ab interlocutore inducta prosopopoeia poetarum insulsores suam causam defendentium: ‘quid mali facimus quando abditi (i. e. in secreto) magnum aliquid componimus?’, cui respondit Persius: ‘– *scilicet etc.*’

⁴ sc. a strepitu e turba remoti, quae conditio acerrimo studio maxime convenit. nam studia secessum amant cf. Quint. inst. 10, 3, 22-25; Plin. epist. 9, 36, 1-2.

⁵ cf. de virgine prostituta: ‘quid inclusa feceris, nec quaerere debemus nec scire possumus’ Sen. contr. 1, 2, 2.

pulmo ... anhelet: 'anhelare' hic transitive (= 'spirando alqd. emittere') sumitur¹, respicit 'quod': 'scribimus grande aliquid, quod pulmo omnia magna spirans emittat'². de pulmone affectuum sede cf. 5, 92.

animae praelargus: more poetico adiectivum cum genetivo subst. iungit (cf. e. g. 'largus opum' Verg. Aen. 11, 338). occulte cavillatur Persius istos magni spiritus poetas, cum sciat optimum esse 'tenuem spiritum' cum Horatio habere (cf. Hor. carm 2, 16, 38).

animae: 'spiritus'. cf. 'non animae capax (sc. pulmo)' Sen. Oed. 367; 'pulmo ... attrahens ac reddens animam' Plin. nat. 11, 188.

15-23 sensus: 'cum molliter leguntur carmina, audientium quoque animi ad libidinem excitantur. laudantium laetitiam insectatur, cum aut tumultuose clamant, aut obscenos motus edunt ad dulcedinem carminum, quae effeminant aures intantum, ut audientium quoque animi dissolvantur' Schol. ad v. 19.

15 scilicet haec populo pexusque togaque recenti

scilicet: per ironiam (cf. 2, 19; 4, 4)³. cf. 'qui talia scribis, ut populi iudicio digna sint, qui nunquam recte iudicat, neque sapit' Schol.

haec: sc. quae scripseras.

pexusque: hoc ad nimium cultum corporis pertinet; cf. '... quos pexo capillo, nitidos vides' Cic. Catil. 2, 22; 'ille pexus pinguisque doctor' Quint. inst. 1, 5, 14; 'nosti comptulos iuvenes, barba et coma nitidos, de capsula totos: nihil ab illis speraveris forte, nihil solidum. oratio cultus animi est: si circumtonsa est et fucata et manu facta, ostendit illum quoque non esse sincerum et habere aliquid fracti' Sen. epist. 115, 2.

togaque recenti: toga nova, numquam lota⁴.

¹ cf. 'spumans ex ore scelus, anhelans ex intimo pectore crudelitatem' rhet. Her. 4, 68; 'antraque letiferi rabiem Typhonis anhelant' Lucr. 6, 92; 'omnis anhelat / unda nefas' Stat. Theb. 9, 431 sq.; v. ThlL 2, 67, 18 sqq.

² sunt qui *anhelare* 'spiritum ducere' reddant. perperam. nam *grande* saepius *tumido* opponitur: 'grandia non tumida' Quint. inst. 12, 10, 80; 'pro grandibus tumidi' ib. 10, 2, 16; 'professus grandia turget' Hor. ars 27.

³ cf. Donat. Ter. And. 14.

⁴ cf. 'nullam vestem bis induit' Suet. Nero 30, 2; 'non splendeat toga, ne sordeat quidem' Sen. epist. 5, 3.

16 et natalicia tandem cum sardoniche albus

natalicia cum sardoniche: adeo pretiosum anulum sumit, ut quem die tantum natali gerere soleat. *sardonichem*¹ autem gestat sicut ceteras munditias (cf. v. 15) quo ora audientium in se convertat eisque placeat².

tandem: hoc adverbium indicat finem anxiae atque longae (certe multorum dierum) praeparationis.

cum: sensu 'instructus aliqua re', v. KS 1, 507-508; ThIL 4, 1351, 61-1352, 9.

albus: 'pallidus'³ propter pavorem legendi.

17 sede leges celsa

lector ex pulpito et sublimi sede legebat, auditores vero e subselliis audiebant.

17-18 liquido cum plasmate guttur / mobile collueris

plasmate: plasma metaphorice pro medicamine quo fauces ad leniendam vocem suavioremque reddendam colluuntur⁴.

guttur mobile collueris: i. e. 'guttur collueris ut mobile sit'⁵.

collueris: cf. 'colluendum: quod in ore tenet et reiectat' Gloss. 3, 599, 2.

18 patranti fractus ocello

i. e. 'mollibus, libidine resolutis, oculis', quales esse solent eius qui ad Veneris metam (quae vulgo orgasmus dicitur) venit.

patranti ... ocello: ablativus limitationis.

patranti: 'patratio est rei venereae consummatio' Schol.

fractus: 'id est solutus, effeminatus' Schol. cf. ὄμμα κατακεκλασμένον (sc. cinaedi) Ps. Arist. physiognom. 21; cf. 'qui voluptatem sequitur, videtur enervis, fractus' Sen. dial. 7, 13, 4.

¹ ceterum de sardoniche eiusque generibus atque coloribus v. Plin. nat. 37, 85-89; Isid. orig. 16, 8, 4.

² de simili aliquatenus ostentatione scribit Iuv. 7, 144, et nimirum 'rara in tenui facundia panno' ib. 145.

³ cf. 3, 98; 'timor albus' 115; v. Porph. Hor. sat. 2, 2, 21: 'album: pallidum, ut Persius "albus sede legens etc."'

⁴ cf. 'nec in tragoedorum modum guttur et fauces dulci medicamine colliniendas, ut in ecclesia theatrales moduli audiantur et cantica' Hier. ep. ad Ephes. 3, 5, 19 = PL 26, 562.

⁵ de prolepsi v. KS 1, 239 sq.; Pers. 2, 64 sq.; 3, 5 sq.

ocello: deminutivum venerium v. OLD s. v. 1b; cf. ‘*oculos ... udos ac tremulos*’ Apul. met. 3, 14¹.

19 *hic neque more probo videas nec voce serena*

cf. e. g. ‘*puudet referre ... quibus quam teneris [i. e. puerilibus] clamoribus excipiantur*’ et ‘*ululatus quidem (neque enim alio vocabulo potest exprimi theatris quoque indecora laudatio) large supersunt*’ Plin. epist. 2, 14, 12-13.

hic: sensu: ‘*tum*’ (cf. v. 32).

more probo ... voce serena: ablativi iungendi cum *trepidare* (v. 20).

more probo: dicitur de turpi agitatione (*‘trepidare’*): sunt enim improbi i. e. impudici².

serena: ‘*composita*’. auditores non serena sed turbida et incondita voce acclamant.

20 *ingentis trepidare Titos*

versus, sicut totus hic locus, facetiae quidem sed subturpiculae ironiae plenus.

ingentis: ‘*magnos, clarissimos*’. heroibus hoc vocabulum a poetis saepe inditur, cf. ‘*ingens ... Turnus*’ Verg. Aen. 12, 927, ‘*conueniens ingenti nupta marito*’ Ov. Pont. 2, 8, 43; ‘*Argos ... semper ingentes alumnos educas*’ Sen. Ag. 810 nec non 5, 95 (*alto*) adn.

trepidare: approbationis causa et prae libidine.

Titos: i. e. ‘*Romanos*’³ (cf. *Romulidae* v. 31; *Romulus* v. 87). praeterea hoc vocabulo ut videtur plebeio sermone membrum virile tecte designabatur (cf. ‘*a membri virilis magnitudine dicti titi*’ Schol.)⁴; ideo cum *ingentis trepidare Titos* legas, subaudi: ‘*excitatas ingentes mentulas*’.

20-21 *cum carmina lumbum / intrant et tremulo scalpuntur ubi intima versu*
‘*cum versus recitantis quasi intrent audientium lumbos et intus libidinosum pruritum excitent*’.

¹ cf. quid Quintilianus de oculis oratoris adnotet: ‘*lasciui et mobiles, et quadam voluptate suffusi, aut limi et, ut sic dicam, venerii, aut poscentes aliquid pollicentesve numquam esse debebunt*’ inst. 11, 3, 76.

² cf. ‘*saltare elegantius quam necesse est probae*’ Sall. Cat. 25, 2.

³ ‘*ingentes autem Titos dicit Romanos senatores ... a Tito Tatio rege Sabinorum*’ Schol. cf. Lyd. mag. 1, 19.

⁴ cf. Mart. 11, 51, 1.

carmina lumbum / intrant: excitando libidinem, cuius sedes in lumbis¹ (nempe enim *grande aliquid* (vide v. 14) poeta lector movebat²).

tremulo ... versu: tremulus versus quia vox lectoris effeminata fractaque³ et pavitans, tum quia tremula vox pathicis propria⁴; fortasse etiam ad versuum numeros incitatos spectat⁵.

scalpuntur: vox scalpit intima corporis; apte huc Juvenalis locus facit: ‘*quod enim non excitet inguen / vox blanda et nequam? digitos habet.*’ Iuv. 6, 196 sq. sensus venereus vocibus ‘scalpendi’⁶ et ‘intrandi’⁷ subauditur; eadem ratione his ‘tremulum’ etiam subiungas⁸.

ceterum lascivia non in obscenitate versuum sed in blanda eius qui legit voce constat.

22 *tun, vetule, auriculis alienis colligis escas*

‘tune o improbe, cum pueritiae aetatem iam egressus sis (cf. v. 9), effeminatis auditoribus paras dulcia carmina, quibus illi delectentur?’.

vetule: irrisionis vocabulum, cf. ‘*calve*’ v. 56, quare nihil necesse est de sene cogitare.

auriculis: ‘bibulis, arrectis (attentis) auribus’⁹ sc. auditorum. (auditur et: ‘mollibus auribus’, cf. v. 108 adn.)

alienis: i. e. aliorum, cf. ThL 1, 1568, 12-51.

escas: ‘verborum illecebras’.

23 *auriculis quibus et dicas cute perditus ‘ohe’?*

sensus: ‘quibus auriculis (i. e. auditoribus) simulata modestia satietateque

¹ ‘*dicitur enim libido lumbis immorari*’ Schol. cf. ‘*tibia lumbos / incitat*’ Iuv. 6, 314 sq.

² si audes, accipe *grande aliquid* etiam sensu obsceno (de magnitudine membri virilis).

³ cf. Quint. inst. 11, 3, 91; Hor. carm. 4, 13, 5.

⁴ ‘*tremulis gammitibus*’ Auson. epigr. 115, 4 (Green); ‘*tremula ... voce*’ Claud. 18, 263.

⁵ cf. anonym. ap. Mar. Vict. GLK VI 154, 27: ‘*tremulos quod esse Gallis habiles putant modos*’ (atque haec quidem de galliambis).

⁶ cf. ‘scalpere nates’ = ‘pedicare’ apud Pompon. Com. 76: ‘*videt Dossenum ... non docentem condiscipulum, verum scalpentem*’; cf. Mart. 3, 93, 23 sq.

⁷ cf. Mart. 3, 93, 27.

⁸ cf. ‘*tremulo clune*’ Iuv. 11, 164.

⁹ cf. ‘*aut quidnam est qua tu mercede deorum / emeris auriculas?*’ Pers. 2, 29 sq.; ‘*ut omne / humanum genus est avidum nimis auricularum*’ Lucr. 4, 594 sq.; J. Hanssen, *Latin Diminutives*, Bergen 1953, p. 118.

legendi etiam dicas "ohe, iam satis est"¹. poeta iste labore et libidine confectus atque pallidulus valde assensu auditorum gaudet.

auriculis: i. e. auriculis quae non versibus sed obscoena libidine ex effeminata tua voce delectantur; itaque in sensus variatione repetitionis (*auriculis ... auriculis*) ratio constat. elegantem istam figuram destruit Madvigii coniectura (v. app. crit.), qua nihil opus est. ceterum de emphasi ludicrae repetitionis cf. v. 27 (*scire*) adn. et Indicem s. v. 'iteratio'

quibus et: 'et' postpositum aliquid affectatum exprimere solet²; et aptum est descriptioni putidae istius turbae.

et: cum vi augendi, 'etiam'. cf. ThIL 5, 2, 908, 22 sqq.; 36.

cute perditus: i. e. pallidus propter assiduum scribendi laborem; cf. 'cute perditus: id est vigiliis et sollicitudine ad tenuissimam cutem perductus' Schol. cf. v. 26: 'en pallor seniumque!'. sed auditur et: 'lassus libidine', nam *cute perditus* de eo quoque dicitur qui in rebus venereis multum desudat, ideoque se, ut ita dicam, atterit, pessum dat³ (itaque *cute perditus* est totus perditus, quantus quantus, *intus et in cute?*)

ohe: sensu: 'iam satis est'. simulat satietatem⁴, cum re vera oppido quam auditorum qui pergere iubent clamoribus et libidine eorum delectetur.

24-25 'quo didicisse, nisi hoc fermentum et quae semel intus / innata est rupto iecore exierit caprificus?'

respondet adversarius: quid prodest litteras didicisse, si fructum earum in lucem proferre prohibeor?

quo: sc. 'iuvat' vel sim.

fermentum: ut frustra incias fermentum in massam, nisi ut ea agitetur atque intumescat, sic quid mea mihi ars atque ardor poeticus proderit, nisi ut in publicum prodeat atque me clariorem efficiat.

exierit: ἄ. κ. pertinet ad 'fermentum' et 'caprificus' (cf. v. 46 *exit* adn.). cf. 'fermentum a fervore nuncupatum, quod plus prima hora non potest contineri, crescendo enim excedit' Isid. orig. 20, 2, 18.

¹ cf. Hor. sat. 1, 5, 12; 2, 5, 96.

² cf. 'a neoteric and Hellenistic mannerism' Harrison ad Verg. 10, 448 in: *Vergil, Aeneid 10*. With introduction, translation, and commentary by S. J. Harrison. Oxford 1991, p. 187.

³ fortasse non ab re erit locus Mart. 7, 10, 1-2: '*pedicatur Eros, fellat Linus: Ole, quid ad te / de cute quid faciant ille vel ille sua?*'

⁴ 'interiectio est satietatem usque ad fastidium designans' Donat. Ter. Phorm. 377.

caprificus: haec enim arbor erumpit e muris quantum libet duris; cf. ‘*marmora ... findit caprificus*’ Mart. 10, 2, 9; ‘*ad quae [sc. saxa] / discutienda valent sterilis mala robora fici*’ Iuv. 10, 144 sq.

iecore: iecur, affectuum sedes; cf. ‘*voluptas et concupiscentia iuxta eos qui de physicis disputant consistit in iecore*’ Hier. epist. 64, 1, 3.

26 *en pallor seniumque!*

en haec est futilis causa anxietatis et studii pertinacis: tu propter ostentationem ingenii pallorem et senium contraxisti.

en: vide 3, 5 (*en*) adn.

pallor: propter anxietatem et lucubrationes, cf. 3, 85 (*palles*) adn.; sed luditur etiam in vitiosum pallorem, cf 5, 15 (*pallentis*) adn., sicut *senium* quoque vitiosum esse potest (6, 16).

senium: hic non de senectute sed de corporis et animi habitu. cf. quae ad v. 22 (*vetule*) adnotavi¹.

26-27 *o mores! usque adeone / scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?*²
poeta invehitur in litteras ostentationi comparatas.

scire tuum: infinito verbo pro appellatione utitur, vide Ind. (‘infinitivus’).

scire: de simili effectu ludicrae repetitionis (*scire ... scire ... sciat*) cf. 3, 84.

28 ‘*at pulchrum est digito monstrari et dicier "hic est"*;

digito monstrari: cf. ‘*monstror digito praetereuntium*’ Hor. carm. 4, 3, 22; ‘*toto legor orbe frequens et dicitur "hic est"*’ Mart. 5, 13, 3. simili casu Demosthenes noscitari se a muliercula quadam Attica et digito monstrari laetabatur³.

dicier: infinitivi passivi forma antiquior, vide Ind. (‘infinitivus’).

hic est: sc. hic est vir celeberrimus.

¹ cf. praeterea ‘*inhumanae senium deponere Camenae*’ Hor. epist. 1, 18, 47, ubi Horatius non de senectute, sed de morositate, qualis in senibus esse solet loquitur. cf. 6, 16 (*senio*) adn.

² ‘*hanc frequentem repetitionem πολοκίην vocant, quae fit ex permixtis figuris ... et eisdem sententiis crebrioribus mutata declinationibus iteratione verborum, ut apud Perisium: "usque adeone etc."*’ Quint. inst. 9, 3, 41 sq.

³ Schol. ad l.; Cic. Tusc. 5, 103; Plin. epist. 9, 23, 5; Aelian. var. hist. 9, 17; Diog. Laert. 6, 2, 6.

29-30 *ten cirratorum centum dictata fuisse / pro nihilo pendes?*

‘an tu nihili facis tantam auctoritatem adipisci, ut carmina tua in scholis a pueris ediscantur?’

cirratorum: cirrati hoc loco pueri dicuntur scholam frequentantes propter capillos qui grandioribus tondebantur, cf. “*cirratis*”, *capillatis pueris, quoniam apud antiquos criniti erant adulescentes usque ad certam aetatem*’ Schol. ‘*matutini cirrata caterva magistri*’ Mart. 9, 29, 7. ‘*tu autem, etiam tu rides, cepa cirrata?*’ Petron. 58, 2.

centum: pro infinito numero.

dictata: dictata (plurale tantum) sunt omnia (ut theses, praecepta, carmina, orationes etc.) quae magistri discipulis scribenda ediscendaque tradunt; ‘*meam in illum [sc. orationem] pueri omnes tamquam dictata perdiscent*’ Cic. Q. fr. 3, 1, 11; Hor. epist. 1, 1, 55; 18, 13; cf. ‘*an tua demens / vilibus in ludis dictari carmina malis?*’ Hor. sat. 1, 10, 74 sq.

30-40 vanam esse carminum gloriam cum fuit nulliusque momenti sint ebriorum saturorumque convivarum clamores qui laudent carmina per anagnosten vel lectorem quandam delicatulum lecta.

30-31 *ecce inter pocula quaerunt / Romulidae saturi*

proceres opipare epulantes inducit et iam cibo vinoque graves.

inter pocula: idem fere ac ‘dum bibunt’; cf. ‘*inter pocula atque epulas*’ Liv. 39, 43, 4; ‘*inter scyphos*’ Cic. fam. 7, 22; ‘*media inter pocula*’ Iuv. 8, 217; Plaut. Pseud. 947; Verg. geo. 2, 383.

Romulidae: Romulidas vocat ironice nobiles Romanos, cf. v. 4 (*Troiades*) adn.

31 *quid dia poemata narrent:*

‘quid divina carmina dicere habeant’.

32 *hic aliquis, cui circum umeros hyacinthina laena est*

hic: ‘tum’¹, est ‘adverbium temporis, ut Vergilius “*hic annis gravis atque animi maturus Aletes* [Aen. 9, 246]”’ Donat. Ter. Andr. 389. hoc adverbio persona loquens apte in medias res inducitur².

¹ quaedam scitu etiam nunc digna de adverbio *hic* apud Philippum Wagner, *Quaest. Virgil. XXIII* (in: *Virgilius ... Lipsiae 1832*, vol. 4, p. 486-488) invenies.

² cf. Verg. Aen. 2, 386; Hor. sat. 1, 9, 7; Cic. de or. 3, 83.

aliquis: lector quidam.

hyacinthina laena: vestis pretiosa denotat hominem delicatum cf. ‘*qui lacernas coloris improbi sumunt*’ Sen. epist. 114, 21. *hyacinthinus* est color inenarrabilis, violaceo, ut videtur, pallidior dilutiorque atque non adeo renitens¹.

33 *rancidulum quiddam balba de nare locutus*,

rancidulum: ‘putidiusculum’. cf. ‘*putidum non solum ab odore foetido et gravi quod naribus probetur, sed et quod auribus triste, insuave, austerum, rancidum et putidum dici posse auctoritas vetustatis admisit*’ Non. p. 460, 26-28 M.

balba de nare: ‘balbe de nare’. lector iste non plane sed obscure pronuntiat quo sublimior appareat.

balba: cf. ‘*balbe: obscure*’ Non. p. 80, 7 M.

de nare: sicut hodie quoque de nare loqui solent qui obscuritatem vel fastum affectant.

nare: de differentia vocabulorum *naris* et *nasi* haec in universum adnotaverim: *naris*² usurpatur in poesi fere sublimiore vel in locis delicatioribus (ut hic de homine effeminato agitur), *nasi*³ vero vocabulum in poesi summissiore tantum reperitur.

locutus: scilicet foetidum quiddam, priusquam carmen recitet, praefatus.

34-35 *Phyllidas Hypsipylas vatam et plorabile siquid / eliquat*

Phyllidas Hypsipylas: hae heroides propter spretum amorem infelicissimae habebantur⁴. plurali numero contemptus interdum exprimitur, cf. 3, 79; LHS, 19.

¹ adi sis André, *Étude*, p. 197 sq.

² saepius apud Lucr. Verg., Ov., Sil.; ter Enn. (ann.), Hor. (epod., sat., epist.); bis Plaut.; semel Varro in Men., Prop., Sen. trag., Val. Fl.; quater Phaedr.; ter Pers.; sexies Mart.; bis Iuv.

³ saepius Plaut.; sexies Lucil., Iuv.; semel Ter., Lucr., Varro in Men., Phaedr.; quinquies Catull., Hor. (sat., epist.); quater Pers.; tredecies Mart.

⁴ ‘*Phyllis, Sithonis filia, regina Thracum fuit. haec Demophoontem, Thesei filium, regem Atheniensium, redeuntem de Troiano proelio dilexit et in coniugium suum rogavit. ille ait, ante se ordinaturum rem suam et sic ad eius nuptias reversurum. profectus itaque cum tardaret, Phyllis et amoris impatientia et doloris impulsu, quod se spretam esse credebatur, laqueo vitam finivit*’ Serv. ecl. 5, 10 (sed cf. Hyg. fab. 59). ‘*Hypsipyle ... una ex Lemniadibus mulieribus, Thoantis filia, Liberi patris neptis, postquam eam, factis duobus*

vatum et plorabile siquid: brevilocutione ex contemptu, nam sensus est: 'et siquid est vatum plorabile'. 'plorabile' flebilior est quam 'lacrimabile' (cf. 'lacrimandum est non plorandum' Sen. epist. 63, 1).

vatum et: 'et' postpositum, cf. 6, 13 (*securus et*).

siquid: fere 'quidquid'.

eliquat: verba quasi stillatim (metaphoram enim de vino sumpsit quod per collum transfundebatur) semiclauso ore enuntiat¹ (hoc facile assequeris si ipse consonantes et vocales enunties: 'Phyllis, Hypsipyle'. cf. praeterea, si vacat, quid de litteris 'y' et 'z' al. Quintilianus sentiat, inst. 12, 10, 27 et sqq.).

35 *ac tenero subplantat verba palato*.

tenero: 'molli, quasi effeminato', cum reprehensione dicitur, cf. OLD s. v. 7.

subplantat: i. e. enuntiando pervertit (proprie: 'non sinit currere', cf. 'supplantare dictum est pedem supponere' Non. p. 36, 2 M.). ridiculum, quod non magna aliqua vi sed *tenero* palato verba supplantat.

36 *adsensere viri: nunc non cinis ille poetae / felix?*

εἰς ὄνικῶς: nonne etiam in sepulcro felix est poeta ille, cuius carmina ab his praeclaris auditoribus laudantur?

assensere viri: lectum carmen placuit discumbentibus: 'probaverunt viri'. iocose epicam gravitatem imitatur, cf. 'adsensere omnes' Verg. Aen. 2, 130.

viri: per ironiam dictum de nobilibus cf. *Romulidae* (v. 31).

nunc ... (nunc): emphatice, 'iam ... iam'.

nunc: *nunc* in sermone plerumque familiari² saepius non tempus distincte indicat, sed ad rerum rationem conditionemve transfertur, sensu 'hoc rerum statu, cum hoc sit'.

filiis apud Lemnios, Iason reliquit, qui eo tempore cum Argonautis venerat, nec ad eam rediit ex Colchis; comperto postea illum ad suam patriam rediisse et se neglectam, ingratum eius amorem diu secum flevit Schol.

¹ cf. 'Jedes Wörtchen gleichsam durch die Lippen durchsieht, filtriert, Persius *eliquare verba*, affektiert aussprechen' G. Chr. Lichtenberg, *Südelbücher D₁ 505* (G. Chr. Lichtenberg, *Schriften und Briefe*, hrsg. Wolfgang Promies, München 1968, vol. 1, p. 307); cf. 'Die Wörter durchsehen filtrieren, *eliquare verba*. Persius' *Materialheft 1, 13* (id., München 1971, vol. 2, p. 569).

² cf. Hofmann, *Lateinische Umgangssprache*, p. 42.

non: pro 'nonne', ut saepius. v. Ind. s. v. 'non'.

cinis ... felix: per irrisionem, quasi vero mortui humanas laudes curent (cf. 6, 41).

37 *non levior cippus nunc inprimit ossa?*

cippus: 'proprie cippus est lapis sepulchri' Schol. notum est in vulgus illud: 'sit tibi terra levis' (ThlL 7, 2, 1202, 71 sqq.), cf. e. g.: 'te, lapis, obtestor, leviter super ossa residas, / ne nostro doleat conditus officio' CE 971, 10 sq.

nunc: cf. v. 36 (*nunc*) adn.

38 *laudant convivae:*

laudant: 'laudare' plus est quam 'assentire' (vide v. 36) et melius cadit in parasitos, qui omnia, quae patroni approbant (*assensere viri* v. 36) inflatus in maius extollunt.

convivae: de parasitis¹ hic loquitur, humilitatem rei lenitate verbi mitigans (nam ceteri sunt nobiles *viri* (v. 36)).

38-40 *nunc non e manibus illis, / nunc non e tumulo fortunataque favilla / nascentur violae?*²

e manibus: 'e cinere et sepulcro' (auditur et animae notio, quae prope cinerem et tumulum versatur), proleptice ad sequentia refertur.

fortunata ... favilla: 'felix cinis (sc. poetae)'.

violae: est flos manibus gratum³. (fortasse non sine consilio violas fingit, scilicet ut ad colorem ridiculae illius 'hyacinthinae laenae' (v. 32) alludat).

40-41 '*rides*' ait '*et nimis uncis / naribus indulges*.

'derisor es intemperans', obicit Persio interlocutor. cf. v. 119.

ait: similiter interlocutor inducitur in v. 85.

nimis: cum '*indulges*' iungendum.

¹ de 'conviva' sensu parasiti cf. Hor. sat. 1, 10, 80; epist. 1, 13, 15; Iuv. 5, 74; 9, 10 v. RE 18, 4, 1399.

² cf. Shakespeare: 'Lay her i' the earth; / and from her fair and unpolluted flesh / may violets spring!' Hamlet 5, 1, 260.

³ v. OLD s. v. 1b.

uncis / naribus: nasus corrugatus est signum contemptus et irrisionis; cf. ‘*naso adunco*’ Hor. sat. 1, 6, 5; ‘*quem novi mores subdoliae irrisioni dicavere, nasus*’ Plin. nat. 11, 158; ‘*naribus labrisque non fere quidquam decenter ostendimus, tametsi derisus contemptus fastidium significari solet*’ Quint. inst. 11, 3, 80.

naribus: cf. 1, 33 (*nare*) adn.

41-42 *an erit, qui velle recuset / os populi meruisse*

‘an inveniatur quisquam qui nolit famam hominum emerere?’

velle recuset: fortius dictum quam si ‘nolit’ dixisset; nam quotus quisque est tam durus, qui non solum gloriam non curet, sed ultro fortiter aversetur?

recuset ... meruisse: vide Ind. s. v. ‘infinitivus’.

os populi: ‘famam, laudem popularem’. cf. ‘*ore legar populi*’ Ov. met. 15, 878; Verg. geo. 3, 8 sq.; Enn. var. fr. 18 V.

42-43 *et cedro digna locutus / linquere nec scombros metuentia carmina nec tus?*

‘et condere immortalitate digna carmina, quibus non erit periculum, ne destruantur’.

cedro digna: i. e. ‘immortalitate digna’. oleum e cedro¹ corruptionem arcet, cf. ‘*carmina digna cedro ideo dixit, quod mos apud veteres erat, ut chartae, in quibus nobilia carmina scribebantur, oleo cedrino inungerentur, quod et diu durabiles faceret, et a tineis conservaret*’ Schol.

linquere: ‘post se (posteris) relinquere’, cf. OLD s. v. 5. poetice dicit², in prosa oratione dixeris ‘relinquere’.

nec scombros metuentia carmina nec tus: ‘ideo hoc dicit, quod chartae, in quibus vilia carmina scribuntur, quasi non necessaria, aut ad tus inciduntur involvendum, aut ad salsamentum’ Schol.³

carmina: dicitur de carminibus scriptis, cf. ThLL 3, 470, 37 sqq.

44 *quisquis es, o modo quem ex adverso dicere feci,*

‘quisquis es, quem induxi modo mecum colloquentem, me monentem’. Ottonis Iahn⁴ verba de interlocutore Persiano mea facio: ‘scilicet non cer-

¹ Iuniperus oxycedrus L.

² cf. ‘*qui [sc. Epicurus] talia nobis ... praemia liquit*’ Lucr. 5, 4 sq.

³ cf. Catull. 95, 7 sq.; Hor. epist. 2, 1, 269 sq.; Mart. 3, 2, 3 sqq.

⁴ Iahn, p. 89.

tam quandam sibi fingit personam, quacum colloquatur, sed id ipsum, contra quod modo disputat, quasi quadam figura comprehensum, adversarium sibi facit, unde fit, ut non unus sit semper et idem, sed varias partes agat¹.

modo: 'paulo ante' (proximum antecedens tempus significat)¹.

dicere feci: sensu 'fingere' v. KS 1, 694 cf.: '*poetae impendere ... saxum Tantalo faciunt*' Cic. Tusc. 4, 35; '*Polyphemum Homerus ... cum ariete colloquentem facit*' ib. 5, 115. de constructione cf. Menge § 349, 3.

45-62. 'equidem non sum tam durus, ut laudibus non movear, sed nolo laudari ab iis qui absurda quoque carmina probant. nam si introspicias has adulantium acclamationes, quid in se stultitiae vel adulationis non habent?' praeterea poeta dives a clientibus sibi obstrictis sincere laudari non potest (53-57). divites poetae in os laudantur, a tergo deridentur (58-62).

45-47 *non ego cum scribo, si forte quid aptius exit – / quando hoc? rara avis est –, si quid tamen aptius exit, / laudari metuam, neque enim mihi cornea fibra est.*

'equidem si quid perfectum scripsi (quod quidem apud me rarum est) non sum tam durus, ut laudes asperner¹.

aptius: 'concinnius, perfectius'².

exit: 'prodit, evadit', effectum indicat, nam 'exire' saepe de opere quodam absoluto usurpatur ('*si quid numeris exierit aptius*' Quint. inst. 12, 10, 26; '*vasculum, ut perfectum exeat*' Augustin. civ. dei 7, 4; Hor. ars 22; Mart. 11, 31, 11). cf. praeterea 5, 78 (*exit*) adn. verbo *exeundi* ludit Persius in adversarii verba ('*exierit caprificus*', v. 25), sicut '*fibra*' spectat ad *iecur* (ib.).

rara avis est: proverbialis locutio, cf. e. g. '*aut si bona fuerit et suavis uxor, quae tamen rara avis est*' Hieron. adv. Iovin. 1, 47 = Sen. fr. 56 Haase; Iuv. 6, 165; Otto, *Sprichwörter*, p. 51 (nr. 232).

cornea: 'dura'.

fibra: 'viscera'. nam fibrae interdum sunt ipsa exta, iecur, cor, pulmo (cf. OLD s. v. 5). in fibris vis sentiendi inest, vide 3, 32; 5, 29.

¹ spectat praesertim ad vv. 24 sq.; 28 sqq.; 40 sqq.

² cf. e. g. Cic. nat. deor. 2, 47.

48-49 *sed recti finemque extremumque esse recuso / 'euge' tuum et 'belle'.*
 'at nego laudes istas summum bonum esse'.
recti finemque extremumque: vocabula a philosophis mutuata¹.

49-50 *nam 'belle' hoc excute totum: / quid non intus habet?*
 'nam si laudem istam diligentius examines, quid ea non complectitur?'
 i. e. laus ista ad quodvis malum opus pertinere potest.
excute: 'scrutare laudandi rationes'. excutere est quatiendo perquirere,
 ut exeat si quid absconditum est.

50-51 *non hic est Ilias Atti / ebria veratro?*
non: 'nonne'.
non hic est Ilias Atti: 'non pertinet haec laus ad Iliadem Attii?', i. e.
 'nonne exclamas idem 'belle', cum Ilias Attii, pessimum carmen, legitur?'.
 de Attio vide adn. ad vv. 3-5.

ebria veratro: 'nimis sana i. e. ieiuna atque arida', oxymoron (elleborum enim insanientibus mederi, notum est²). Ilias Attii molestae tantum diligentiae opus fuisse videtur, sine ullo furoris illius poetici igniculo. nam vere divinos poetas insanientes fuisse didicimus, at iste ineptus Attius, ut erat natura ieiuno atque arido ingenio, tum elleboro epoto, duplo ut ita dicam aridior et ieiunior quam fuerat, factus est, idque ridetur³. sumpsit autem elleborum Attius acuendi ingeni causa – ut Plinii sententia utar – 'ut plerique studiorum gratia, ad pervidenda acrius'⁴ quae versibus conscribilibat. lepide Attium deridet: dum subtilis gravisque poeta videri studet, versus ridiculos condit, qui non vim poeticam, sed elleborum tantum referunt.

¹ cf.: 'his libris quaeritur, quid sit finis, quid extremum, quid ultimum, quo sint omnia bene vivendi recteque faciendi consilia referenda, quid sequatur natura ut summum ex rebus expetendis, quid fugiat ut extremum malorum' Cic. fin. 1, 11; 'nam hunc ipsum sive finem sive extremum sive ultimum definiebas id esse, quo omnia, quae recte fierent, referrentur' ib. 2, 5.

² Plin. nat. 25, 50.

³ si scripsisset Persius 'ebria vino' non perinde ridiculum esset, quippe cum multi praeclari poetae vinum libenter biberent; v. Hor. epist. 1, 19, 1-11.

⁴ Plin. nat. 25, 51; cf.: '[Carneades] cum Chrysippo disputaturus elleboro se ante purgabat ad expromendum ingenium suum attentius' Val. Max. 8, 7 ext. 5; 'Chrysippus ut ad inventionem sufficeret, ter elleboro animum detersit' Petron. 88, 4.

51-52 *non siqua elegidia crudi / dictarunt proceres?*

ab ieiuno (nam elleboro stomachus purgatur)¹ Attio ad saturos proceres transit.

non: 'nonne' sc. *hic est* (vide v. 50).

siqua: 'quaecumque, quaeque'.

elegidia: diminutivum sumit ut mollitiem huiusce temporis exprimat²;
cf. '*elegidarion*' Petron. 109, 8.

crudi: pleni cibo nondum concocto, saturi (cf. v. 31). vulgatum est multum cibum inconfectum homines inhabiles studiis acrioribus reddere³. (auditur et illud: procerum carmina indigesta sunt).

52-53 *non quidquid denique lectis / scribitur in citreis?*

sensus: 'nonne laudantur omnia, quae scribuntur a divitibus?'

non: sc. *hic est* (vide v. 50).

denique: usurpatur ubi aliquot rebus enumeratis subicitur ultima (vel gravior vel quae dicentem maxime occupat), hic cum notione: 'et omnino'⁴, cf. ThLL 5, 1, 532, 11 sqq.⁵ hoc modo ad sequens exemplum divitis (vv. 53 sqq.) transit⁶.

citreis: de citreis lectis loquitur, qui in magno pretio apud Romanos fuerunt⁷. citrus est *Θύα*; *Thuia articulata* Vahl.

53-57 irridet stultitiam illorum, qui lautis cenis et muneribus clientium applausum quasi eliciant, cum ipsi dicant se incorruptum de carminibus suis iudicium exspectare.

53-54 *calidum scis ponere sumen, / scis comitem horridulum trita donare lacerna*

cf. '*non ego ventosae plebis suffragia venor / impensis cenarum et tritae munere vestis*' Hor. epist. 1, 19, 37 sq.; cf. ars. p. 422-428.

¹ Gell. 17, 15, 1.

² '*elegidia dixit derivatum ab elegis, ut et hoc nomen mollitiem aliquam significet*' Schol.

³ Quint. inst. 11, 3, 27.

⁴ theodisce 'und überhaupt' dixeris.

⁵ cf. 'singulis rebus expositis, ubi totam seriem uno conspectu consideramus ... ibi id addere solemus, quod ... unum esse instar omnium et paucis verbis omnia esse comprehendenda dicimus' Ferdinandi Handii *Tursellinus* ... Lipsiae 1832, vol. 2, p. 270 sq.

⁶ cf. 'saepe utuntur hac formula scriptores, ubi multa dici possunt, sed oratio ad id, quod maximum et validissimum est properat' ib. p. 271.

⁷ cf. Plin. nat. 37, 204.

calidum ... sumen: *sumen*¹ *ferculum erat Romanis in deliciis*².

calidum: *quia moris erat ferventes cibos inferre*³.

scis: *ironice dictum*, cf. 1, 132.

ponere: ‘*apponere*’. cf. 3, 111 adn.

comitem: ‘*clientem*’.

horridulum: ‘*squalidum*’, *pauperem*. cf. ‘*contentus ... dura atque horrida veste*’ Sen. epist. 18, 5; ‘*horrida chlamys*’ Stat. Theb. 4, 235; ‘*riget horrida tergo / palla*’ id. 1, 109 sq.⁴

trita: ‘*vetere*’, *quae longo usu trita est*. cf. Hor. ep. 1, 19, 37 sq. (cit. supra).

55 et ‘*verum*’ *inquis* ‘*amo, verum mihi dicite de me.*’

lege si vis Mart. 8, 76.

mihi ... me: *polyptoton insistentis*, cf. Wills, *Repetition*, p. 241.

de me: ‘*de versibus meis, de ingenio meo*’; Persius vero *dedita opera hominem simpliciter agit aliterque percontationem accipit atque est* (i. e. non de ingenio sed de forma corporis): ‘*vis de te verum dicam? calvus es et obesus*’ (v. 57).

56 *qui pote? vis dicam? nugaris, cum tibi, calve,*

qui pote?: ‘*quomodo fieri potest, ut cliens a te donatus verum tibi dicat?*’

vis dicam?: sc. *verum*. (cf. ‘*vis dicam tibi veriora veris?*’ Mart. 6, 30, 6).

nugaris: ‘*ineptis*’.

calve: *fortiter quidem Persius, non tamen inurbane*⁵ *cavillatur*, cf. v. 128. *intellegitur et*: ‘*stupide*’ vel *sim*⁶. *color orationis petitus a mimis, ubi*

¹ *sumen* ‘*proprie a sugendo dictum; nam et mulieris mammam sumen veteres dici volunt*’ Non. p. 458, 2 M.

² v. Lucil. 175 M; Plin. nat. 11, 211; Apic. 7, 2, 1 sqq.; Mart. 13, 44.

³ cf. Petron. 31, 11.

⁴ alii minus apte explicant: ‘*trementem*’ (Serv. geo. 3, 199) sc. *prae frigore* (cf. Ov. am. 2, 16, 19; Mart. 3, 36, 3), cui *explicationi illud aliquid ponderis addit quod fringenti calidum sumen res iucunda est*.

⁵ *apposite ad h. l. Macrobius: ‘haec et talia sunt quae plus urbanitatis minus amaritudinis habent, ut sunt et illa de non nullis corporis vitiis aut parum aut nihil gignentia doloris, ut si in calvitium cuiusquam dicas vel in nasum, seu curvam erectionem seu Socraticam depressionem. haec enim quanto minoris infortunii sunt tanto levioris doloris. contra oculorum orbitas non sine excitatione commotionis obicitur*’ sat. 7, 3, 11.

⁶ *nam calvities risu iurgioque infestabatur*, cf. ‘*calvitio ita offendeatur, ut in contumeliam suam traheret, si cui alii ioco vel iurgio obiectaretur*’ Suet. Dom. 18, 2, et

moriones capitibus rasis¹ ridicule² inducebantur, quibus colaphos excipiebatur³ (similia aliquatenus patitur in vv. 58-60). haec vox sermoni cottidiano propria, raro admodum apud poetas invenitur (semel Plaut., Lucil., Varro Men., Pers., Iuv., carm. Suet. Iul. 51; quater Phaedr., sexies Mart.)

57 *pinguis aqualiculus propenso sesquipede exstet.*

ut in proverbio est: *παχεῖα γαστήρ λεπτόν οὐ τίκτει νόον* (Galen. hyg. 37 = 5, 578 K), cf. *'nam pinguis venter non gignit sensum tenuem'* (Hier. epist. 52, 11 = CSEL 54, 435).

aqualiculus: *'aqualiculus ... proprie porci est; hinc ad ventrem translatio'* Isid. orig. 11, 1, 136.

propenso: propensus est ante atque deorsum pendens.

58-62 monet nobiles qui irrisioni vel maxime (quia divites multos clientes habere solent) expositi sunt, ne stultum istum imitentur, qui irridetur: *'o vos nobiles Romanos, qui non sicut Ianus estis cui datum est omnia pervidere, nullam praebete subdolis vestris laudatoribus vos irridendi occasionem, nam cum aperte laudant, occulto tamen et post tergum vos irrident et fastidiunt'*. vide D. Hieronymi epistulam 125, 18 (CSEL 56, 137), ubi et tres irrisionis modi describuntur: *'ne credas laudatoribus tuis, immo irrisoribus aurem ne libenter accommodes, qui cum te adulationibus foverint et quodammodo impotem mentis effecerint, si subito respexeris, aut ciconiarum deprehendes post te colla curvari, aut manu auriculas agitari asini aut aestuantem canis protendi linguam'*.

58 *o Iane, a tergo quem nulla ciconia pinsit*

Iane: *'Ianus dicitur bifrons esse, qui nec poterit derideri nec ei a tergo sanna fieri'* Schol.

ipse Domitianus per iurgium populi *calvi Neronis* (Iuv. 4, 38) nomen accepit, cf. Mart. 11, 33, 3; *'calviti deformitatem ... obtrectatorum iocis obnoxiam expertus'* Suet. Iul. 45, 2; cf. ib. 51; *'in calvos ... iaculari'* Petron. 109, 8; *μῶρον ὄρᾶς φαλακρόν* AP 11, 434, 2.

¹ cf. *'pulsandum vertice raso / praebebis quandoque caput'* Iuv. 5, 171 sq. et Courtney ad l. cf. LSJ s. v. *φαλακρός*.

² *'quid habes in surpiculis, calve?'* Pompon. com. 119; ThIL 3, 194, 71 sqq.; *'calvitur ... a calvis mimicis, quod sint omnibus frustratui'* Non. p. 6, 21 sq. M. ridiculum vitium (v. Petron. 109, 10; Mart. 5, 49; 12, 45).

³ cf. e. g. Mart. 5, 61, 11.

ciconia: ‘*ciconia, quam manu formare solent irrisores, qui unitate [h. e. iunctim] collatos digitos agunt ad inferiorem partem inclinatam similitudine ciconini rostri, quod cum praesentant post tergum motitantes, derident quos volunt*’ Schol. cf.: ‘*numquam post tergum meum manum curvarent in ciconiam*’ Hier. praef. in Soph. PL 25, 1337 = CC 76 A, 655.

pinsit: est proprie ‘tundere, terere’, hic sensu: ‘*assidue percussit*’ Schol.

59 *nec manus auriculas imitari mobilis albas*

hic versus per zeugma ad v. 58 (*‘pinsit’*) refertur: ‘*quem¹ (Ianium) neque manus irrident etc.*’ de ipso irrisiois gestu recte Schol.: ‘*auriculas albas, id est asininas; nam sic stulti ridentur. apposito temporibus pollice imitantur aures asini aliis digitis*’.

imitari mobilis: de adiectivo cum inf. vide Ind. (‘*infinitivus: infinitivus adiectivo additur*’).

(*manus ...*) *mobilis*: aures asinorum agiles esse omnibus notum: ‘*instabilesque imas* (sc. aures) *facit et dat posse moveri*’ Ov. met. 11, 177.

albas: asini aures intus albae sunt, cf. ‘*villisque albensibus implet* (sc. Apollo Midiae aures)’ Ov. met. 11, 176.

60 *nec linguae, quantum sitiatis canis Apula, tentae!*

cf. ‘*aut protendunt [sc. irrisores] linguam, quantum Apula canis multa sitiatis*’ Schol. lingua autem non recta (quod irrisiois tantum² signum esset) protenditur, sed ad dextram vel sinistram partem³. hoc enim modo monstrant irrisores se iam in adulatione defatigatos esse.

linguae etc.: scilicet tam longe exsertae ore linguae quantum Apula canis sitiatis exserat linguam.

sitiatis: coni. potent.

Apula: Apulia regio solis aestu arida est atque siticulosa, cf. ‘*nec tantus umquam siderum insedit vapor / siticulosae Apuliae*’ Hor. epod. 3, 15 sq.; ‘*ubi lati campi, ibi magis aestus, ut eo in Apulia loca calidiora ac graviora*’ Varr. rust. 1, 6, 3.

¹ quasi dicat: ‘*cuius in contumeliam nulla manus a tergo asini aures expressit*’

² sic male intellegunt interpretes omnes: nimirum canem aestuantem numquam viderunt.

³ cave huc conferas τὴν γλωσσαν τελευτων [ἔλκων Maas] ὡς κύων ὅταν πίνῃ Callim. fr. 191, 83 Pf.

61-62 *vos, o patricius sanguis, quos vivere fas est / occipiti caeco, posticae occurrite sannae.*

‘o vos, nobiles Romani¹, quibus a natura denegatum est oculos in occipitio habere (i. e. qui non habetis duplicem Iani faciem; non estis tam vafri² ut omnia pervidere possitis) cavete, ne a tergo derisui sitis’.

vos, o patricius sanguis: honorifica allocutio (cf. ‘*vos, o / Pompilius sanguis*’ Hor. ars 291 sq.), quam quidem in ironiam vertit.

patricius: proprie dictus est qui e familia aliqua eorum senatorum ortus, quos Romulus et Tarquinius Priscus legerunt; hic generaliter de nobilibus Romanis.

sanguis: sensu ‘progenies’. cf. ‘[parentes] *maligne circa sanguinem suum inferentes iudicium*’ Gaius dig. 5, 2, 4; ‘*o pater, o genitor, o sanguen dis oriundum*’ Enn. 113 V = 105 Sk.; Verg. Aen. 6, 834.

fas est: ‘i. q. necesse est (propter fatum aut propter rerum naturam)’ ThLL 6, 293, 56 sqq.

occipiti caeco: ‘sine oculis in occipitio’.

occipiti: ‘occiput’ est hapax legomenon, nam ‘occipitium’ in metrum non cadit.

posticae ... sannae: i. e. occultae irrisioni.

posticae: quae fit a tergo³.

occurrere: *occurrere* cum dativo saepe sensu ‘(studeo) avertere aliquid’ ponitur⁴. cf. 3, 64.

sannae: ‘*sanna dicitur os distortum cum vultu, quod facimus cum alios deridemus*’ Schol.

63-68 prioribus versibus de stultitia poetarum agebatur, his vero et sequentibus malam sui temporis poesim in universum vituperat Persius; itaque secum loquitur: ‘at si populi sermo audiendus est, quid audies nisi meras malorum poetarum laudes?’

¹ nam pauperes minus in id genus irrisionis, quae a clientibus fit, incidunt.

² cf. Otto, p. 249 (nr. 1263); Häußler, *Nachträge*, p. 242.

³ ‘*posticum ostium dicitur in posteriore parte aedium. ceterum antiqui etiam vicinum habitantem ad posteriorem partem aedium sic appellarunt. denique et quae ante nos sunt antica, et quae post nos sunt postica dicuntur*’ Fest. p. 244, 1-4 L.

⁴ cf. ‘*occurram enim necesse est et ... resistam his*’. Quint. inst. 8, pr. 18.

63-64 *quis populi sermo est? quis enim nisi carmina molli / nunc demum numero fluere,*

*populi: populus hic idem valet ac 'auditores, das Publikum'*¹.

quis enim: in acrioribus asseverationibus usurpatur, cf. OLD s. v. 1b.

nunc demum: cum contemptu omnium veterum poetarum dictum: iam denique versus perfectissimos i. e. molles et leves videmus.

64-65 *ut per leve severos / effundat iunctura unguis?*

imago tracta ab operibus marmoreis, in quibus partes ita inter se aptantur et cohaerent, ut unguis superductus nullam offendat rimam et propter levitatem subsistere nequeat. cf. *'tractum a marmorariis, qui quotiens volunt bene coaptatam iuncturam marmoris approbare, ungue experiuntur, si ulla inaequalitas ipsam levitatem offendit'* Schol.

effundat: quasi 'eiciat', faciat ut unguis per leve elabatur.

iunctura: iunctura sive coniunctio, quae oritur ex collocatione ita apta syllabarum ac verborum ut versus molliter, sine salebris², fluere videantur³.

65-66 *'scit tendere versum / non secus ac si oculo rubricam derigat uno.*

pergit, non sine ironia (de qua vide v. 68 adn.), sermonem populi referre: 'poeta noster scit ad rectam lineam intendere versum (i. e. versum perfectum facere) tamquam bonus faber recte tendit funem'⁴. fabri ad rectas lineas ducendas funiculo rubrica illito (στάθμη, σπάρτη)⁵ utebantur, quem, ut videtur, huc illuc serrae instar ita ducebant reducebantque, ut superficies rubrica⁶ inficeretur.

scit: sc. poeta.

tendere: imago a rubrica sumpta: tamquam derigere, rectum collocare, quasi recta linea versus struere i. e. perfectos versos facere.

¹ cf. *'quamvis aliquo tempore suum populum habuerit'* Sen. contr. 10 praef. 2

² cf. *'nolunt sine salebra esse iuncturam'* Sen. epist. 114, 15.

³ cf. *'versus est, ut Varroni placet, verborum iunctura, quae per articulos et commata ac rythmos modulatur in pedes'* Mar. Victorin. GLK 6, 55, 11 sq. de generibus iuncturarum v. Mart. Capellam 264 sqq.

⁴ cf. imaginem: *'si non statim rectissima linea tensa, facilior tamen ... via'* Quint. inst. 3, 6, 83.

⁵ cf. φοῖνιξ κανών Eur. Herc. 945; AP 6, 103, 5 sq.; 6, 205, 4.

⁶ bene rubricam sumit, nam funis rubrica illita melius discrimen facit; cf. *'discrimen non facit / neque signat linea alba'* Lucil. 830-1 M.; Gell. epilog. 11. adi si vis Otto, *Sprichwörter*, p. 11 (nr. 51).

oculo ... uno: ἐπεὶ καὶ τοὺς τέκτονας πολλάκις ἔωρακέναί μοι δοκῶ θατέρω τῶν ὀφθαλμῶν ἄμεινον πρὸς τοὺς κανόνας ἀπευθύνοντας τὰ ξύλα Lucian. *Icarom.* 14.

rubricam: metonymice: 'lineam rubrica illitam'.

67-68 *sive opus in mores, in luxum, in prandia regum / dicere, quaelibet carmina de moribus (saturae maxime) intelleguntur*¹.

sive: 'vel si'. vide KS 2, 437.

in ... in ... in: 'contra'. haec formula grande sonat, cf. 'magnanimosque duces totiusque ordine gentis / mores et studia et populos et proelia dicam' Verg. *geo.* 4, 4 sq., Wills, *Repetition*, p. 356.

regum: 'divitum', cf. 3, 17.

68 *res grandes nostro dat Musa poetae.*'

cum nihil aliud agere videatur Persius, ac simpliciter 'sermonem populi' referre, pulchre et festive haec verba superioribus ita opponit, ut tota sententia ex improvise ridicula fiat: cum oporteret in mores etc. seria quaedam scribere, poeta noster nihil nisi grandiloquos versus facit, qui nihil ad vitam nostram spectant. ita populi stultitia se ipsa arguit!

nostro ... poetae: 'noster: blandientis dictum est' Donat. *Ter. Hec.* 770.

69-78 tumorem poetarum² irridet Persius quorum carmina 'rebus grandibus' (vide v. 68) repleta sunt: 'sunt qui heroica carmina pangant cum simplicem rursus laudationem scribere nequeant, etenim si rus aliquando in carmen inducunt, continuo tumidi et ridiculi fiunt (v. 75); sunt et qui inani studio veterum poetarum obsoleta verba et duriores translationes inepte sectentur, mireque sibi in monstris verborum et sensuum imitandis placeant (vv. 76-78)³'.

¹ equidem nolo hic cum scholiasta nimis ingenioso de comoedia (*in mores*), satura (*in luxum*) et tragoedia (*prandia regum*, sc. Thyestae impia cena) cogitare: nam comoedia iam pridem frigere coeperat, *prandia regum* ambiguum est si de Thyesta accipi vis, *mores* denique non temere a *luxu* ita separes, ut *luxus* citra ambiguitatem saturam, *mores* vero comoediam significant.

² ceterum versibus 76-78 non solum sui temporis poetas irridet Persius, sed etiam oratores qui veteres poetas inepte imitantur.

³ ceterum cave credas Accium et Pacuvium, claros in vetere Romana tragoedia auctores, a Persio omnino spretum ire, quandoque stultam tantum eorum imitationem insectatur.

69-70 *ecce modo heroas sensus adferre docemus / nugari solitos Graece modo: iungendum: 'modo ... nunc (v. 76)' sensu 'nunc ... nunc', cf. ThLL 8, 1313, 73 sqq.*

heroas sensus adferre: 'fortes et nobiles sensus carminibus pangere' Schol. sed haec ridet Persius.

heroas: adiective positum, vide Ind. s. v. 'attributum'.

sensus: Quintilianus (inst. 8, 5, 2) sensum sic definit: 'mente concepta'¹.

docemus: nos (ironice de malis poetis loquitur Persius qui versu 79 ut patres lippi taxantur) dum tumorem heroicum ipsi in carminibus nostris sectamur, eum docemus, i. e. eum iuventuti commendamus, inculcamus.

nugari solitos Graece: 'pueros'². pueros et iuvenes adhuc imperitos docemus. nam pueri romani studia a graecis litteris incipere solebant³. haec spectant ad v. 79 ('pueris').

nugari Graece: 'facere versiculos graecos'.

70-71 *nec ponere lucum / artifices nec rus saturum laudare, ' (nos pueros docemus) cum ipsi non possimus recte rus describere etc. '*

ponere ... artifices: 'artifex ponere' eadem constructio est atque 'artifex sequi', vide Ind. ('infinitivus substantivo additur').

ponere: 'describere'. cf. 5, 3 adn.

rus saturum: haec vel similia solitum de rure cf. Hor. epod. 2; epist. 1, 10, 6; Mart. 3, 47, 6. "rus" autem "saturum" dicit rebus omnibus abundans' Schol. hoc epitheton potissimum ad insignem agrorum ubertatem spectat⁴.

71-72 *ubi corbes / et focus et porci et fumosa Palilia faeno, corbes ... focus ... porci ... fumosa Palilia: haec omnia ad argumentum ruris saturi pertinent.*

¹ cf. 'sensus miri, magni quidem saepe sed enervati dum exeunt' Sen. epist. 114, 8.

² variationis causa (cf. *cirradi* v. 29, *pueri* v. 79) dictum.

³ cf. e. g. 'habeo auctores vulgo tum Romanos pueros, sicut nunc Graecis, ita Etruscis literis erudiri solitos' Liv. 9, 36, 3.; Quint. inst. 1, 1, 12; 'quattuordecim natus annos Graecam tragoediam scripsi' Plin. epist. 7, 4, 2 (apud nostrum tamen praecipue de versibus hexametris graecis agitur).

⁴ cf. 'locisque ob humidam coeli naturam saturis' Sen. nat. 5, 9, 1; 'satur autumnus quassans sua tempora pomis' Col. 10, 43; 'satura praesepeia (q. e. plena pabuli)' Verg. geo. 3, 214.

porci: apte *porcum* potissimum dicit Persius, quod magis quam *suis* vocabulum sermoni cottidiano¹ atque ideo ruri describendo convenit.

fumosa: *fumosam* Paliliam dixit propter stipularum acervos, quos ruricolae incendebant².

Palilia: ne longus in re incerta fiam, pono simpliciter quae ex Scholiis didici: '*Palilia dicit diem³ sacrum in honorem Palis deae pastoricae cognominatum ... Varro sic ait: "Palilia tam privata quam publica sunt⁴, et est genus hilaritatis et lusus apud rusticos, ut congestis cum faeno stipulis ignem magnum transsiliant, his palilibus se expiari credentes*' [Ps. Prob. Verg. geo. 3, 1]'

73-75 '*unde Remus*' usque ad '*tulit*' sunt verba inepti cuiusdam poetae, quae hic per ludibrium imitatus est Persius.

73 '*unde Remus sulcoque terens dentalia, Quinti*,

unde: quasi 'a qua origine'⁵; sed luditur quoque in solitum sensum (sc. adverbii loci). facete itaque Persius Remum quasi ex fumo apud ineptum istum poetam desilire facit. ceterum Remus inducitur cum Rōmulus in versu heroico metro quandoque repugnet (vide Verg. geo. 2, 533; Catull. 58, 5; Prop. 2, 1, 23; Iuv. 10, 73).

Remus: notum est Romam Palilibus (al. Parilibus)⁶ i. e. ante diem XI Kal. Mai. conditam esse, quo die (vel pridie eius diei, – sed nihil refert) Romulus Remum occidit. quare, temporis ratione habita, iusta de causa Remum in carmine iuxta Palilia posuit.

dentalia: '*dentale est lignum, in quod vomer inducitur*' Serv. geo. 1, 172.

¹ vide W. Heraeus, *Kleine Schriften*, Heidelberg 1937 (Indogermanische Bibliothek: III, 17), p. 214; C. O. Brink in Hor. epist. 2, 1, 143 (p. 189 sq.) et Nicolai Horsfall adn. ad Verg. Aen. 7, 17 in: *Virgil, Aeneid 7. A commentary by Nicholas Horsfall* (Mnemosyne, Suppl. 198), Leiden 2000, p. 58.

² cf. '*accenso celebrante Parilia faeno*' Prop. 4, 73-77.

³ ante diem XI Cal. Mai. sed vide M. Tulli Ciceronis. *De divinatione* ed. A. S. Pease, Darmstadt 1963, p. 518; praesertim Varron, *Économie rurale*, livre II, ed. Ch. Guiraud, Paris 1985, p. 129.

⁴ compertum est (cf. Kißel, p. 204 adn. 312) Palilia privata tantum fuisse.

⁵ cf. OLD s. v. 11: 'from which (cause, origin, etc.)'.

⁶ Varro, r. r. 2, 1, 9; Cic. div. 2, 98; Vell. 1, 8, 4; cf. Plu. Rom. 12, 1 sqq.; Ov. fast. 4, 819 sqq.

Quinti: cf. ‘*Quintius Cincinnatus cum agrum suum araret et sereret, dictatura ei a populo Romano delata est*’ Schol.

74 *cum trepida ante boves dictatorem induit uxor*

cum: satis stulte poetaster iste secundariam hanc sententiam hoc modo incipit. nam si prima sententia (*unde ... Quinti*) tempore antecedit, cur ‘cum’ ita (cum indicativo) posuit? quam difficultatem, sive absonum sententiarum nexum dixeris, non habebis si ‘quem’ (vide app. crit.) pro ‘cum’ legas. quod tamen cave facias: de industria enim deridere videtur Persius poetam istum, dum ineptum eius sententiarum nexum exprimit. sed ne ‘cum’ quidem indicativo iunctum miraculo tibi, lector, debet esse cf. ‘*non magis audierit quam Fufius ebrius olim, / cum Ilionam edormit Catiensis mille ducentis*’ Hor. sat. 2, 3, 61 (‘edormit’ – praesens¹), ubi in oratione soluta ‘edormiret’ aptius dixeris. praeterea nescio quo pacto praesens incitatiōi narrationi historicae magis convenit, cf. ‘*unde Superbus / Tarquinius regno pulsus fugit*’ Hor. sat. 1, 6, 12. cf. Ind. ‘praesens ...’.

trepida: ‘festina’ (cf. Serv. Aen. 3, 666; Schol. Lucan. 1, 297): ‘*togam proferre e tugurio proferre uxorem ... iubet* [sc. L. Quinctius Cincinnatus]’ Liv. 3, 26, 9.

ante boves dictatorem: haec verba ridicule iuxta posita.

dictatorem induit: induit vestem, quae dictatorem deceat (i. e. togam)². observa ridiculam verborum ambiguitatem: quasi uxor ei dictaturam deferat.

induit: praesens potius quam perfectum. cf. ‘*inpulit ... / ... mutat*’ Pers. 2, 59 sq. praeterea vide quae ad ‘cum’ supra collegi.

75 *et tua aratra domum lictor tulit. euge poeta!*

lictor tulit Cincinnati aratrum quia illi propter dictatoriam dignitatem id facere non conveniebat.

euge poeta: ‘ironia per speciem, quae laudando deridet’ Schol. cf. v. 49.

76 *est nunc Brisaei quem venosus liber Acci,*

est ... quem ... sunt quos: malos poetas dicit, vide v. 69 (*docemus*) adn. de constructione cf. ‘*sunt qui non habeant, est qui non curat habere*’ Hor.

¹ cf. J. N. Madvig, *Opuscula academica*, Havniae ²1887, p. 224.

² multi falso hic *dictatorem induit* interpretantur, tamquam si dicat ‘uxor ei togam induit, cum ille iam dictator factus esset’. Cincinnatum prius toga indutum quam dictatorem factum fuisse vel ex Livio (3, 26, 9 senatus enim mandata non potuit decenter audire nisi togatus) satis patet.

epist. 2, 2, 182. ceterum consentaneum est (propter 'quos' plurali numero usurpatum), Pacuvium plures Persi aetate imitatores habuisse quam Accium, nec mirum: nam 'venosus' plus ad sensus, 'verrucosa' vero ad verba spectat, quorum imitatio utique facilius est.

nunc: vide 'modo' (v. 69) adn.

Brisaei ... Acci: 'Bacchei Accii', sic dicit de Accio poeta cuius magniloquae (cf. 'venosus') tragoediae Baccheo quodam furore repletae videntur. cf. 'Brisaeum Accium ideo dixit, quia poetae in Liberi patris tutela esse noscuntur. est autem Brisaeus Liber cognominatus' Schol. fortasse de certa aliqua tragoedia ('Bacchae?') Acci cogitat, ubi Bacchi praecipuae partes. quare Brisaeum non solum Accium, sed *librum* (i. e. tragoediam) quoque eius dicit.

venosus: 'tumidus'. quasi venis multo sanguine¹ eminentibus tumens.

77-78 *sunt quos Pacuviusque et verrucosa moretur / Antiopa,*

-que et: structura archaica (Plaut., Enn., Ter., Acc., Pacuv.: ThL 5, 2, 887, 36 sqq.), postea quoque poetis (Catull., Lucr., Tib., Verg., Hor.) usitata in locis sublime sonantibus, LHS 515. cf. 2, 74; 3, 17.

moretur: 'delectet'. quippe libri qui delectant, detinent nos atque efficiunt ut usque ad finem avide perlegantur.

verrucosa: 'quae habet multa horrida verba', quorum exemplum sequens versus praebet ('*aerumnis* etc.'). ut verrucosus opponitur ei, qui levem cutem habet, ita horrida oratio nitenti opponuntur (cf. e. g. Cic. Brut. 238).

Antiopa: est titulus tragoediae Pacuvii (quam de Graeca Euripidis verit) prae ceteris laude celebratae (cf. Cic. fin. 1, 4).

78 '*aerumnis cor luctificabile fulta*'.

festive a titulo tragoediae ad ipsam heroinam transit. versus ridiculus, quem, ut videtur, ex genuinis Pacuvii verbis conflavit. ceterum haec verba, tamquam alterum ridiculae eloquentiae exemplum, bene versibus 73-75 respondent.

aerumnis: '*aerumna: aegritudo laboriosa*' Cic. Tusc. 4, 18. vide 3, 79 (*aerumnosi*) adn.

fulta: Antiopes cor luctuosum tot tantisque aerumnis cinctum est, ut illis quasi undique *fultum* i. e. sustentatum et munitum videretur.

¹ cf. '*in hoc* [sc. in Accio] ... *plus videatur fuisse sanguinis*' Vell. 2, 9, 3. ceterum cum venas prominentes athletae fere habeant, apte Quintiliani de Accio iudicium huc afferas: '*virium Accio ... plus tribuitur*' Quint. inst. 10, 1, 97.

79-91 ad forensem eloquentiam transit, quae propter nova ista studia (vide supra, vv. 69-78) funditus eversa est. cum vv. 81-82 cf. Plin. epist. 2, 14.

79-80 *hos pueris monitus patres infundere lippos / cum videas*, ordo verborum: 'cum videas lippos patres infundere pueris hos (vide vv. 69-78) monitus'.

hos pueris monitus: nempe ut tumorem poeticum sectentur (vide supra).

infundere: tamquam in vas¹ (inde *sartago* v. 80). fortiter dictum: 'hos monitus pueris obtrudere'.

lippos: lippitudo saepe ad animi etiam vitia transfertur cf. Pers. 2, 72; '*Crispini scrinia lippi*' Hor. sat. 1, 1, 120.

80 *quaerisne unde haec sartago loquendi / venerit in linguas?*

sartago: est proprie vas patulum in quo cibi friguntur. hic vero metaphorice idem fere ac 'farrago' valet, nam in patella, quae sartago dicitur, diversorum generum cibi una frigebantur; hinc ad eos transfertur, qui multa inter se pugnancia et ex abstruso petita una miscent.

in linguas: i. e. in orationem eorum qui nunc eloquentiam exercent. ceterum apte dictum '*in linguas*', quasi nihil apud istos in animum descendat, sed in linguis tantum manet.

81 *unde istuc dedecus*,

dedecus: turpe dicendi genus. cf.: '*rogo, quae sunt haec portenta verborum, quod dedecus descriptionis*' Hier. adv. Iovin. 1, 3 (PL 23, 222); '[Caesellius Vindex] *hoc ... petulanter insciteque, quod Furium, veterem poetam, dedecorasse linguam Latinam scripsit huiuscemodi vocum fictionibus*' Gell. 18, 11, 2.

81-82 *in quo / trossulus exsultat tibi per subsellia levis?*

in quo: ad *dedecus* pertinet. cf.: '*in quo homines exhorrescunt? quem stupefacti dicentem intuentur? in quo exclamant?*' Cic. de or. 3, 53; v. KS 1, p. 562-563; '*in patriae parricidio exsultare*' Cic. Dom. 133; '*non exsultavit in ruinis nostris*' Cic. Balb. 58.

trossulus: quid sibi huius nominis etymologia vellet iam apud antiquos non constabat. antiquitus tamen nomen equitum Romanorum fuit, tum ad Varronis eiusque aequales vergente aetate hac significatione obsoletum

¹ cf. '*in animo ..., quo, tamquam in aliquod vas, ea, quae meminerimus, infunduntur*' Cic. Tusc. 1, 61.

factum est¹ atque alia ratione usurpari coepit, cum iuvenes e nobilium numero delicatulos denotaret².

exultat: sc. prae favore. cf. 'laetitia est mentis gaudium, exsultatio vero verborum atque membrorum' Isid. diff. 1, 329 (PL 83, 44); 'proni atque succincti ad omnem clausulam non exsurgunt modo, verum etiam excurrunt et cum indecora exsultatione conclamant' Quint. inst. 2, 2, 12. Plinius haec de iuvenibus in iudiciis exsultantibus narrat: 'pudet referre, quae quam fracta pronuntiatione dicantur, quibus quam teneris (i. e. puerilibus) clamoribus excipiantur etc.' epist. 2, 14, 12.

tibi: dat. commodi.

subsellia: de iudiciis, non de auditoriis, dictum est³. 'subsellia' apud auctores saepissime ibi invenies ubi de iudicio sermo est⁴.

levis: de imberbi effeminataque iuventute loquitur potius quam de viris levigatis⁵. ceterum digni sunt isti *leves* trossuli, qui *rasa* (i. e. teretia, levia) antitheta audiant (v. 85 adn.)

83-84 *nilne pudet capiti non posse pericula cano / pellere, quin tepidum hoc optes audire 'decenter'?*

Persius insectatur eos, qui in ipsis capitalibus causis a stultis verborum lenociniis non abstinere, dummodo vel minimum approbationis signum (*tepidum* ... 'decenter') ab audientium turba sperare liceat.

pellere: 'depellere'.

85-86 *'fur es' ait Pedio. Pedius quid? crimina rasis / librat in antithetis, 'fur es' ait Pedio*: id est aliquis accusator dicit Pedio: 'tu, Pedit, fur es'.

ait: sc. accusator. fortius atque v. 40, ubi ex dialogi tantum persona res agebatur.

¹ cf. Plin. nat. 33, 35 sq.

² Varro Men. 480; Sen. epist. 76, 2; 87, 9.

³ Kibel, qui contrariam sequitur sententiam haec fere dicit: 'nam in iudicio frigidiusculum tantum 'decenter' auditur (v. 84), hic vero maxima exsultatio laudantium fit'. quod nequaquam verum est: etenim orator iste capitis periculum incurrere paratus est, dummodo vel minimam laudem audiat; sed dum id agit, satis amplam laudationis messem assequitur (cf. 'laudatur: "bellum hoc"' v. 87).

⁴ vide W. Peterson ad Quint. 10, 5, 18 (Quintiliani, Inst. or. liber decimus, Oxford 1891, p. 164); OLD s. v. 2b.

⁵ nam trossuli iuvenes sunt v. Sen epist. 76, 2, ubi 'trossuli et iuvenes' senibus opponuntur.

Pedio: cf. '*Pedius quidam illo tempore damnatus est pecuniarum repetundarum: cui cum crimen obiectum esset furti, non se fortiter respondendo purgavit, sed ex compositione versuum favorem quaerebat; figuris dictionum serviens, securus criminum diversorum*' Schol. '*motus senatu [a. 59 p. Ch. n.] et Pedius Blaesus, accusantibus Cyrenensibus violatum ab eo thesaurum Aesculapii dilectumque militare pretio et ambitione corruptum*' Tac. ann. 14, 18.

Pedius quid?: sc. facit, respondet.

crimina ... librat: imago a lance petitur; at *Pedius* non, ut oratorem forensem deceret, criminationibus argumenta contraria velut lance opponit, sed meras verborum figuras praepostera arte perpendit et exaequat (haec spectant ad perfectam aequationem antithetorum in quibus *Pedius* isocola homoeoteleuta vel similia sollicita arte tuetur).

rasis: 'teretibus, arte politis'.

antithetis: cf. Quint. inst. 9, 3, 81-86; 92.

86-87 *doctas posuisse figuras / laudatur*:

figuras: figurae i. e. σχήματα orationis.

posuisse ... laudatur: 'laudatur quod posuit'.

posuisse: 'composuisse', cf. sat. 5, 3. sed potest et simpliciter intellegi, sensu 'hinstellen'.

87 '*bellum hoc!*' *hoc bellum? an, Romule, ceves?*

sensus: 'num adhuc vir es, qui haec sentis?', 'nonne ipse pathicum agis, cum '*bellum hoc!*' exclamas? (i. e. cum *Pedium* tamquam pathicum das?)'. nam '*belli*' saepe pathici et catamiti dicuntur (v. ThL 2, 1856, 68-1857, 32).

'*bellum hoc!*': sic *Pedii* eloquentia a nobilibus laudatur.

Romule: nobiles Romanos (etenim nobiles Romuli progenies dicuntur) alloquitur quibus *Pedii* oratio magnopere placet.

ceves: 'cinaedus es'. 'cevere' proprie '*molles et obscaenos clunium motus significat*' Schol.¹

88-91 nemo me ad misericordiam provocet, nisi qui ipse vero dolore afficietur. hoc loco id agit *Persius*, ut ostendat, pectus, non ambitiose petita verba efficere, ut commoveamur. cf. '*moveaturne quisquam eius fortuna, quem tumidum ac sui iactantem et ambitiosum institorem eloquentiae in ancipiti*

¹ cf. ThL 3, 982, 41 sqq.; J. N. Adams, *The sexual vocabulary*. London 1982, p. 136 sq. et Courtney ad Iuv. 2, 21.

sorte videat? non immo oderit reum verba aucupantem et anxium de fama ingenii et cui esse diserto vacet? Quint. inst. 11, 1, 50.

88-89 *men moveat? quippe et cantet si naufragus, assem / protulerim?*

men etc.: 'mene ad misericordiam provocet naufragus qui cantet? minime. tali naufrago assem non porrigam (quia quando res vera agitur non est cantandum)'.
moveat: 'permoveat' sc. Pedius (v. *ceves* v. 87)¹, sed hoc verbo transit iam ad *naufragum*.

quippe: ironice, cf. Verg. Aen. 1, 39; Cic. Mil. 23.

cantet: i. e. artificioso cantu fabulam de suo naufragio narret. dictum de eo qui nimis alte volando veritatem obscurat. cf. v. 90 (*verum*) adn.

89-90 *cantas, cum fracta te in trabe pictum / ex umero portes?*

naufragi qui omnia sua bona perdiderunt, ut aliquid nummorum emendicarent, tabulam secum ferre solebant quae casus eorum repraesentabat: hoc enim modo misericordiam hominum movere conabantur, cf. sat. 6, 32; Iuv. 14, 301 sq.; Phaedr. 4, 23, 24 sq; Hor. ars. 20 sq.

trabe: 'navi'. cf. 5, 141 (*trabe vasta*) adn.

fracta etc. ... *portes*: i. e. 'tu portas ex umero dependentem tabulam in qua videre licet te in fracta navi depictum'².

90-91 *verum nec nocte paratum / plorabit qui me volet incurvasse querella!*

sensus: 'verum et sincerum dolorem et non nocturnis studiis evigilatum carmen edet qui volet me misericordia commovere', cf. 'si vis me flere, dolendum est / primum ipsi tibi' Hor. ars 102 sq.

verum ... plorabit: v. Indicem s. l. 'accusativus obiecti interni q. d.'

verum: cf. 1, 88 (*cantet*) adn. cf. Iuv. 4, 34 sq. 'non est / cantandum, res vera agitur', cf. ThIL 3, 290, 54 sqq.

nec: cum vi explicationis, cf. KS 2, 42.

me ... incurvasse querella: 'flectere me querimonia sua'³.

¹ minus recte ThIL 8, 1544, 18: *moveat* sc. aut *poema* aut *poeta*.

² minus recte *fracta in trabe pictum* ita intellegendum, ut 'homo in trabe ex navi demersa se depictum exhibuerit'. quasi vero nihil aliud naufragi in tempestate agant, quam ut suarum navium fragmina ex periculo servent. sunt praeterea tales trabes picturae parum commodae.

³ ceterum verbum *incurvandi*, utpote cui notio 'illicere (in stuprum)' saepe adhaereat (cf. 'incurvabat (sc. Hercules) Hylan' Mart. 11, 43, 5; 'quodque taces, ipsos

92-106 transit a vitiis solutae orationis praepostera cura expolitae ad similia versuum vitia. elegantiam novorum poetarum vanam atque elumbem esse contendit Persius. ceterum hi versus cum vv. 63-66 magis cohaerent quam ut ad vv. 79-91 respondeant.

92-95 sensus: poetae nostri putant se novum decorem et aptas iuncturas invenisse duris adhuc versibus, et statim pulchra poemata esse, si versus graecis vocabulis desinentes vel spondiacos concinent.

92 *'sed numeris decor est et iunctura addita crudis:*

'sed crudis adhuc numeris decor et iunctura sunt additi'. cf. v. 63 sqq.

numeris ... crudis: 'versibus incultis'.

iunctura: vide vv. 64 sq. adn.

93-95 cf. *'hi versus exempli causa proferuntur; ... sunt ... poetae nescio cuius graecissantis'* Schol.

93 *cludere sic versum didicit: "Berecyntius Attis"*

'edoctus est ita finire versum: 'Berecyntius Attis''.

didicit: sc. poeta aliquis, qui ridetur a Persio. sed in isto *'didicit'* nescio quid contemptus videor mihi sentire, ita ut credere adducar haec verba non tam ex mente adversarii quam ex persona Persi prolata esse.

Berecyntius Attis: haec clausula (quam ex duobus Ovidii versibus conflare potes: *'Cybeleius Attis'* met. 10, 104 et *'Berecyntius heros'* met. 11, 106) eo excellit, quod proximum a postremo vocabulum (*Berecyntius*) quinque syllabarum est cf. *'Cythereius heros'* Ov. fast. 3, 611; *'Semeleius Euhon'* Stat. silv. 1, 2, 220; *'Tegeaticus astris'* ib. 5, 1, 102.

94 et *"qui caeruleum dirimebat Nerea delphin"*,

delphinum, ut videtur, dicit, qui Arionem in mari excepit atque ad litus perduxit.

dirimebat Nerea: 'nando secabat mare'. Nereus deus metonymice pro mari saepe ponitur (Ps. Tib. 4, 1, 58; Val. Fl. 1, 450; Ov. met. 1, 187; her. 9, 14; Lucan. 2, 713; Sen. Phaedr. 88).

delphin: sc. quia in fine versus *'bene sonat'* Schol.

etiam inclinare maritos' Iuv. 9, 26; cf. 10, 224; CIL 4. 5406 = CEL 356), iocose *ceves* (v. 87) illud respicere potest. sed procul hoc a mente Persi abesse videtur.

95 sic "costam longo subduximus Appennino".

aliud exemplum molliusculi¹ versus ponit, qui fortasse in carmine quodam 'in luxum' (cf. v. 67) scripto, inveniri possit, ubi poeta de Alpibus propter marmoris luxum subrosis (*costam ... subduximus*) conqueritur². ridiculum: dum personam gravem poeta ineptus agit in luxumque invehitur, versibus mollibus utitur.

sic: intellegitur 'didicit claudere versum' et 'subduximus'.

costam: insolite dictum de latere montis.

subduximus: 'subruimus'. cum indignatione dictum, nam subducere est interdum dolo subtrahere, cf. "'subduxti mihi': furtim subraxisti' Donat. Ter. Eun. 795; 'subduci dicuntur, quae nolumus amittere' ib. 912;

96 "arma virum" – nonne hoc spumosum et cortice pingui,

dicit Aeneidem Vergilii carmen horridum esse et nullius leporis.

arma virum: i. e. 'Aeneis Vergilii'. mos erat librum omnibus notum atque celebrem iis verbis significare, a quibus initium cepit; sic Ov. trist. 2, 261: 'Aeneadam genetrix' (Lucreti carmen indicat), cf. Cic. Att. 16, 3, 1.³

nonne etc.: Aeneidem qui interloquitur vituperat. idque minime mirum, cum pravis illius temporis iudiciis factum sit, ut 'lève' (cf. 1, 63-66; 92 sq.) tantum aut 'grande' (cf. 1, 14; 68) vel 'grave' (cf. 5, 12) carmen (quasi vero Aeneis non summa arte vel gravitate excelleret) in deliciis haberetur. spuma autem et cortex (vide q. sequitur) non sunt 'lèvia' et 'gravia'.

spumosum: velut spuma horride tantum turgescens, quae intus nihil habet. inde translatio ad carmen nullius ponderis atque nullius medullae.

¹ cf.: 'in carminibus est praemolle, nec solum ubi quinae, ut in his, syllabae nectuntur, "fortissima Tyndaridarum", sed etiam quaternae, cum versus cluditur "Appennino" et "armamentis" et "Oreione". quare hoc quoque vitandum est, ne plurium syllabarum verbis utamur in fine' Quint. inst. 9, 4, 65 sq.

² cf.: 'caedimus hos [sc. montes] trahimusque nulla alia quam deliciarum causa, quos transcendisse quoque mirum fuit. in portento prope maiores habuere Alpibus ab Hannibale exsuperatas ... nunc ipsae [sc. Alpes] caeduntur in mille genera marmorum' Plin. nat. 36, 1 sq.; cf. Sall. Cat. 13, 1; Tib. 2, 3, 43 sqq.; Hor. carm. 2, 18, 17 sqq.; Ov. ars. 3, 125 sq.; Sen. contr. 2, 1, 12 sq.

³ cf. Nicholas Horsfall, *Some problems of titulature in Roman literary history*, in: BICS 28 (1981), p. 103 sqq.

cortice pingui: qualem prae vetustate habet suber, cuius moles crasso et arido cortice¹ male augetur, hinc ad carmen rude et obsoletum translatio; cf. φλωιδης Ps. Longin. subl. 3, 2; 10, 7; Plut. virt. prof. 10, p. 81 b.

97 *ut ramale vetus uegrandi subere coctum?*

ramale: est ramus vetus et senectute prope iam confectus (cf. 5, 59; Ov. met. 8, 644; Sen. epist. 90, 10; Tac. ann 13, 58).

vetus: huic vocabulo inest interdum quaedam deterioris corruptique status notio, cf. *'vetus plerumque refertur ad laudem, interdum ad vituperationem, ut hic et alibi "vetus ueternosus senex" [Ter. Eun. 688]. "ueteris" pro cariosi et quasi rancidi posuit'* Donat. Ter. Andr. prol. 7. cf. v. 22 (*uetule*) adn.

subere: 'cortice'. suber arbor duplicem habet corticem, quorum exterior suber dicitur, hic crassescens praestringit enecatque ramos et, nisi detrahatur, ipsam interdum arborem.

coctum: 'aridum factum, confectum', cf. *'vidi ego odorati victura rosaria Paesti / sub matutino cocta iacere Noto'* Prop. 4, 5, 61 sq.

98 *quidnam igitur tenerum et laxa cervice legendum?*

hic quaerit Persius ab adversario: 'ecquod ergo carmen tibi tandem ut vere tereti versu decurrens probabitur?'

laxa cervice: 'non intenta, inclinata cervice'. apta imagine utitur poeta, nam turgida atque arida carmina (cf. v. 96) lectorem mollem non patiuntur ideoque rigida quodammodo atque erecta cervice legenda; mollibus vero delicatisque versibus mollities cervicum convenit.

99-102 *'hi versus Neronis sunt'* Schol. quod cave credas. nam Persius ipse fingit specimen tenerorum istorum et volubiliu[m] versuum (cf. v. 98), quos eius temporis poetae conscribillare solebant.

99 *'torva Mimalloneis implerunt cornua bombis*

sic verba inter se iunge: '(Bacchae) implerunt torva cornua mimalloneis bombis'. cf. *'multis raucisonos efflabant cornua bombos'* Cat. 64, 263; *'teretes sunt [sc. versus], qui volubilem et cohaerentem continuant dictionem, ut "torva Mimalloniis inflatur tibia bombis"'* Diomed. GLK 1, 499, 21 sqq.

torva: 'torvum sonantia'.

¹ nam contra *'recens suberis cortex in quamvis formam tota flectitur facilitate'* Serv. Aen. 7, 742.

Mimalloneis: 'bacchicis'. nam bacchae Mimallones appellabantur.
bombis: cf. 'bombyx autem sonus est tubarum raucus nec valde acutus' Schol.

100-101 *et raptum vitulo caput ablatura superbo / Bassaris*

de baccha loquitur, quae in animo habet caput ferocis cuiusdam vituli circumferre (*auferre*: 'ut victoriae insigne' Iahn) iam abscissum. cf. 'pars e divolso iactabant membra iuvenco' Cat. 64, 257; Ov. met. 3, 708-731.

ablatura: non tempus futurum significat, sed propositum ('in animo habet') cf. 'victuri' 3, 67.

superbo: cf. ταῦροι ... ὑβριστάι Eur. Bacch. 743.

101 *et lyncem Maenas flexura corymbis*

lynxem: bestiam Baccho consecratam esse proinde ac hederam corymbiferam, qua hic *lynxem Maenas flexura*, in eisdem sacris esse notum est.

102 *euhiō ingeminat, reparabilis adsonat echo.*¹

cf. 'plangentibus assonat echo' Ov. met. 3, 507.

reparabilis: activa significatione positum (= 'quae reparat') de vocibus repercutis quae iterant verba audita. cf. 'resonabilis echo' Ov. met. 3, 358.

103-104 *haec fierent, si testiculi vena ulla paterni / viveret in nobis?*

indignatur Persius imagine paulo obscenior sumpta: 'an tales versus scriberemus, si viri essemus maiorum non prorsus degeneres?', 'an talia scriberentur, si in nobis vel minimus igniculus virtutis maiorum maneret?'

si testiculi etc. nobis: cf. 'si nos coleos haberemus' Petron. 44, 14.

testiculi: 'virilitatis'¹.

vena: 'fonticulus', imagine (quae etiam obscenitati se apte commodat, si de semine virili cogitamus) adhibita, cf. 'hoc (sc. ingenium) ego Pegasidas deduxi primus ad undas, / ne male fecundae vena periret aquae' Ov. trist. 3, 7, 15 sq.; 'ingenium fregere meum mala, cuius et ante / fons infecundus parvaque vena fuit' trist. 3, 14, 33 sq.

viveret: 'superesset', vel imagine adhibita: 'manaret'.

¹ cf. 'Qu'il se trouve, disait-il [sc. Napoléon], un empereur de Russie vaillant, impétueux, capable, en un mot un czar que ait de la barbe au menton (ce qu'il exprimait du reste *beaucoup plus énergiquement*), et l'Europe est à lui.' Comte de Las Cases, *Le Mémorial de Sainte-Hélène*, première édition intégrale et critique ... par M. Dunan, Paris 1983, vol. 2, p. 517.

104-105 *summa delumbe saliva / hoc natat in labris,*

summa ... saliva: nam ῥήματα inanis loquacitatis ἀπὸ χειλέων i. e. a summis labris, quae vero solidum fundamentum habent, ἀπὸ καρδίας¹ i. e. ex intimis praecordiis venire pulchre dicitur; cf. *'qui sunt leves et futiles et importuni locutores, quique nullo rerum pondere innixi verbis humidis et lapsantibus diffluunt, eorum orationem bene existimatum est in ore nasci, non in pectore'* Gell. 1, 15, 1.

natat: apta inanis loquacitatis imago, nam natate id saepius dicitur, quod incerto motu in superficie fluctuat. cf. OLD s. v. 2b.

delumbe: 'sine viribus'. *'delumbe est carmen, id est adumbratum, nihilque solidi habens, sed fractum et enervae, quia in lumbis vel renibus virtus est, quam dicit eos non habere'* Schol.

105 *et in udo est Maenas et Attis,*

Persius ait multa vaniloqua huius temporis poemata exstare, quae Maenas vel Attis inscribi solent².

in udo est: plane respondet proverbio graeco ἐν ὑγρῶ ἔστιν ἡ γλῶττα Theophr. char. 7, 7 (ubi Theophrastus de homine loquaci dicit) cf. *'haec proverbialiter dicuntur, posita esse in udo linguae; soluta sunt et nihil rigidi et astricti habentia'* Schol.

106 *nec pluteum caedit, nec demorsos sapit unguis.*

sensus: 'tale carmen non ostendit saepius manu percussum a scriptore pluteum, neque arrosos unguis', i. e. 'tale carmen non redolet acrem commotioris animi intentionem'. et scimus alioqui fervidi ingenii poetas, quibus quidem sollicitior scribendi cura est, dum in profundam incitatumque cogitationem demersi carmina condunt, pluteum vel si qua alia solida planities ad manum est, prae indignatione pulsare atque unguis rodere solere, quod verba idonea ad sensus animi apte explicandos non succurrant³.

¹ cf. Plut. Cat. mai. 12, 5.

² ceterum nihil necesse est de titulis tantum cogitare, nam his nominibus apte argumenta carminum licet aliter inscribantur designari possunt; cf. *'Tityrus et fruges Aeneiaque arma legentur'* Ov. Am. 1, 15, 25.

³ cf. *'... et in versu faciendo / saepe caput scaberet, vivos et roderet unguis.'* Hor. sat. 1, 10, 70 sq.; Quint. inst. 10, 3, 21.

pluteum: pluteus est in lecti parte interiore¹ tabula ad perpendicularum posita.

caedit ... sapit: sc. 'hoc' (v. 104) i. e. 'hoc genus scribendi'.

107-110 rationibus suis a Persio plane refutatis monitor ad minarum tandem perfugium procedit, ut a mordaci dicacitate poetam arceat.

107-108 '*sed quid opus teneras mordaci radere vero / auriculas?*

teneras ... auriculas: teneras potentiorum (*maiorum*, v. 108) auriculas dicit, quia delicatae et quasi effeminatae (cf. 1, 35 '*tenero*' adn.) sunt; nisi blande vel adulatorie permulcentur, offenduntur².

radere: 'offendere, laedere'³, cf. *secuit ... urbem* v. 114; 3, 113 sq. adn.; 5, 15 (*pallentes radere mores*).

108-109 *vide sis, ne maiorum tibi forte / limina frigescant*:

'*cave ne renuntietur tibi potentium familiaritas, ut excludaris de domo eorum, cum vis vera dicere*' Schol.

vide: correptio q. d. iambica; adi sis Indicem sub lemmatibus '*proso-
diaca quaedam notabilia*' atque '*imperativus*'.

frigescant: 'hostiles tibi fiant'. notum est '*frigere*' idem valere atque '*amicitiae ardorem diminui, minus amari*', atque dehinc '*odio esse incipere*'. cf. '*o puer, ut sis / vitalis metuo et maiorum nequis amicus / frigore te feriat*' Hor. sat. 2, 1, 60 sqq.⁴

109-110 *sonat hic de nare canina / littera*.⁵

sensus: 'nam potentiorum animi irritabiles sunt'.

hic: adv., vide OLD s. v. 3a. imago ducta a canibus catenariis qui limen domus custodiunt. cf. "*hic*" – *in domo divoium. nam canes lacessiti conantur "r" litteram minitabundi exprimere*' Schol.

¹ cf. '*sponda ... exterior pars lecti, pluteus interior*'. Isid. orig. 20, 11, 5. exterior autem pars aperta erat.

² cf. Hor. sat. 2, 5, 32; '*scires mollissimis istis auribus parci*'. Plin. pan. 68, 7; ThLL 2, 1495, 68 sqq.

³ cf. '*... ne ieiuna atque arida traditio averteret animos et aures praesertim tam delicatas raderet verebamur*' Quint. 3, 1, 3; '*radit vox fauces saepe facitque / asperiora foras gradiens arteria clamor*' Lucr. 4, 528 sq.

⁴ cf. praeterea '*amicitia Tiberi notus et frigore*' Sen. epist. 122, 11.

de nare: nares non solum sagacitatis aut derisionis¹, sed interdum, veluti hoc loco, irae etiam sedes sunt, cf. '*ira cadat naso*' Pers. 5, 91².

nare: cf. 1, 33 (*nare*) adn.

canina littera: 'r'. cf. "'r" ... *canina / si lingua dico*' Lucil. 377 sq. M.

110-111 respondet per concessionem ironicam, licere per sese quidem omnia probatumque iri velut concinna, etiamsi re vera longe secus sint.

110 *per me equidem sint omnia protinus alba*:

protinus: 'statim inde ab hoc tempore in futurum', 'deinceps'.

alba: '*alba, id est bona*³, *quomodo et nigrum malum dicimus*' Schol. auditur et proverbium: '*signare alba linea (quam scilicet nemo videt)*⁴ i. e. '*nullam discriminis curam gerere*'. dicit enim: '*quod quidem ad me pertinet, sint sane omnia sine ullo discrimine bona*'. solito more alludit poeta ad iam usurpatam imaginem ('*non secus ac si oculo rubricam derigat uno*' v. 66, ubi vide adn.), quam invertit.

111 *nil moror. euge omnes, omnes bene, mirae eritis res.*

nil moror: 'per me nulla mora est, per me quidem licet'.

res: de hominibus loquitur, sicut graecum *θαυμαστόν τι χοῦμα* cf. OLD s. v. 3b. ceterum vide Indicem s.v. 'monosyllabum'.

112 *hoc iuvat? 'hic' inquis 'veto quisquam faxit oletum.'*

faxit: haec forma (vide Ind. 'coniunctivus: prisca forma') ad antiquum huius versus rigorem praeclare facit⁵.

oletum: '*stercus humanum*' Paul. Fest. p. 221, 8 L., vox antiqua.

¹ vide ad vv. 40-41 adn. de aliis significationibus v. Gow ad Theocr. 1, 18 (ubi falso de naribus angoris sedibus disseruit; nam apud Petron. ('*mihi anima in naso esse*' 62, 5) vulgaris tantum persuasio exprimitur animam morientis per os vel nasum effugere; fortasse huc etiam Lucil. 574 M '*eduxique animam in primoribus naribus*' spectat, si quidem haec de anxietate animi dictum accipi velis).

² cf. *δομῆια χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται* Theoc. 1, 18; Herodas 6, 37; Apul. met. 7, 9.

³ cf. André, *Étude*, p. 30.

⁴ vide Otto, *Sprichwörter*, p. 11 (nr. 51) ubi hosce locos invenies '*et amabat omnes; nam ut discrimen non facit / neque signat linea alba*' Lucil. 830-831 M; '*namque illi omnes ... multa et varia lectitantes, in quas res cumque inciderant, alba, ut dicitur, linea sine cura discriminis solam copiam sectati converrebant*' Gell. praef. 11.

⁵ cf. Leg. XII tab. 8, 4 (Gell. 20, 1, 12); Cic. leg. 2, 19; praeterea haec forma in plurimis inscriptionibus invenitur, cf. ThLL 6, 1, 83, 53-67.

113-114 *pinge duos*¹ *anguis*, ‘*pueri, sacer est locus, extra / meite*’: *discedo*. per anguium imagines genius loci significari solebat², qui locum ab iniuria tutabatur. bene hunc versum vetus inscriptio explanat appictis duobus anguibus: ‘*Duodecim deos et Deanam [sic] et Iovem optimum maximu [sic] habeat iratos quisquis hic mixerit aut cacarit*’ CIL 6, 29848b.

apud Romanos summae impietatis habebatur ad sepulcrum vel alium locum sacrum vesicam exonerare, cf. ‘*qui hic mixerit aut cacarit, habeat deos superos et inferos iratos*’ CIL 6, 13740. hic vero non de sacris sed de profanis locis ficta religione protectis cogitandum esse scholium ad l. recte docuit: ‘*mos erat, ut tabernarii cupientes summoveere pueros, ne mingerent super stationum suarum angulos, pingerent duos angues, deinde interdicerent micturientibus, ostendentes religionem loci*’. adversarius iste sicut tabernarius nihil melius excogitare potuit, quam quasi quadam religione ementita poetam a versibus componendis detertere.

pinge: vide Ind. (‘imperativus in apodosi condicionalis sententiae’).

discedo: ‘facile abeo’³. ceterum cf. vv. 5-6 *non ... accedas*. festive dictum: *discedit* poeta quasi ipse puer.

114-119 *secuit* etc.: ‘ego quidem abeo et ab iniuria abstineo. atqui non item Lucilius, qui libere vitia inimicorum insectatus est. Horatius quoque, mitior scilicet in satura, vitiis hominum tamen nihil pepercit. at cur mihi nusquam, ne minimum quidem, in vitiis insectandis liceat?’

114-115 *secuit Lucilius urbem, / te Lupe, te Muci, et genuinum fregit in illis; secuit ... urbem*: ‘acriter insectatus est vitia Romanorum’. cf. vv. 107-108.

secuit: a flagellis translatum, cf. ‘*sectus flagellis triumviralibus*’ Hor. epod. 4, 11; ‘*intorto verbera terga seca*’ Tib. 1, 9, 11; ‘*severi sectus Aeaci loris*’ Mart. 10, 5, 14; ‘*secat ille cruentis / verberibus*’ Iuv. 10, 316 sq.

¹ ad rem fortasse Censorin. 3, 3: ‘*nonnulli binos genios in his dumtaxat domibus quae essent maritae colendos putaverunt; Euclides autem Socraticus duplicem omnibus omnino nobis genium dicit adpositum, quam rem apud Lucilium in libro Satyrarum XVI licet cognoscere*’. de duobus anguibus a Gracchorum patre prehensis v. e. g. Cic. div. 1, 33; 2, 74 sq.

² cf. ‘*nullus ... locus sine genio est: qui per anguem plerumque ostenditur*’ Serv. Aen. 5, 85.

³ cf. ‘*discedere dicitur qui facile abit e medio*’ Donat. Ter. Andr. 707.

te Lupe, te Muci: quorum prae ceteris utrumque famosis versibus aggressus est Lucilius, qui nominatim inimicos suos carpere solebat. L. Cornelius Lentulus Lupus (cos. 156; cens. 147; princ. sen. 131; mortem obiit anno 126) et Q. Mucius Scaevola augur (praet. 120; cos. 117; diem obiit anno 87) nobiles viri fuerunt. hic provincia Asia male gesta de pecuniis repetundis causam dixit, in illum vero cum alia sparsa tum etiam egregius Lucili iocus extat, quem hoc loco animi tantum causa protulerim: ‘*si Lupus ... / ... putasset / esse deos, tam periurus, tam impurus fuisset?*’ 1312 sq. M.

genuinum fregit in illis: tanta vi in Lupum et Mucium invectus est Lucilius, ut genuinum (i. e. maxillarem dentem¹) suum quasi lacerando frangeret i. e. omnem dicacitatem consumpsit in carpendis eorum vitiis.

116-117 *omne vafer vitium ridenti Flaccus amico / tangit et admissus circum praecordia ludit,*

‘*Horatius Flaccus non cum invectione, ut Lucilius, hominum vitia castigavit, sed ut rideret et is, qui emendabatur, quamvis circa viscera eius medendi praecepta versentur, ita ut amici, qui eum adirent recitantem, putarent non tangi vitia eorum. deinde cum dicta diligentius apud se pertractarent, viderunt vitia sua per illum descripta. tamen laudem eius lacerando minuere passi non sunt*’ Schol².

ridenti: Horatianum illud ‘*ridentem dicere verum*’ Hor. sat. 1, 1, 24 exprimitur.

admissus: libenter exceptus, admissus in pectus, ‘libenter auditus’, quippe non odiosus est, qui verum ridenti dicit.

circum praecordia ludit: ‘omnes reconditos affectus tangit’. *praecordia* sunt affectuum sedes³. *ludit:* cf. 5, 16 (*ludo*) adn.

¹ noli genuinum pro sapientiae q. d. dente positum esse putare. genuini dentes maxillares sunt, quorum extremi tantum duo σωφρονιστήρες appellantur (cf. Arist. hist. anim. II 4, 501b 24 sqq.), quasi sapientiae dentes (*dentes serotini*), quod vicesimo aetatis anno teste Aristot. l.l. plerumque erumpant, quo tempore homines sapere incipiunt, sicut vulgo creditum est.

² cf. ‘Der Zuhörer erfährt lachend seine Wahrheiten, wird unvermerkt zum Nachdenken veranlaßt, und bessert sich – wenn anders noch etwas an ihm zu bessern ist. Dies ist das *circum praecordia ludere*, welches Persius mit einem so glücklichen Ausdruck zu einem Hauptzug des Charakters unsers Dichters (sc. Horati) macht’ C. M. Wieland, *Horazens Satiren*, Nördlingen 1985, p. 31.

³ cf. Pers. 5, 22 adn.; Tib. 1, 1, 63; Hor. epod. 11, 15; 5, 95; Verg. Aen. 2, 367; Petron. 17, 8; Iuv. 1, 167; Isid. orig. 11, 1, 119.

118 *callidus excusso populum suspendere naso:*

callidus ... suspendere: vide Ind. ('infinitivus: infinitivus adiectivo additur').

callidus: 'astute peritus', cf. '*callet significat scit, hoc est, calliditate, quae est urbana scientia*' Non. p. 257, 53 sq. M.; '*callet. astute novit*' Gloss. 4, 315, 43. est vox media; hic (sicut in Pers. 5, 14 cf. *callida ... iunctura* Hor. ars 47 sq.) potius in bonam partem sumitur.

excusso ... naso: pro 'emuncto naso', cf. ThlL 5, 1312, 63. *emunctae naris* (Hor. sat. 1, 4, 8) dicuntur qui sagaci sunt animo. alii minus recte intellegunt pro 'irridenti naso', nam nasus in altum erectus¹ irrisiois signum est.

suspendere: cf. v. 40 sq. et '*naso suspendis adunco / ignotos*' Hor. sat. 1, 6, 5, sq.

naso: cf. 1, 33 (*nare*) adn.

119 *me muttire nefas? nec clam? nec cum scrobe? nusquam?*

Lucilium (fr. 651 sq. M) fortasse expressit: '*at enim dicis: clandestino tibi quod commissum foret / neu muttires quicquam, neu mysteria efferres foras*'².

muttire: 'minimum sonum emittere'³ (sive ut colorem semonis plebeium⁴ vividius exprimam: 'tantillum loqui'); nam 'm' est illa littera, quam etiam ore clauso proferre possumus. dicitur proverbialiter: 'muttum nullum dixit' i. e. 'ne minimam quidem vocem emisit'⁵.

nec clam?: 'ne clam quidem?' v. Indicem s. v. 'nec'.

nec cum scrobe?: iam alludit ad fabulam illam notissimam⁶ de Mida rege, cui cum tonsor asininas esse aures rescisset nec palam id divulgare auderet, ut linguae prurienti aliquatenus satisfaceret, scrobem effodit et quae viderat terrae insusurravit.

120 *hic tamen infodiam: vidi, vidi ipse, libelle:*

hic tamen infodiam: i. e. 'saturae meae concredam'. continuatur ad fabulam Midae: scriptum velut infodiam et celabo apud me tantum (subluceat et illud: nam nemo vel pauci admodum (vide vv. 2-3)) me legunt).

¹ sensu 'sursum erigere' cf. Pers. 3, 115; ThlL 5, 2, 1311, 14 sqq.

² cf. '*neque mu facere*' Lucil. 426 M; '*nil iam muttire audeo*' Ter. Andr. 505; '*nunc taces nec muttis*' Petron. 61, 2.

³ '*muttire: leviter loqui*' Gloss.¹ III Abol. MU 6.

⁴ est vocabulum Plauto ante omnes ceteros auctores frequentatum.

⁵ cf. Otto, *Sprichwörter*, p. 230 sq.

⁶ cf. Ov. met. 9, 185 sqq.

libelle: libellum (i. e. saturam, cf. ThLL 7, 1268, 70 sqq. vel saturas, cf. ib. 1269, 44) suum velut scrobem alloquitur, cui velut fido amico intimos animi sensus concredat¹.

121 *auriculas asini – quis non habet?*

'Persius sic scripsit: 'auriculas asini Mida rex habet', sed Cornutus hoc mutavit ita ponens: 'auriculas asini – quis non habet?' veritus ne Nero in se dictum putaret' Schol. cui quidem testimonio fides danda est. cave credas hoc in Neronem dictum²; neque alias umquam illi noster maledicit (cf. v. 99). *Mida rex* pro quolibet homine divite atque stulto positum est³.

121-123 *hoc ego opertum, / hoc ridere meum, tam nil, nulla tibi vendo / Iliade.*

*'hoc meum secretum atque haec ioca nullius licet pretii, potiora mihi tamen sunt quam nova aliqua Ilias'*⁴.

opertum: 'secretum'⁵.

hoc ridere meum: v. Indicem s. 'inf. subst.'

123-126 hic ostendit poeta quales velit habere lectores saturarum suarum (cf. v. 2 *'quis leget haec?'*), quasi dicat: 'lector, qui veteris comoediae auctoribus delectatur, is etiam haec mea scripta libenter leget. istos vero lectores respuo iubeoque ut vanissima sua negotia voluptatesque curent, qui insulsi in omnia Graecorum studia illudunt.'

¹ cf. 'ille [sc. Lucilius] *velut fidis arcana sodalibus olim / credebat libris*' Hor. sat. 2, 1, 30.

² neque multum alia Nicolai Boileau condicio fuit cum scriberet:

Et, s'il ne m'est permis de le dire au papier,
J'irai creuser la terre, et, comme ce barbier,
Faire dure aux roseaux par un nouvel organe:

'Midas, le roi Midas a des oreilles d'âne.' (Boileau, sat. 9, 221)

quis, inquam, adeo demens est, qui Francogallorum regem Ludovicum eius nominis XIV his versibus derideri credat? at idem Boileau dicebat: 'Un roi même souvent peut n'être qu'un infâme' (sat. 11, 66)!

³ ceterum nihil profecit ex mutatione Cornutus: perinde offensionem potuit esse *'auriculas asini – quis non habet?'* ac si *'auriculas asini Mida rex habet'* ederet; nam *'quis non habet?'* apud hominem, ut erat Nero, suspiciosum facile hoc modo intellegi potuit: *'omnes* (i. e. Nero quoque) *Romae auriculas asini habent'*.

⁴ ludit in Labeonis Iliadem, vide v. 4; v. 50.

⁵ cf. *'operta recludit'* Hor. epist. 1, 5, 16.

123-124 *audaci quicumque adflate Cratino / iratum Eupolidem praegrandi cum sene palles,*

sensu 'quisquis es, qui Cratinum, Eupolidem atque Aristophanem admiraris'. cf. 'Cratinus, Eupolis et Aristophanes graecarum comoediarum auctores fuerunt' Schol.

audaci: cf. Κρατίνος ὁ τῆς παλαιᾶς κωμωδίας ποιητής, ἄτε δὴ κατὰ τὰς Ἀρχιλόχου ζηλώσεις, αὐστηρὸς μὲν ταῖς λοιδορίαις ἐστίν· οὐ γὰρ ὥσπερ Ἀριστοφάνης ἐπιτρέχειν τὴν χάριν τοῖς σκώμμασι ποιεῖ, τὸ φορτικὸν τῆς ἐπιτιμήσεως διὰ ταύτης ἀναιρῶν, ἀλλ' ἀπλῶς κατὰ τὴν παροιμίαν γυμνῆ τῆι κεφαλῇ τίθησι τὰς βλασφημίας κατὰ τῶν ἀμαρτανόντων Platon. diff. char. 1 p. 6 Kost. (PCG IV, p. 116).

adflate: est casus vocativus (v. Indicem s.v. 'vocativus (praedicativus)'). 'adflatum Cratino' lectorem appellat ironice, nam afflatus est qui divino quodam furore instinctus quasi in illo Vergiliano ('*afflata numine*' Aen. 6, 50) de Sibylla. ideo sensus: 'tu, qui Cratinum tuum deperis'.

iratum: cf. Εὐπόλις Ἀθηναῖος ... ζηλῶν Κρατῖνον· πολὺ γε λοιδοροῦ καὶ σκαιὸν ἐπιφαίνει Anon. de com. 33. p. 9 Kost. (PCG V, p. 294) cf. infra *palles* adn.

praegrandi ... sene: Persius his verbis Aristophanem significare nobis voluisse vel inde apparet, quod haec comicorum trias nominatim saepius inducitur: '*Eupolis atque Cratinus Aristophanesque poetae*' Hor. sat. 1, 4, 1¹. Aristophanem 'senem' dicit non quia usque ad senectutem vixerit, sed quia vocabulum hoc quadam honoris notione atque commendatione ex vetustate (h. e. ex magno numero annorum qui nos a temporibus illis remotis separant) coloratur. *praegrandis* ad aestimationem ingenii refertur.

palles: *pallere aliquem* dicitur qui alicui legendo magnam operam dat; pallor enim ex studiis et pervigiliis contrahitur, v. 3, 84 adn; ThL 10, 124, 47 sqq.² (ceterum eos quoque *pallemus* quos timemus, itaque verbo *pallendi* hic iocus quidam festivus inest, cum Eupolis *iratus* dicatur³).

¹ cf. Dionys. Hal. ars. rhet. 8, 11; Vell. 1, 16, 3; Quint. inst. 10, 1, 66; Diom. GLK 1, 489, 3; Mar. Victorin GLK 6, 78, 24 cett. v. Th. Gelzer, *Aristophanes*, in: Das griechische Drama, hrsg. von G. A. Seeck, Darmstadt 1979, p. 258 adn. 1.

² cf. praeterea '*clamabit enim: "pulchre! bene! recte!" / pallescet super his*' etc. Hor. ars 428 sq.

³ *perperam 'calles'* (loco '*palles*') coniecit J. G. F. Powell (in: *Author and audience in Latin literature*. Ed. by T. Woodman, J. Powell, Cambridge 1992, p. 170).

125 *aspice et haec, si forte aliquid decoctius audis.*

‘lege, si vis, et haec, siquidem bona carmina audire (= intellegere) potes’.

aspice etc.: cum quadam modestia dictum¹.

haec: ‘meas saturas’.

si ... aliquid: ‘si quid’ (cf. vv. 5; 34; 45 sq.)

decoctius: sc. ‘quam haec’, an grad. comp. absolutus? digesta enim carmina componit Persius, aliter atque proceres, de quibus vide vv. 51-52 (ib. *crudi* adn.). pulchre potest haec metaphora a vino etiam duci, nam decoquendo dulcius fortiusque fit et aquae minus habet. ita Persius; est enim in saturis suis longiore arte maturatis pressus (quia nihil eis inane inest)² creber sensibus plenusque vigoris.

126 *inde vaporata lector mihi ferveat aure,*

sensus est: ille lector mihi acriter attendat, qui delectatur veteris comediae auctoribus.

inde: i. e. ex ea lectione (vv. 123 sq.). iungendum cum *vaporata*, non cum *ferveat*.

vaporata ... aure: i. e. tepente aure. notum est aures nobis legentibus inflammari quando lectione valde delectamur.

ferveat: de acri studio dicitur³.

127-128 *non hic qui in crepidas Graiorum ludere gestit / sordidus*

Persius, ut est Graecorum acuminis amator, respuit tales lectores qui Romana sua stoliditate contenti omnem transmarinam sapientiam dedignantur. itaque idem fere sentit poeta noster quod in 3, 77-87; 5, 189-191 legimus.

in: ‘adversus’.

crepidas: crepidis Graeci utebantur, cum Romani antiquitus calceos induerent. solitum erat apud Romanos Graecorum habitum cavillari⁴ sed Persius vehementer aversatur istum morem: nam stulti sunt, qui cum alienigenas penitus inspicere indolemque eorum scrutari nequeant, apud eos res tantum extraneas atque insolitas derident.

ludere: ‘illudere’.

¹ cf. ‘tamen aspice, siquid / et nos, quod cures proprium fecisse, loquamur’ Hor. epist. 1, 17, 4 sq.; ‘hanc etiam, Maecenas, aspice partem’ Verg. geo. 4, 2.

² cf. ‘materiam esse volo abundantem – multum inde decoquunt anni’ Quint. inst. 2, 4, 7.

³ cf. ‘tunc Venus et calidi scintillat fervor amoris’ Calp. ecl. 5, 22.

⁴ Liv. 29, 19, 11 sq.; Suet. Tib. 13, 1.

gestit: probrosum verbum quod denotat turpes homines. nam proprie ‘gestire <est> motu corporis monstrare quid sentias. hoc autem constat a pecudibus ad homines esse translatum’ Donat. Ter. Eun. 555 et ib. paullo infra: ‘gestire est sensum corporis gestu indicare, quod magis animalium est mutorum’.

sordidus: sordidus dicitur homo incultus moribus, turpis.

128 et *lusco* qui possit dicere ‘lusce’,

tangit eos qui sibi in stultis diceriis placent tamquam acutis. cf. v. 56 (*calve*) adn.

lusco: ‘naturale vitium est, ut sit homo luscus. qui sapiens est, naturale vitium non reprehendit’ Schol. ridere hominem luscum improborum comitorum est, ut apud Plautum legimus: ‘*edepol lenones meo animo novisti, lusce, lepide*’ Curc. 505¹.

possit: coniunctivum (*possit*) indicativo (*gestit* v. 127) subiungi non est quod mireris, cum sit modorum haec variatio poesi propria; cf. *quid sumus ... quid habet ... quantum deceat* 3, 67 sqq.

129-130 *sese aliquem credens, Italo quod honore supinus / fregerit heminas Arreti aedilis iniquas,*

sese aliquem credens: ‘se hominem gravem atque potentem credens’².

honore: ‘aedilitate’. etiam parva oppida magistratus suos habebant inter quos aediles summis quidem honoribus apud suos gaudebant, Romanis vero magistratus isti minuti fastuque provinciali tumentes derisui erant³.

supinus: ‘superbus’⁴, quia superbi elato resupinoque⁵ capite incedere solent cf. ‘*supino* [sc. capite] *arrogantia ostenditur*’ Quint. inst. 11, 3, 69.

¹ hunc Plauti locum inveni in margine commentarii Casauboni (Parisiis 1605, p. 162. exemplar ex libris comitis de Camaldolio) ignoti cuiusdam manu adscriptum.

² cf. ‘*nunc iste se aliquem putat quod custodit litigatorum turba limen obsessum*’ Sen. dial. 5, 37, 3; ‘*neque ... velis esse aliquem*’ Cic. Att. 3, 15, 8; ‘*si vis esse aliquis*’ (Juv. 1, 74) i. e. ‘*si vis esse in pretio et honore*’, v. Thll 1, 1614, 49; Hofmann, *Lateinische Umgangssprache*, p. 203; cf. εἰναί τι.

³ cf. Hor. sat. 1, 5, 34 sqq.

⁴ cf. ‘*fastidiosus / aedilis est: si quae improbae sunt merces, iactat omnes*’ Plaut. Rud. 372 sq.

⁵ cf. ‘*et mediam tulerat gressus resupina per urbem, / invidiosa suis*’ Ov. met. 6, 275 sq.; ‘*ille, qui in scaena latus incedit, et haec resupinus dicit: "en impero Argis"*’ Sen. epist. 80, 7.

fregerit: aediles praeter cetera sua officia etiam mensuras improbas, quibus emptores a callidis mercatoribus fraudabantur, tollendas frangendasque curabant¹. ceterum certo consilio a Persio Arretium oppidum potissimum inducitur fictilibus abundans²; fit enim res ridicula: nimirum magnum aliquid vir ille gravis aedilicia potestate fretus perpetravit cum mensuras fictiles vilissimas rerum fregisset! fuerunt autem heminae minores mensurae (hemina est dimidia pars sextarii), propter quod damnum ab iniquis heminis levissimum esse debuit.

iniquas: 'non iustae magnitudinis', vide dig. loc. mem. adn. 1.

131-132 *nec qui abaco numeros et secto in pulvere metas / scit risisse vafer*, dicit Persius nolle se in numero lectorum saturarum suarum insulsos arithmeticae (*abaco numeros*) et geometriae (*secto in pulvere metas*) irrisores habere.

abaco: abacus tabula est pulvere aspersa in qua arithmetici numeros suos radio describebant.

pulvere: vel de pulvere abaci (et fit hendiadys) vel dicit de summo pulvere terrae in quo geometrae figuras adnotabant.

metas: meta est figura conica.

scit: ironice dictum v. 1, 53 adn.

risisse: inf. perf., quae forma alias sententiarum gravitati maxime convenit vide 1, 42 adn.

vafer: scilicet facetum et ingeniosum se putans.

132-133 *multum gaudere paratus, / si cynico barbam petulans nonaria vellat*.

multum gaudere: *multum* adverbialiter invenitur praeterea in 3, 46; 86.

petulans: vide v. 12 adn.³

barbam vellat: quod contumeliosum est⁴, cf. 2, 28.

nonaria: 'nonaria ... dicta est meretrix, quia apud veteres a nona hora prostabant, ne mane omissa exercitatione militari illo irent adulescentes' Schol. hoc versu ad Horatianum illud 'vellunt tibi barbam / lascivi pueri' (sat. 1, 3, 133 sq.) alludit Persius.

¹ cf. 'si quis mensuras conduxerit, easque magistratus frangi iusserit, si quidem iniquae fuerunt' Ulp. dig. 19, 2, 13, 8.

² vide Mart. 14, 98; 1, 53, 6.

³ cf. 'petulci dicti ab appetendo: unde et meretrices petulcas vocamus' Serv. geo. 4, 10.

⁴ cf. Carl Sittl, *Die Gebärden der Griechen und Römer*, Leipzig 1890, p. 105.

134 *his mane edictum, post prandia Callirhoen do.*

his: refertur ad *hic* (v. 127).

edictum: (sc. 'do'). a plerisque edictum praetoris intellegitur, quod mane avide ab eis excipitur, qui nullis bonis artibus sed avaritiae et faenori vacant. Callirhoe si scholiis credis vel pantomimae vel ineptae cuiusdam tragoediae nomen fuit. recentiores interpretes de meretrice quadam nobili eiusdem nominis cogitant. mihi haec potissimum sententia probabilis videtur: 'hos mane in forum ire iubeo, post prandium vero adeant Callirhoen meretricem'; vult enim dicere: 'homines crassioris ingenii (quorum indoles ex deliciis eorum in vv. 127-133 descriptis patet) nolo meas saturas legant, quin potius mane in forum eant atque edicto praetoris¹ diligenter attendant, post prandium vero scortis delectentur: haec est enim vita eorum frigidis negotiis et vanis deliciis plena²'.

Callirhoen do: 'Callirhoen assigno, mando' (cf. '*forum putealque Libonis / mandabo siccis*' Hor. epist. 1, 19, 8 sq.), i. e. 'iubeo, ut Callirhoen adeant'.

do: de notione concedendi, permittendi, cum spectetur voluntas praebentis cf. ThLL 5, 1, 1678, 56 sqq. facete formulas edicti praetoris vel iurisconsultorum imitatur poeta cf. '*nec petitionem nec possessionem dabo*' Cic. Verr. 1, 113.

¹ etenim sapienti nihil cum praetore. hic non prorsus alienum erit v. 5, 93 f. afferre: '*non praetoris erat stultis dare tenuia rerum / officia*'.

² atque hic recurrit ad illud '*o curas hominum! o quantum est in rebus inane!*', v. 1.

SATURA II

DE VOTIS

Haec satura, cui celebre inter philosophos argumentum est de votis precibusque humanis¹, pro munere natalicio² scripta est ad Macrinum, virum Persio amicitia devinctum³. poeta in vulgares errores invehitur: nam cum multa sint quae vulgo cupide usque ad scelus homines votis appetere soleant, in hoc tamen humanae mentis error vel maxime versatur, quod fere vana specie falluntur, et saepe melius est optata non impetrasse, tantum abest ut vota stulte concepta reddere possint beatos. nihil igitur ultra a diis petendum quam ut animum rectum atque honestum mentemque puram tribuant.

1 *Hunc, Macrine, diem numeram meliore lapillo,
diem: sc. natalem.*

numera meliore lapillo: 'inter faustos dies computa'. cf.: 'more Thraciae gentis, quae calculos colore distinctos pro experimento cuiusque diei in urnam

¹ cf. Ps. Plat. Alc. II; Arist. Περί εὐχῆς (cuius operis testis est Diog. L. 5, 22); Maxim. Tyr. diss. 5 Εἰ δεῖ εὐχεσθαι; similis argumenti est Luciani dialogus cui titulus πλοῖον ἢ εὐχαί.

² carminum nataliciorum multa exempla exstant, ut Hor. carm. 4, 11; Prop. 3, 10; Tib. 1, 7; 2, 2; Ov. trist. 5, 5; Stat. silv. 2, 7; 4, 7; 8.

³ haec pauca de Macrino compertum habemus: '*alloquitur Macrinum, hominem sane eruditum et paterno se [i. e. Persium] affectu diligentem, qui in domo Servilii didicerat, a quo agellum comparaverat indulto sibi pretio aliquanto*' Schol. ad 1.

condit ac supremo die separatos dinumerat atque ita de quoque pronuntiat Plin. nat. 7, 131.

meliore: albo nempe cf. 1, 110 (*alba* adn.) Macrinus, vir bonus, cui pia omnia in votis sunt, dies natales grate numerare potest.

2 *qui tibi labentis apponit candidus annos.*

apponit: quasi lucro apponat¹; scite poeta molestam imaginem annorum senium secum ferentium evitat, sed annos praeteritos dicit quasi stabiles divitias in acceptum referri. ceterum *apponit* idem atque 'solet apponere' significat.

labentis: naturā fugaces.

candidus: qui et ipse 'faustus'² est.

3 *funde merum genio.*

cf. *'hic forsitan quis quaerat, quid causae sit ut merum fundendum genio, non hostia faciendum putaverit. quod scilicet, ut Varro testatur in eo libro cui titulus est Atticus et est de numeris, id moris institutique maiores nostri tenuerunt, ut cum die natali munus annale genio solverent, manum a caede ac sanguine abstinerent*³, *ne die qua ipsi lucem accepissent alii demerent*' Cens. de die nat. 2, 2⁴.

genio: in honorem genii (sub cuius tutela apud veteres nasci homines et vivere notum est⁵), ut places eum.

3-4 *non tu prece poscis emaci, / quae nisi seductis nequeas committere divis.*

emaci: emaces preces dicuntur preces de opibus acquirendis cf.: *'prima fere vota et cunctis notissima templis / divitiae, crescant ut opes*' Iuv. 10, 23 sq.

¹ de 'apponere' sensu 'in lucro ponere' cf. *'quem Fors dierum cumque dabit, lucro / appone'* Hor. carm. 1, 9, 14 sq.

² cf. *'at tu, natalis multos celebranda per annos, / candidior semper candidiorque veni'* Tib. 1, 7, 63 sq.; *'optime natalis! quamvis procul absumus, opto / candidus huc venias'* Ov. trist. 5, 5, 13 sq.

³ cf. οὐδὲν ἔμψυχον ἔθουον etc. (ubi de urbis Romae die natali loquitur) Plu. Rom. 12, 1.

⁴ haec recte quidem Censorinus, nisi quod Caesaribus non sine sanguine sacrificabant; tum memini Horatium Maecenati diem natalem agenti agnam immolare parasse (Hor. carm 4, 11, 8). suo igitur genio sine sanguine sacrificabant, nam aliorum natales hostiis etiam celebrabant (vide E. Courtney in Iuv. 12, 1 (*A Commentary on the Satires of Juvenal* by E. Courtney, London 1980, p. 518).

⁵ cf. 4, 27 adn.

vox 'precis' plerumque plurali numero usu venit, sed Persius, quo nauseam loquendi consuetudinis reficeret singulari numero usus est.

seductis: tamquam seorsum ductis, 'ne testis quisquam et arbiter secretorum interveniat' (Donat. Ter. Hec. 144), nam pudet eiusmodi preces coram hominibus facere.

5 *at bona pars procerum tacita libabit acerra:*

bona pars: i. e. 'satis magna'¹, 'plerique'. inest tamen oxymoron quoddam, cum bona procerum pars minime virorum 'bonorum' sit.

procerum: carpit nobiles potissimum quibuscum Macrinus ideo conferendus erat ut virtutes eius magis eluceret. in universum autem hoc statui potest: in saturis suis Persium homines nobiles, quorum ex numero et ipse est, maxime respicere; plebem vero nihil curare sed in tantum tractare quantum illa invicem nobiles tangat.

tacita ... acerra: per enallagen dicit pro ipsis proceribus tacitas (i. e. subpressa voce) preces concipientibus. notandum est veteres numquam omnino sine voce deos precari, ideoque 'tacitae' preces re vera submissa voce fiebant².

libabit: futurum q. d. gnomicum³.

acerra: acerra est 'arca turaria' Gloss. 4, 6, 5.

6-7 *haut cuius promptum est murmurque humilisque susurros / tollere de templis et aperto vivere voto.*

promptum est: 'facile est'.

humilisque susurros: 'subpressas voces'. facete ludit Persius: vox humilis at mens non item (vide vv. 9-14)!

tollere de templis: cf.: 'nunc enim quanta dementia est hominum! turpissima vota dis insusurrant; si quis admoverit aurem, conticiscent, et quod scire hominem nolunt deo narrant etc.' Sen. epist. 10, 5.

8-14 hoc loco, quo unus e procerum numero loquens inducitur, Horatianos versus imitatur Persius:

vir bonus, omne forum quem spectat et omne tribunal,
quandocumque deos vel porco vel bove placat,

¹ cf. 'bona [sc. pars] nunc pro magna dictum' Porph. in Hor. sat. 1, 1, 61.

² cf. 'haut illic [sc. Delphis] tacito mala vota susurro / concipiunt' Lucan. 5, 104 sq.; 'tacito ... murmure' Ov. met. 6, 202.

³ KS 1, 142 sq.; LHS 310; cf. 'Chrysippus non dicet idem' Iuv. 13, 184.

‘Tane pater’ clare, clare cum dixit ‘Apollo’,
labra movet metuens audiri: ‘pulchra Laverna,
da mihi fallere, da iusto sanctoque videri,
noctem peccatis et fraudibus obice nubem’.

Hor. epist. 1, 16, 57-62.

et:

‘o si angulus ille
proximus accedat, qui nunc denormat agellum!
o si urnam argenti fors quae mihi monstret, ut ille,
thesauro invento qui mercennarius agrum
illum ipsum mercatus aravit, dives amico
Hercule!’

Hor. sat. 2, 6, 8-13.

8 ‘mens bona, fama, fides’ haec clare et ut audiat hospes;
‘mens bona, fama, fides’: sc. ‘mihi contingant’. mens bona est ‘integra
mens’, ‘animus sanus’ cf. ‘orandum est ut sit mens sana in corpore sano’ Iuv.
10, 356.

hospes: ‘hospes pro quolibet ignoto posuit’ Schol.

9-10 illa sibi introrsum et sub lingua murmurat ‘o si / ebulliat patruus, prae-
clarum funus!’

‘at ea, de quibus erubescerent, nequis audiat, murmure intra suam conscientiam
celebrant ... neque ultra murmur vota sua nefaria efferunt conscientia sua deter-
riti. haec intra se nequiore voto agunt, ut patruus moriatur, ut pecunias inveniat,
aut pupillus, cuius hereditati ipse proximus est, intereat’ Schol.

introrsum: ‘intra semet ipsum’.

ebulliat: i. e. ‘moriatur’, intransitive dictum: ‘ebullit id est exspirat’
Schol. cf.: ‘ebullire autem proprie exspirare, metaphora sumpta a bulla, quae ali-
quo venti tenore sustentatur; quae bullae cum in aqua fiunt cadentibus guttis,
rumpuntur, et spiritum, quo continentur, emittunt; ex quo etiam proverbialiter
dicitur: "homo bulla est"’ Schol. praeterea vide Indicem s. v. synzesis.

praeclarum funus: ‘hypallage, non praeclarum funus, sed quia praeclaram
dat hereditatem’ Schol.; sed istud quidem subauditur, deo vero haec (falsa
nimirum) persuasum iri vult: ‘si patruus exspiret, splendido exequiarum
apparatu pietatem meam erga illum probabo!’. qua de re fit, ut funus
quantum ad deum spectat magnificas ‘exequias’, quantum vero ad inti-

mam veteratoris istius sententiam, praeclaram et exoptandam ‘mortem’¹ significet².

10-12 *et ‘o si / sub rastro crepet argenti mihi seria dextro / Hercule!*

argenti: argentum simpliciter pro ‘pecunia’ positum cf. Hor. sat. 2, 6, 10; Pers. 3, 69.

seria: vas fictile oblongum satis magnum dolio quidem minor amphora vero multis partibus maior³.

mihi: mirum esset hominem divitem arare: adeo Persius Horati (sat. 2, 6, 10-13) imitandi libidine longe provehitur.

dextro: ‘propitio, favente’.

Hercule: Hercules opertis lucris atque thesauris praefuisse credebatur⁴. fuit praeterea moris Herculi decimam dicare partem bonorum quae domi aut militiae parta essent⁵.

12-13 *pupillumve utinam, quem proximus heres / inpello, expungam,*

testamentorum auceps describitur, qui mortem pupilli cupit quia puero mortuo hereditaria iste, qui secundus heres scriptus est, in pueri locum succedit. testamentum autem ad hunc modum scribebatur: ‘TITIUS FILIUS MEUS MIHI HERES ESTO. SI FILIUS MEUS ... PRIUS MORIATUR QUAM IN SUAM TUTELAM VENERIT, TUNC SEIUS HERES ESTO’⁶.

proximus heres: ‘secundus heres’.

¹ cf. ‘funus promittere patris / nec volo nec possum’ Iuv. 3, 43.

² hunc locum praeclare Nicolaus Boileau (Boileau) imitatus est:

Oh! que si cet hiver un rhume salutaire,
Guérissant de tous maux mon avare beau-père,
Pouvoit, bien confessé, l’étendre en un cercueil,
Et remplir sa maison d’un agréable deuil!
Que mon âme, en ce jour de joie et d’opulence,
D’un superbe convoi plaindroit peu la dépense!

(Épître 5, 61 sq.)

³ apud Columellam (12, 28, 1) seriam septem amphorarum invenias (26, 2 l. × 7 = 183, 4 l.).

⁴ cf. Ps. Acro Hor. sat 2, 6, 12 sq.

⁵ cf. Plaut. Stich. 233; 386; Truc. 562; Bacch. 665; Most. 984; CIL 1² 626; 632; 1531.

⁶ Gai. 2, 179; cf. Cic. de inv. 2, 122; de or. 2, 141.

impello: ‘insto’¹, cf. ‘impulit’ v. 59 cum adn. apte hoc verbum summo-
vendi studium exprimit.

expungam: expungere est proprie delere de tabula; ideoque expungi
etiam ille dicitur qui morte locum in testamento amittit. ceterum comper-
tum habemus multos fuisse qui pupillos de medio tollebant, ut heredita-
tibus fruerentur²; hic vero nolim de talibus facinoribus cogites.

13-14 *nam et est scabiosus et acri / bile tumet;*

causas ‘iustas’ praetendit, cur mortem pupilli ‘pie’ optet: ‘nempe morbo-
sus iste puer cur vivat? quin potius moriatur finemque dolorum inveniat’.
puer autem ille scabie et acri bile (melancholia) laborat, qui morbi satis
leves apud pueros esse solent³, cf.: ‘*scabies vero durior cutis, rubicunda, ex
qua pusulae oriuntur, quaedam humidiores, quaedam sicciores. exit ex quibusdam
sanies, fitque ex his continuata exulceratio pruriens*’⁴. e composito morbos (qui
fortasse nulli erant) male definit avarus noster, nam scabiosum etiam id
dicitur, quod quocumque modo vitiatum est⁵, nedum de melancholia
dicam, quae potius morborum quaedam mater quam proprie morbus exis-
timabatur⁶.

nam et: ‘-m’ non eliditur; solent enim monosyllaba in ‘-m’ exeuntia
ante syllabam brevem non elidi cf. Hor. sat. 2, 2, 28, sed: ‘*nam et*’ Pers. 5,
159 cum elisione necesse est legas (videtur poeta diligentiore cura nor-
mam loquendi observare quando ipse loquitur, quam ubi personam lo-
quentem inducit).

14 *Nerio iam tertia conditur uxor.’*

Nerio: nomen a Horatio mutuatum esse videtur, cf. ‘*Nerius quidam
morte coniugum locupletatus fenerator factus est notissimus, de quo Horatius ait
‘scribe decem Nerio’ [sat. 2, 3, 69]*’ Schol.

¹ cf. ‘*unda impellitur unda*’ Ov. met. 15, 181; huc facit etiam Lucan. 1, 149 sq.:
‘*impellens quidquid sibi summa petenti / obstaret gaudensque viam fecisse ruina*’.

² Suet. Galb. 9; Cic. Cluent. 32; Iuv. 6, 629 sq.

³ nam de gravi scabie propter atram bilem ortam (Gal. de sympt. differ. lib. 2,
6 (7, 197 K)) vix cogitandum.

⁴ Cels. 5, 28, 16 a.

⁵ cf. Pers. 5, 74.

⁶ ‘*nascitur ... bilis acida et amara, quae dicitur mater morborum*’ Ps. Hippocr. epist.
ad Maec. 3.

*conditur*¹: ‘sepelitur’.

uxor: apud veteres dos adventicia (i. e. quae non a patre mulieris sed a quovis alio data), mortua in matrimonio muliere, marito cedebat; immo et dos profecticia (i. e. quam pater mulieris dedit) apud maritum remanebat, siquidem pater mulieris superstes non foret, cf. dig. 23, 3.

15 *haec sancte ut poscat,*

haec: talia vota.

sancte: huius verbi ironia in eo consistit, quod ‘sancte’ non solum ‘pie, auguste’ sed etiam ‘rite, ita ut deorum cultus postulat’ significat. credit iste ineptus, qui nihil sibi cum pura mente sanctisque cogitationibus negoti esse putat, continuo se deorum favorem conciliaturum, dummodo ritus omnes diligentissime observet.

poscat: etiam ‘poscas’ (vide app. crit.) legitur, perperam; cf. ‘*rogabit / heus ... palles*’ 3, 93-94 ubi similis est usus tertiae personae sing.

15-16 *Tiberino in gurgite mergit / mane caput bis terque et noctem flumine purgat.*

homines cum dis acturi et sacra facturi lavari expiandi et purgandi causa matutino praesertim tempore solebant², ut puri sacra adirent.

mergit: totum se cum capite mergit.

bis terque: ‘saepius’. ceterum nota tibi: *bis terque* indicat ‘minimum ter id fieri’ i. e. ‘saepius’; *bis terve* autem: ‘maximum ter id fieri’ i. e. ‘raro’³.

noctem: pro ‘noctis sordes’, dicit res venereas somnia ipsumque somnum⁴, quibus rebus omnibus homines se pollui credebant.

17 *heus age, responde (minimum est quod scire laboro):*

quaerit poeta ex isto male religioso homine, quid de Iove sentiat, quem talia precari audeat?

¹ si loco *conditur* legas (vide app. crit.) *ducitur*, ad hunc modum intellige: ‘Nerius iam tertiam uxorem in matrimonium ducit’; duarum scilicet mulierum defunctorum dotibus potitus est Nerius et iam tertiae adhuc viventis dote uti incipit cf. e. g. quid Ulpianus sentiat: ‘*dotis fructum ad maritum pertinere debere aequitas suggerit; quum enim ipse onera matrimonii subeat, aequum est, eum etiam fructum percipere*’ dig. 23, 3, 7.

² cf. Hor. sat. 2, 3, 291; Iuv. 6, 523.

³ cf. Brink ad Hor. ars 358.

⁴ cf. ‘*quia dicitur nox etiam solo somno polluere*’ Serv. Aen. 8, 69.

heus: vox est interpellantis, cf. ‘*vox est de longinquo revocantis*’ Donat. Ter. Adelph. 281, cf. Pers. 3, 94.

minimum etc: ironice: ‘non est magnum, quod abs te quaerere cupio’.

scire laboro: cf. 5, 39.

laboro: ‘aveo’, ‘magnopere studeo’.

18 *de Iove quid sentis?*

sensu: ‘quanti Iovem aestimas?’, ‘quo loco Iovem habes?’

sentis: ‘opinaris’.

18-19 *est, ut praeponere cures / hunc ... ‘cuinam?’ cuinam? vis Staiio?*
‘itane res se habet, ut Iovem Staiio re vera praeponas?’

est, ut: ‘ita res se habet, ut’, ‘it is the case that’ OLD s. v. ‘sum’ 7; cf. e. g. ‘*est ... uti possit caelum omne manere / in statione*’ Lucr. 5, 517 sq.

praeponere cures: ex usu sermonis cotidiani pro: ‘anteponas’.

hunc: sc. Iovem.

‘*cuinam?*’: interpellat avarus nihil adhuc suspicans miransque quemquam existere posse cui Iuppiter posthabendus sit; quam vocem statim atque quidem ex industria repetit poeta, cum Staii mentionem iam ad manum habuerit.

vis: sc. anteponere.

Staiio: Staius ponitur hic pro homine corruptissimo. fortasse C. Aelius Staienus auditur, homo aperte malus et qui iudex pessimi exempli fuit¹, de quo v. Cic. Cluent. 65; 68; 70 al.

19 *an, scilicet, haeres?*

sensu: ‘haeres nempe, neque audes Staium Iovi praeferre. at non debes haerere: quis enim est potior iudex? etc.’

¹ scimus ei pecuniam grandem Staium Albium Oppianicum ad corrupendum iudicium dedisse, cf. Cic. Cluent. 65. ‘*C. Staienus, qui se ipse adoptaverat et de Staieno Aelium fecerat* [i. e. se de C. Staieno sine ullo iure C. Aelium Paetum Staienum fecit; Persius vero videtur credidisse Staienum ante hanc commenticiam adoptionem Staium appellatum fuisse, quod tamen cognomen Staienum numquam habuisse certum est], *fervido quodam et petulanti et furioso genere dicendi; quod quia multis gratum erat et probabatur, ascendisset ad honores, nisi in facinore manifesto poenas legibus et iudicio dedisset*’ Cic. Brut. 241; cf. ‘*ut Staieno nuper accidit, qui ea locutus est bonis viris subauscultantibus pariete interposito, quibus patefactis in iudiciumque prolatis ille rei capitalis iure damnatus est*’ Cic. top. 75.

scilicet: ‘certe’¹, cum ironia dictum ut in 1, 15; 4, 4.

haeres: ‘intricatus remanes in dubitatione’.

20 *quis potior iudex, puerisve quis aptior orbis?*

dicit ironice Staium optimum omnium iudicem esse atque maxime ad pupillos tractandos tuendosque idoneum.

aptior: ‘magis idoneus’. cf. 5, 95 (*aptaveris*) adn.

21-23 latiore verborum ambitu sensum ita expresserim: si idem dicas Staio, quod Iovi confidenter dicere soles, mirabitur certe (saltem initio atque primo rei aspectu) scelesta vota tua atque exclamet ‘pro Iuppiter, o bone Iuppiter!’ (scilicet apud hominem perditissimum nondum omnia religionis vestigia evanuerunt atque quaedam – simulata licet – manent).

21-23 *hoc igitur, quo tu Iovis aurem impellere temptas, / dic agedum Staio: ‘pro Iuppiter, o bone’ clamet / ‘Iuppiter’;*

hoc: sc. votum, ut vv. 12 sqq.

impellere: *impellere* saepe valet: ‘sonitu aliquo percutere’². hic inest etiam notio: ‘aures Iovis expugnare’ cf. ‘*inpello*’ v. 13; ‘*vincere*’ v. 48 cum adn.; *impulit* v. 59.

dic ... clamet: vide Ind. (‘imperativus: in apodosi conditionalis sententiae’).

pro Iuppiter: ‘*pro Iuppiter*’ *tragica exclamatio est*’ Donat. Ter. Adolph. 111.

Iuppiter ... Iuppiter: haec iteratio formulae invocationis propria est, cf. Wills, *Repetition*, p. 50.

o: exempla, ubi haec vox exclamantis aliis interiectionibus additur pete ex ThLL 9, 2, 4, 15 sqq.

clamet: sc. Staius.

23 *at sese non clamet Iuppiter ipse?*

ridiculum: Staius Iovem inclamat, at Iuppiter deus summus supra quem nihil est, si scelesta haec vota audierit prae indignatione quid faciat? cuius

¹ cf. “*scilicet*” *interrogative quidem, sed sic, ut scire videatur id quod quaerit*’. Donat. Ter. Eun. 346.

² cf. ‘*arrectas impulit auris / ... sonus*’ Verg. Aen 12, 618; ‘*quis fremitus aures flebilis pepulit meas?*’ Sen. Phaedr. 850; ‘*corpoream quoque enim vocem constare fatendumst / et sonitum, quoniam possunt impellere sensus*’ Lucr. 4, 526 sq. sed cave credas Perisium Epicureum illud (τὸ αἰσθητήριον κινεῖν Epicur. epist. ad Herod. 53) respexisse.

fidem impleret nisi suam ipsius?¹. vv. 22-23 expressum est Horatianum: "*maxime*" quis non / "Iuppiter" exclamat, simul atque audivit? at in se...` (sat. 1, 2, 17 sq.).

24-25 *ignovisse putas, quia, cum tonat, ocius illex / sulphure discutitur sacro quam tuque domusque?*

‘credisne Iovem veniam tibi indulsisse, quoniam quando fulminat sancta potius arbor² fulmine concutitur quam tu cum tuis?’

sulphure: ‘fulmine’. fulmen ita vocatur quia ‘*fulmina ... sulphuris odorem habent*’ Plin. nat. 35, 177.

26-29 ordo: quia non iaces in lucis bidental triste et evitandum, iubente Ergennā et fibris ovium, an idcirco Iuppiter stolide tibi barbam praebet ad vellendum?

26-27 *an quia non fibris ovium Ergennaque iubente / triste iaces lucis evitandumque bidental,*

fibris ovium Ergennaque iubente: zeugma.

Ergennaque: nomen etruscum³, hic pro quolibet sacerdote positum. ridiculum: tamquam non sacerdos tantum, verum etiam fibrae ipsae iubeant.

triste: tractum de Horatio: ‘*an triste bidental / moverit incestus*’ ars. 471 sq.

bidental: bidental dicitur proprie locus de caelo tactus, quem locum caesis bidentibus et ara exstructa expiabant, atque ne quis tangendo in piaculum incurreret (ideo *evitandum* dixit), saepto includebant⁴. hic vero pro ipso homine fulgurito dictum.

28-29 *idcirco stolidam praebet tibi vellere barbam / Iuppiter?*

stolidam ... barbam: enallage.

praebet Iuppiter: ‘putas Iovem praebere’ cf. 4, 21.

¹ curiosi illud cogitent: ὁ θεός, ἐπεὶ κατ’ οὐδενὸς εἶχεν μείζονος ὁμόσαι, ὤμοσεν καθ’ ἑαυτοῦ Paul. epist. ad Hebr. 6, 13; cf. Gen. 22, 16.

² ‘*haec enim arbor in tutela Iovis est*’ Serv. Aen. 5, 129.

³ W. Schulze, *Zur Geschichte lateinischer Eigennamen*, Berlin 1904, p. 79 sq.

⁴ vide C. O. Thulin, *Die etruskische Disciplin*, pars I: *Die Blitzlehre*, Göteborg 1905, p. 92 sqq.

praebet: de verbo praebendi cum inf. vide LHS 345¹.

vellere barbam: quasi Iuppiter ad tantam vilitatem sui pervenisset, ut se contumeliis ultro praerberet. cf. 1, 133 adn.

vellere: infinitivus finalis; vide KS 1, 681; LHS 345.

29-30 *aut quidnam est qua tu mercede deorum / emeris auriculas?*

‘*an forte quaedam commercia cum Iove habuisti, quibus ille compellatur oboedire iniustis petitionibus tuis?*’ Schol.

quidnam est qua: sententia redundanter ex his duabus quasi conflata: ‘quidnam est quo tu etc.’ et ‘qua mercede tu etc.’ ceterum pleonasmum cottidiani sermonis usui familiarem esse omnibus notum est. noster pleonasmum utitur hic haud temere, sed ut interrogatio nervosior instantiorque (*quidnam ... qua*) fiat.

emeris auriculas: qua mercede emeris auriculas deorum ut faciles (i. e. quae libenter ac benigne in pia tua vota audiant) fiant?²

30 *pulmone et lactibus unctis?*

avarus iste putat se pronas deorum aures sacris animalium extis – vili pretio nisi mens pura accesserit – conciliasse.

lactibus: ‘*loca in lateribus sub umbilico pube tenus ... vel ... membranae sunt, quibus cohaerent inter se intestina*’ Schol.

unctis: ‘*pinguibus*’.

31-40 hactenus avarorum hominum scelestas plerumque vota insectatus est Persius. nunc ad superstitiosa muliercularum vota transit, quae prava religione atque caeco amore ductae, inania quin etiam damnosa quaedam in misera infantium capita invocant, postulantes eis vires eloquium (hactenus esto) insuper etiam Croesi divitias formam fulgentissimam et beatitudinem quandam fabulosam.

31-32 *ecce avia aut metuens divum matertera cunis / exemit puerum,*

metuens divum: h. l. ‘*superstitiosa*’ cf. Hor. sat 2, 3, 295, vide v. 35 adn.

matertera: ‘*matertera est matris soror*’ Paul. dig. 38, 10, 10, 14.

¹ ubi adde: ‘*paulumque umeri libare sinistri praebuit*’ Stat. Theb. 8, 527.

² cf. ‘*neque se fore posthac / tam facilem dicat (sc. Iuppiter), votis ut praebeat aurem*’ Hor. sat. 1, 1, 22; ‘*ipsi pauca velim, facilem si praebeat aurem*’ Iuv. 5, 107.

32-34 *frontemque atque uda labella / infami digito et lustralibus ante salivis / expiat*, mulier ad morbos et fascinum repellendos medio quem saliva¹ illeverat digito (*digito et ... salivis*: hendiadys) tangit pueri frontem (atque hoc fortasse eo consilio, quod frons genio potissimum dicata credebatur²) videlicet ut ceterum bene sapiat puer, tum eodem digito tangit labella ut eloquens fiat³.

uda: ut sunt fere infantium.

infami: 'medio'. medius digitus (qui ideo infamis vel impudicus dicebatur quoniam contractis aliis porrectus pudendam speciem i. e. membrum virile exhibet) in fascinis arcendis maximum valebat quia obscena ad effascinationem avertendam vim habere veterum superstitione credebatur⁴.

lustralibus: 'quae lustrant' et salutem afferunt.

expiat: sc. a malis instantibus cf. Iuv. 6, 521.

34 *urentis oculos inhibere perita;*

mulier perita scilicet avertere fascinum quod ex oculis malevolis fit. cf. γιγνώσκομεν γὰρ ἀνθρώπους τῷ καταβλέπειν τὰ παιδιά μάλιστα βλάπτοντες Plu. quaest. conv. 5, 7 p. 680 d.

urentis: 'perdentes', qui aspectu nocent; '*urentes oculos ... quia fascino urunt, tamquam consumunt*' Schol.

inhibere: 'id est prohibere ne fascino' Schol.

perita: hoc vocabulum bene mulierculae indoctam quandam calliditatem ironice exprimit (non dixit enim poeta 'inhibere docta'), quippe 'peritus' magis ad tenuis sermonis consuetudinem quadrat⁵. ceterum vide Indicem sub lemmate 'infinitivus adiectivo additur'.

35 *tunc manibus quatit*

ut solent nutrices etiam nunc facere quae infantes mulcent blandeque agitant⁶ quo somnum eis inducant. atque sic quidem plerique viri eruditi in-

¹ cf. 'lingua enim detersa fronte fronte mulieres amputare se infantibus fascinum putabant' Ps. Acro Hor. epod. 8, 18.

² vide Serv. ecl. 6, 3 et Th. Köves-Zulauf, *Römische Geburtsriten*, München 1990, p. 238 adn. 69.

³ cf. 'postulantes eis ... eloquium' Schol. ad v. 31.

⁴ cf. 'extranei interventu aut si dormiens spectetur infans, a nutrice terna aspui' Plin. nat. 28, 39.

⁵ Axelson, *Unpoetische Wörter*, p. 102.

⁶ cf. υἷὸν ἐπτεῖ κύσε πῆλέ τε χερσίν Hom. Il. 6, 474.

telleunt; et ego in eandem sententiam irem nisi *quatiendi* verbum sensu 'blande agitare' insolens fuisset. quapropter potius ita accipias: ista mulier quassat satis vehementer puerum ut fascinum atque morbos quasi decutiatur¹. si ita mecum interpretaberis melius credo tibi mulierculam istam insanam repraesentes, quae infantem adhuc debilem (*spem macram*) exemit cunis (v. 31. nae, ille melius ibi requiesceret!) et quatit atque ideo disturbat miserum cui opus est quiete. Persius hoc loco Horatium aliquatenus respicere videtur: '*casus medicusve levarit / aegrum ex praecipiti, mater delira necabit / ... febremque reducet: / quone malo mentem concussa? timore deorum.*' Hor. sat. 2, 3, 292-295. cf. '*metuens divum*' apud nostrum v. 31.

35-36 *et spem macram supplice voto / nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in aedis:*

spem: sic metonymice puerum ipsum poeta designat.

nunc ... nunc: 'modo ... modo'.

Licini: Licinius homo ditissimus fuit.²

Crassi: de M. Licinio Crasso divite nihil est quod dicam, cum in vulgus nota sint omnia.

mittit: mulier 'immittit' puerum in campos Licini et in aedes Crassi, i. e. optat ut horum similes divitias puer aliquando possideat (i. e. velut in possessionem eorum *mittit*). facete dixit 'mittit', nam et praetor apud iure-

¹ conferendus est quodammodo locus quem apud Ps. Quint. decl. 14, 7 legimus: '*non potest ullus adfectus sedibus suis ... expelli nisi totorum concussione vitalium*'. cf. 'On frappe l'enfant qu'on vouloit préserver des regards nuisibles. Les Turcs ont encore conservé cet usage ... Si quelqu'un fait l'éloge d'un enfant avec trop d'affectation, on frappe cet enfant, on lui cause une douleur légère pour empêcher l'effet de l'éloge ...' Le Monnier [Guillelmus Antonius Lemonnier 1721-1797], *Satires de Perse. Trad. avec le texte latin à côté, et des notes*, Paris 1771, p. 64 sq.

² de quo Schol. Vallae in Iuv. 1, 109: '*Licinius ... ex Germania puer captus tantae industriae fuit, ut reliquias cibariorum inter conservos faeneraret et cui quid credidisset, quali poterat chirographo, pugillaribus subnotaret. quos cum expeditione quadam transiturus flumen in vestimentis recondidisset, C. Iulio Caesari quodam denegante ei pugillaribus quicquam annotatum barbarus legendos obtulit. statim ad dispensationem est admissus, non multo post manu missus et deinde curationi Galliarum ab Augusto praepositus eas spoliavit et, cum flagraret invidia, basilicam sub nomine Gaii Iulii aedificavit. decessit sub Tiberio. proinde dives fuit, quasi Crassi opes etiam exhausisset, et dictus habuisse fundos, quantum milvi volant. unde Perius: 'nunc Licini in etc.'*'

consultos in possessionem bonorum proprie 'mittere' dicitur, sicut *mittere in aedes vel in fundum*, cf. ThIL 8, 1174, 57 sqq.; 'an in totam domum possidendam mitti quis debeat, videamus' Ulp. dig. 39, 2, 15, 13.

37 'hunc optet generum rex et regina,
iam fabulosa prorsus optat. cf. tamen 1, 67 (*regum*) adn.

37-38 *puellae / hunc rapiant;*
rapiant: 'diripiant' i. e. 'ament'.

38 *quidquid calcaverit hic, rosa fiat.*
'id est, ubicumque pedem posuerit, statim exinde rosa nascatur, et pullulet terra floribus pede calcata pueri' Schol. sensus: 'sua sponte omnia prospera ei dis faventibus, ubicumque ierit, eveniant' cf. Verg. ecl. 4, 23.

39 *ast ego nutrici non mando vota.*
poeta damnat vota nutricum, ut quae vera bona qualia sint nesciant. cf. 'etiam nunc optas, quod tibi optavit nutrix tua aut paedagogus aut mater? nondum intelligis quantum mali optaverint? o quam inimica nobis sunt vota nostrorum! eo quidem inimiciora quo cessere felicius' Sen. epist. 60, 1.

nutrici: *avias* et *materteras* dicit (vide supra); nam *nutricis* vocabulum latiore sensu omnes mulieres significat quibus pueri curae demandantur. ceterum scite non dixit 'aviae' vel 'materterae' poeta piissimus, qui cum propinquas suas certe nulla ratione offendere vellet (cf. 6, 52-55 adn.), stulta vota commodare eis noluit.

non mando: 'non iniungo ei hoc negotium', i. e. 'nolo ut vota suscipiat' cf. 'si quis tutelam mandaverit gerendam' Ulp. dig. 26, 7, 5, 3. observandum est Persium hoc versu festive gravitatem simulare, nam 'ast' et 'mando'¹ iuris propria vocabula sunt. atque *ast* habet interdum sollemnem quandam coniungendi vim, tum etiam in responsis ponitur².

39-40 *negato, / Iuppiter, haec illi, quamvis te albata rogabit.*
quamvis: 'quamvis' interdum etiam indicativo iungitur; vide LHS 604; KS 2, 442 sq.

¹ cf. 'non mando: verbo usus est aruspicum, cum eis dicitur "mando tibi ut maximum Iovem audias", ut quemadmodum procurationis assertio fit, ita fiat et in sacris et in prece' Schol.

² vide OLD s. v. 1; cf. praeterea 'at' in responsis e. g. Ulp. dig. 44, 2, 9, 2; 44, 2, 24.

albata: 'albam vestem induta'. i. e. 'licet diligentissime ritus observet'; nam pura atque candida veste utebantur qui rem divinam rite faciebant cf. 'color autem albus praecipue decorus deo est cum in ceteris tum maxime in textili' Cic. leg. 2, 45. bene dixit de muliercula quae cum animo vere candido atque composito (quod sapientis est; vide apud nostrum v. 73 sq.) deos precibus adire non posset, veste tantum candida eos adiit.

rogabit: futur. potent. vide Indicem s. v. 'futurum gnomicum'.

41-51 iam alia aliorum vota inducit atque deridet: quomodo potes corpori continuam vim atque valetudinem a dis exposcere cum in sacrificiis nimium vorax sis atque ideo ipse vota tua destruas? qua porro ratione vis gregem tuum crescere, quem frequentibus sacrificiis semper diminuis? atque dum haec stulte exoptas et spem vanam foves, rem familiarem ad assem redigis.

41-42 *poscis opem nervis corpusque fidele senectae. / esto, age.*

poscis opem nervis: non 'poscis vim nervorum' sicut plerique falso intellegunt, sed: 'poscis opem (i. e. auxilium) deorum, ut tribuant tibi vim nervorum' i. e. 'ut firmos eos faciant'. de constructione cf. '*orantes opem valitudini*¹' Suet. Vesp. 7, 2.

nervis: nervis enim robur corporis constat, sicut dicimus νευροῦσθαι pro roborari.

fidele senectae: 'poscis (ut di reddant tibi) corpus sanum², quod senio resistat'; cf. apud Plinium: '*materies ... fidelis ad vetustatem*', ubi Plinius ἀνώλεθρον exprimit³.

senectae: dat. pendet non a verbo *poscis* sed a *fidele*.

esto, age: hoc quidem votum a poeta probatur, quasi dicat: 'bene hactenus. nihil enim adhuc vitiosi tibi optasti'.

esto: 4, 20 adn.

¹ sc. nervorum cf. ib. 7, 1.

² cf. '*fidele, robustum validum quod sustineat senectam quae morbis omnibus abundat.*' Schol. ad l.

³ '*materies ei admodum lenta ac fidelis ad vetustatem*' Plin. nat. 13, 54, ubi habuit ante oculos: ξύλον δὲ ἔχει γλίσχρον καὶ τὸ ὅλον ἀνώλεθρον Theophr. hist. plant. 3, 15, 4.

42-43 *sed grandes patinae tucetaque crassa / annuere his superos vetuere Iovemque morantur.*

nexus sententiarum: quod si optas bonam valetudinem et corpus etiam in senectute validum, bene est (vv. 41-42); at multus cibus, quem devoras, impedit deos quominus vota tua exaudiant. constructio: *sed grandes patinae cum crassis tucetis vetuerunt superos his (sc. votis) annuere et morantur Iovem.*

tucetaque: tucetum est, ut videtur, ius quoddam concretum (gelatinosum) frustulis carnis inditis¹, genus cibi valde pingue² ideoque valetudini adversum.

44 *rem struere exoptas caeso bove*

rem struere ... caeso bove: paradoxon loquitur, quasi dicat: 'tunc vis destruendo struere?'. 'et bene ad invidiam "caeso bove" dixit, quasi auctore rei familiaris; cultura enim bovum ditescunt homines' Schol.

struere: 'augere'.

44-45 *Mercuriumque / arcessis fibra:*

Mercuriumque: Mercurius est deus lucri (κερδοῦς Plu. tranq. an. 12, 472 b) nec non ἐπιμήλιος (Paus. 9, 34, 3), μηλόσσος (AP 6, 334, 3) et νόμιος (Aristoph. Thesm. 977).

arcessis: 'arcessere: quod evocantis est proprie' Serv. Aen. 6, 119.

45-46 'da fortunare penatis, / da pecus et gregibus fetum.'

da fortunare penatis: 'Mercuri, fac, ut penates (i. e. domus atque res familiaris³) florent'.

da ... da: formula precatiois, cf. Verg. Aen. 3, 85; Iuv. 10, 188; Wills, *Repetition*, p. 93 adn. 13.

¹ cf. 'tuceta apud Gallos Cisalpinos bubula dicitur caro condimentis quibusdam crassis oblita ac macerata, et ideo toto anno durat' Schol.; *tucetum*: ζωμός παχύς Gloss. 2, 202, 53; 'tucca: κατάχυμα ζωμοῦ' Gloss. 2, 202, 52; 'glaciali conditione tuceta' Arnob. nat. 2, 42 (CSEL 4, 82). cave Iacobo André, *L'alimentation*, p. 143, auctori alioqui probatissimo, hac de re credas.

² cf. 'adipatum: tucetosum vel crassum' Gloss. Sal. non erit absurdum Martialis lusum huc afferre: 'non est, Tucca, satis quod es gulosus: / et dici cupis et cupis videri.' Mart. 12, 41.

³ nam penates a 'penu' dicti.

da pecus et gregibus fetum: cf. ‘pingue pecus domino facias’ Hor. sat. 2, 6, 14. *gregibus fetum* i. e. ut fetura gregem suppleat.

46-47 *quo, pessime, pacto, / tot tibi cum in flammis iunicum omenta liquescant?* sensus: quomodo potes, nequissime, gregis proventum expectare qui iuvenas, quae potissimum spes gregis sunt (quia subolem edunt), immoles?

iunicum: iunix est iuvenca. ‘iunices dicuntur aetate viridiores vaccae inter vitulas et vaccas’ Schol.

omenta: omentum est ‘membranum, quod continet intestinorum maiorem partem, quod ἐπίπλουv Graeci vocant’ Isid. orig. 11, 1, 130¹. sed hic omenta simpliciter pro ‘extis’ dicta.

in flammis ... liquescant: expresse Persius de helluone isto dixit, qui bona sua in nihilum solvit (cf. *liquescant*), cf. ‘omne / verterat in fumum et cinerem’ Hor. epist. 1, 15, 38 sq.; ‘instar fumi resolvuntur in nihilum’ Hier. epist. 100, 1.

48-49 *et tamen hic extis et opimo vincere fertum / intendit*:

et tamen: adversative. cf. 5, 159. ceterum observandum est: ‘at tamen’ tum infertur cum oratio ad minus descendit si maius aliquid effici non potest, ubi vero admonitio tantum e contrario genere adiungitur, Latine ‘et tamen’ dixeris².

opimo: per opimum vult ‘sacrum’ idemque ‘pingue’ fertum intelligi.

vincere: ‘vincere’ est vox eorum, qui sibi iam voti compotes fieri videntur, id assequuntur quod volunt³; sed hic etiam id distincte auditur: ‘deos quasi expugnare muneribus’ cf. *inpellere* v. 22 cum adn.

fertum: fertum genus est libi, quod diis infertur⁴.

intendit: intendendi verbum dicitur de eo, quod quis instituit enixe facere in quocumque genere.

¹ cf. ‘ventriculus atque intestina pingui ac tenui omento integuntur’ Plin. nat. 11, 204.

² vide Madvig ad Cic. fin. 2, 85 et 3, 48.

³ cf. ‘victor, effector propositi et voti’ Serv. geo. 3, 9; ‘victi, id est voti impotes’ Serv. ecl. 9, 5; ‘vicimus: assiduas non tulit illa preces’ Prop. 1, 8, 28; ‘vicimus! en meus est!’ Ov. met. 4, 356.

⁴ Paul. Fest. p. 75, 17 sqq. L. cf. ‘fertum Iovi <om>moveto et mactato sic: ‘Iuppiter, te hoc fertum obmovendo bonas preces precor, uti sis volens propitius mihi liberisque meis domo familiaeque meae mactus hoc fertum’ Cato agr. 134, 2.

49-50 *'iam crescit ager, iam crescit ovile, / iam dabitur, iam iam ...'*,
haec in summa expectatione loquitur, se ipse scilicet spe vana deludens.
iam ... iam ... / iam ... iam iam: anaphora (cf. ThLL 7, 1, 117, 62 sqq.; 118,
54) acrem expectationem exprimit.
crescit ager: 'bonis augetur'.

50-51 *donec deceptus et exspes / nequiquam fundo suspiret nummus in imo.*
prosopopoeia inducitur: ipse nummus omni (ideo *nequiquam*) spe cres-
cendi defraudatus suspirat, scilicet quod non pullulet¹ (amat enim
crescere nummus), sed usque ad imum fundi contractus atque deminutus
sit. ceterum nota tibi: nummus quidem delusum atque desolatum se esse
putat ducitque suspiria, at homuncio ipse deceptum se esse non sentit.
nummi: cf. chol. 12 (*nummi*) adn.

52-58 et inde usque ad v. 75 sic pergit poeta: si tibi aurum et argentum
dem, valde exsultes atque ex eo quod ipse auro tibi dato et argento
gaudes, subit tibi opinio deos quoque eisdem rebus laetari. ideo statuas
deorum inauras. tum (vv. 59-75) ad condicionem miserorum mortalium
contemplandam reprehendamque deflectit Persius: aurum ubique templis
immissum esse, scilicet praeposteram humanam mentem putare deos iis-
dem quibus homines deliciis capi. at si carnem humanam gaudia sentire
posse, aliter se res apud deos habere: quomodo enim divinam illam
deorum mentem corporalibus bonis affici posse? quin potius animi bonis
deos adeamus!

52-53 *si tibi creterras argenti incusaque pingui / auro dona feram,*
creterras argenti incusaque ... dona: hendiadys.
pingui: 'multo'. cf. "'pingui", non subtili scilicet' Porph. Hor. epist. 1, 2,
267. inest huic vocabulo et 'crassi, stupidi' notio, quae quidem ad ipsum
donum atque ad personam accipientis referenda est.

incusaque: vas, cui ornatus causa seorsim elaboratae figurae ex pretioso
aliquo metallo extrinsecus 'incudebantur', incusum dicebatur vel ἐμπαισ-
τόν. luxuriae fuit talia vasa habere².

dona: 'dona' praedicative positum ad 'creterras' et 'incusa'.

¹ simili imagine, licet in contrarium versa, utitur Iuvenalis: 'ac velut exhausta
recidivus pullulet arca / nummus' Iuv. 6, 363 sq.

² cf. 'non habeamus argentum in quod solidi auri caelatura descenderit' Sen. epist. 5, 3.

53-54 *sudes et pectore laevo / excutiat guttas laetari praetrepidum cor.*

sudes: prae gaudio, cf. 3, 47.

pectore laevo: (abl. separat.) sudat sinistra parte pectoris, 'ubi cor [in quo 'omnis sollicitudo ... manet' Schol.] salit, et sudor erumpere solet' Bentley ad Hor. carm. 2, 19, 7. (tamen et illud quodammodo suppetit: 'pectore stulto'¹. sed haec talia minime insolentia apud Persium, nam et alias ambiguitates sermonis multas offendimus sicut – ne lineas transsiliam atque ideo unum tantum exemplum ponam – praecedenti versu (vide 'pingui' adn.) vidimus.)

guttas: sc. cor excutiat guttas sudoris.

laetari praetrepidum: i. fere ac 'laetari valde properans', cf. 'quod ad laetiam festines' Schol. de inf. 'graeco' moreposito v. Indicem s. l. 'infinitivus adiectivo additur'.

praetrepidum: festinationem praecipitem exprimit, v. ThIL 10, 2, 1075, 10 sq. cf. 1, 74 (*trepida*) adn.

55-56 *hinc illud subiit, auro sacras quod ovato / perducis facies.*

sensus: ex eo (quod ita gaudes auro accepto) evenit, ut inaurares imagines deorum.

subiit: 'subiit, id est, evenit' Schol. '-it': vide Indicem ('prosodiaca quaedam notabilia': 'syllabae breves pro longis ante caesuram').

auro ... ovato: albo ovi perfundebantur statuae, ut aureae bratteae inhaerescerent². apte dixit de homine avaro, nam ovatae bratteae tenuissimae fuerunt³: tenue reddit aurum quod ipse pingue ('*incusaque pingui / auro dona*' v. 52 sq.) accepit. de 'ovato' ('o-' antepaenultima brevis, fortasse ex usu cottidiani sermonis) vide Indicem ('prosodiaca ...').

perducis: 'imbratteas' sacras facies⁴.

56-58 sensus: inter deos (deorum statuas dicit), ii praefereendi mihi sint, qui verissima somnia mittunt; atque eis propter id meritum inaretur barba.

¹ cf. 'si mens non laeva fuisset' Verg. ecl. 1, 16.

² cf. Plin. nat. 33, 100 et 'marmor et iis, quae candefieri non possunt, ovi candido inlinitur [sc. aurum]' id. 33, 64.

³ cf. Plin. nat. 33, 100.

⁴ cf. 'totum nati corpus perduxit' Verg. geo. 4, 416. ante Tertullianum hoc verbum sensu 'aliquid aliqua re (sc. liquore, unguento, colore) afficere' apud Verg. loc. mem. et Persium tantum testatum est, cf. ThIL 10, 1, 1290, 44.

56-57 *'nam fratres inter aenos, / somnia pituita qui purgatissima mittunt, fratres ... aenos: sic deorum aeneas imagines per iocum vocat. sunt enim 'fratres' quia omnes ex eadem materia facti sunt.*

somnia pituita ... purgatissima: somnia sine pituita. i. e. somnia quae deorum beneficio acri oculorum acie videmus, verissima somnia (vide infra). noli hic de certis quibusdam deis¹ vel de incubationibus cogitare.

pituita: tribus syllabis pronuntiandum (vide Ind. s. v. 'synizesis'). de oculorum pituita², quae visum impedit, loquitur. veteres credebant se somnia oculis (et non cerebro tantum sicut nos credimus) videre³, ex quo quodammodo consequens est, ea somnia melius videri quae oculis pituita non oppletis videntur⁴.

purgatissima: vide v. 72 (lippa propago) adn.

58 *praecipui sunt sitque illis aurea barba.'*

sunt sitque: quod coniunctivum imperativo iuxta positum vides, noli mirari: vide Ind. ('coniunctivum imperativo variat poeta').

aurea barba: moris fuit apud veteres deorum statuas, quas praecipua veneratione prosequerantur, vel totas vel ex parte inaurare⁵.

59-60 aurea vasa expulerunt ex usu sacrali atque privato fictilia et aenea vasa quibus antiqui homines utebantur.

59 *aurum vasa Numae Saturniaque inpulit aera*

vasa Numae: vasa fictilia, quibus ille in sacrificiis uti iussisse dicitur, cf.: 'Numa Pompilius, rex Romanorum, vasis fictilibus usus est etiam ad religionem deorum, ex quo Numa dictus est, quod numinibus deserviret. nam primus religiones invenit apud Romanos' Schol.

¹ perperam enim Schol. de filiis Aegypti aut de Dioscuris cogitat.

² cf. '... pituitaque in iis [sc. oculis] innatans' Cels. 2, 6, 3.

³ G. Björck, ONAP ΙΔΕΙΝ. *De la perception de rêve chez les anciens*, Eranos 44, 1946, 306-314; R. G. A. van Lieshout, *Greeks on dreams*, Utrecht 1980.

⁴ praeterea notandum est pituitam oculorum efficacissime albo ovi sisti (Cels. 6, 6, 8 b; cf. Plin. nat 28, 66, ib. 73, ib. 168). stultus iste 'illinit' (vide supra *perducis* v. 56) ovato auro facies deorum vicemque eis reddit, videlicet ut qui deorum auxilio somnia sine pituita videat.

⁵ lege e. g. de aurea barba Aesculapii Epidaurii apud Cic. nat. deor. 3, 83. ceterum cf. 'veteres enim non solum comam ornabant, sed etiam barbam, ut non nullas videmus statuas' Serv. Aen. 6, 300.

*Saturniaque ... aera: vasa aenea, quibus veteres utebantur*¹.

inpulit: 'removit, expugnavit'² cf. '*inpellō*' v. 13; '*vincere*' v. 21 cum adn.; '*vincere*' v. 48 cum adn. quos locos si inspicias, facile obtinebis, potam per hanc totam saturam variantibus quidem imaginibus identidem illud exprimere voluisse, pessima quaeque studere bona omnia expugnare.

60 *Vestalisque urnas et Tuscum fictile mutat.*

Vestalisque urnas: 'virgines Vestales vasis fictilibus in sacris etiam usae sunt' Schol.

Tuscum fictile: Romani, qui pleraque ad religionem pertinentia ab Etruscis habuerunt, vasa etiam sacra ab illis acceperunt usuque retinebant, nam Tusci fictilibus omnibus³, praecipue vero figlinis abundabant⁴.

mutat: praesens q. d. 'resultativum' (quo initia rerum usque in praesens exitus comprehenduntur). vide Ind. ('praesens ...').

61 *o curvae in terris animae et caelestium inanes,*

'exolevisse dicit in terris spiritum divinum de hominibus natura eis inditum et intellegentiam summam, animosque nostros originis divinae immemores factos et more pecudum humum spectantes' Schol.

in terris: terra pluraliter plerumque dicitur quando terrestria caelestibus et mortalia immortalibus opponuntur cf. '*... nec deinde in terris Romulus fuit*' Liv. 1, 16, 1; '*animorum nulla in terris origo inveniri potest*' Cic. Tusc. 1, 66. vide OLD s. v. 'terra' 10.

caelestium inanes: '*id est qui ignorant caelestia*' Schol. vide LHS 77; KS 1, 441. cf. '*heu steriles veri*' Pers. 5, 75.

62-63 quid prodest, quod homines in templa lautitias infundunt, mores suos fassi, et dis grata humanis voluptatibus metiuntur?

¹ aut pecuniam veterum aeneam dicit cf. '*Saturno enim in Italia regnante aes in usu fuit, quod etiam postea in aede Saturni condebatur: unde aerarium dictum est. nondum enim fuit argentum neque aurum. illud enim aes una parte capite Iani notatum erat, altera nave, qua Saturnus fugiens ad Italiam vectus est. bene autem in illo nummo geminum erat signum et hospitalitatis Iani et adventus Saturni, quod aes postea, ut dictum, in aede Saturni condebatur, nondum argento auroque signato, unde aerarium nomen accepit.*' Schol.

² durabat tamen usque ad Persi tempus fictilium in quibusdam sacris usus, quem ne deinceps quidem abolevit aetas cf. Plin. nat. 35, 158; Apul. apol. 18.

³ cf. Plin. nat. 35, 154; 157.

⁴ cf. Mart. 14, 98; Iuv. 11, 108.

62 *quid iuvat hoc, templis nostros inmittere mores*

quid iuvat: cum acerba ironia dicitur, cf. '*hoc iuvat?*' Pers. 1, 112; '*formidare malos fures, incendia servos, / ne te compilent fugientes, hoc iuvat?*' Hor. sat. 1, 1, 78 cf. ib. 41. rhetorica quaestio, quae rem futilem expresse notat¹.

templis: dativus directionis (qui etiam dativus loci petiti dicitur). vide LHS 100 sq.

nostros: 'humanos' (nam de communi condicione depravatae vitae dicit, non proprie de 'moribus saeculi nostri'), cf. '*nostra verba*' Pers. chol. 9.

63 *et bona dis ex hac scelerata ducere pulpa?*

ducere: 'deducere' cf. 3, 28; 5, 46 vide Ind. ('simplex verbum pro composito').

scelerata: 'vitiata', quia spiritus propter consortium corporis vitiatur cf. '*igneus est ollis vigor et caelestis origo / seminibus, quantum non noxia corpora tardant*' Verg. Aen. 6, 731. praeterea *sceleratam* carnem dixit ut melius *sanctae* deorum menti eam opponeret.

pulpa: per pulpam hic caro humana mollis et enervis intellegitur atque dehinc corporis voluptates quas caro procurat quaeque sensus nostros quoquo modo titillent. proprie '*pulpa est caro sine pinguedine, dicta quod palpitet²; resilit enim saepe*' Isid. orig. 11, 1, 81. bene per pulpam extraneas ut ita dicam voluptates significat, nam pulpa interioribus partibus (quae praeterea res extraneas, sicut vestimenta pretiosa etc., minus curant) opponitur, cf.: '*non enim inter nervos pulpasve, sed in visceribus ... commoratur* [sc. spiritus]' Sen. nat. 6, 24, 2.

64-65 locus ductus a Vergilio '*alba neque Assyrio fucatur lana veneno, / nec casia liquidi corrumpitur usus olivi*' Verg. geo. 2, 465 sq.

64 *haec sibi corrupto casiam dissolvit olivo,*

haec: sc. pulpa.

sibi: vide '*conchae*' (v. 66) adn.

corrupto: proleptice intellegas.

¹ cf. praeterea '*quid vota furentem / quid delubra iuvant?*' Verg. Aen. 4, 65 sq.; Cic. Verr. 1, 84; leg. agr. 2, 80.

² quod cave credas, res enim in obscuro sita.

corrupto ... olivo: abl. instr. *corrupto* pro mixto atque mutato¹ dixit, sed adiuncta notione mutationis in deterius a luxus pravitae profectae². corruptum dicitur saepe quidquid a nativo colore vel odore, dum aliud quid admiscetur, degenerat, licet suavissime oleat vel pulcherrimos colores ducat³.

casiam: ‘*casia olivo mixta unguentum facit*’ Schol.

dissolvit: inest etiam hic destruendi notio. haec pulpa corruptit olivum et perdidit casiam: oleum et casia dum miscentur pereunt nimirum ut tertium quiddam conficiant.

olivo: notum est unguenta fere omnia ex oleo odoribus quibusdam admixtis constare⁴.

65 *haec Calabrum coxit vitiato murice vellus,*

sensus: haec pulpa ‘perdidit’ (coxit) vellus atque ‘occidit’ (vitiavit) muricem.

Calabrum: Tarentinam lanam longe pulcherrimam fuisse auctor est Plinius: ‘*circa Tarentum Canusiumque summam nobilitatem habent* [sc. oves]’⁵.

coxit: non solum ‘tinxit, infecit’ sed etiam morali sensu ‘coquendo perdidit’⁶.

vitiato: tenendum est ‘vitiare’ atque ‘corrumpere’ sicut graeca μιαινειν atque φθειρειν etiam sine mutandi in deterius notione usurpari: ὡς δ’ ὅτε τίς τ’ ἐλέφαντα γυνὴ φοίνικι μίγην Hom. Il. 4, 141 (quod Vergilius reddidit: ‘*Indum sanguineo veluti violaverit ostro / si quis ebur*’ Aen 12, 67) cf. ‘*ebur corrumpitur* (quod simpliciter pro ‘tingitur’ dicit) *ostro*’ Stat. Ach. 1, 308. sed hic vult dici etiam: ‘polluto murice’, vide sequentem adnotationem.

vitiato murice: audax iunctura, quasi ‘temerato murice’. nam *haec pulpa* polluit, immo iussit ‘occidi’ miserum muricem.

¹ cf. ‘*ne immisso mari corrumperetur aqua Nili*’ Plin. nat. 6, 166. cf. v. 65 (*coxit*) adn.

² similiter Lacedaemonii nativum olei odorem corrumpi indignabantur: ‘*unguentarios Lacedaemonii urbe expulerunt et prope cedere finibus suis iusserunt, quia oleum disperderent*’ Sen. nat. 4, 13, 9 cf. Chrysippus SVF 3, app. 2, fr. 12.

³ hic fortasse et illud olfacias: ‘oleum et operam perdere’ (notissimum proverbium, vide Otto, *Sprichwörter*, p. 253, nr. 1284).

⁴ ‘*ratio faciendi duplex, succus et corpus: ille olei generibus constat, hoc odorum*’ Plin. nat. 13, 7.

⁵ Plin. nat. 8, 190 cf. ‘*generis eximii Calabras, Apulasque et Milesias nostri existimabant, earumque optimas Tarentinas*’ Colum. 7, 2, 3.

⁶ de purpuris conficiendis legere potes apud Plin. nat. 9, 133-135.

66 *haec bacam conchae rasisse*

bacam: 'margaritam'.

conchae: 'dat. incommodi' esse dixeris. eheu, miseram concham. at 'sibi' (v. 64) certe 'dat. commodi' est!

rasisse: 'lima avolsisse margaritam tenaciter adhaerentem', cf.: '*crassescunt etiam in senecta [sc. margaritae] conchisque adhaerescunt nec his evelli queunt nisi lima*' Plin. nat. 9, 109. cf. 3, 59 (*raderet*) adn. et Donat. Ter. Phorm. 333: '*abradi: per vim auferri*'.

66-67 *et stringere venas / ferventis massae crudo de pulvere iussit.*

haec scelerata pulpa nunc quasi ipsam tellurem aggrediatur atque vexari iusserit. cf. '*quippe ... divitiis foditur [sc. tellus] quaerente vita aurum ... persequimur omnes eius [sc. telluris] fibras ... imus in viscera [sc. eius]*' Plin. nat. 33, 1-2.

ut melius totum hunc locum intellegas, paucis narrem quomodo aurum purum antiqui elicuerint: aurum q. d. canalicium effossum atque glareis adhuc mixtim adhaerens primum tundebatur, deinde lavabatur, post urebatur atque in farinam molebatur (dehinc *pulvis crudus*), tum coquebatur (inde enim *fervens massa*¹ fiebat, quae a scoria coquendo quidem segregabatur sed *venis* puri metalli adhuc iuncta inhaerebat), postremo refrigerabantur² omnia atque aurum arcte spurcitiis quibusdam solidis coniunctum *stringebatur*³ i. e. vi separabatur⁴.

iussit: sc. pulpa.

68 *peccat et haec, peccat, vitio tamen utitur.*

'*quamvis peccat supervacuas res petendo, habet tamen aliquem usum appetitorum*' Schol.

peccat et haec, peccat: (fere 'certe fatendum est eam quidem haec omnia peccare'⁵) est enim '*scelerata*' (v. 63). *peccat*, dixeris, quia disperdit omnia,

¹ bene *ferventem* massam dixit, nam '*massa per se nec calida nec frigida est: in fornacem coniecta concaluit, in aquam demissa refrigit*' Sen. epist. 82, 14, ideo debes dicere: '*fervens massa*' si proprie dicere vis, cf. '*si in aquam fervens massa descendit, cum multo murmure exstinguitur*' Sen. nat. 2, 17.

² sed hic bene avida auri caro humana mentis oculis observatur quae expectare nequeat dum *fervens massa* refrigeretur.

³ ad notionem huius verbi melius percipiendam Lucr. 1, 485 sq. confert: '*sed quae sunt rerum primordia, nulla potest vis / stringere; nam solido vincunt ea corpore demum.*'

⁴ cf. '*quod effossum est, tunditur, lavatur, uritur, molitur*' Plin. nat. 33, 69.

⁵ cf. '*peccasse et consulto peccasse*' Cic. inv. 1, 15.

destruit: *dissolvit* v. 64; *coxit* v. 65; *rasisse et stringere ... / ... iussit* v. 66-67 (itaque peccatum fit mala voluntate et delictis, cf. ThL 10, 1, 886, 69 sqq.). vide Ind. s. v. 'cyclus', Wills, *Repetition*, p. 105.

et: perinde valet ac 'quidem' vel 'certe'. cum vi dictum.

haec: (sc. quae supra vv. 63-67 enumerata) accusat. plur. neutr.¹ potius quam nominativus 'pulpa'. at fortasse de industria ambigue dixit cf. 5, 82.

utitur: fruitur nempe quodammodo.

68-69 *at vos / dicite, pontifices, in sancto quid facit aurum?*

cf. φράσον δέ μοι, τίς ἢ ὠφελία τοῖς θεοῖς τυγχάνει οὐσα ἀπὸ τῶν δῶρων ὧν παρ' ἡμῶν λαμβάνουσιν; Plat. *Euthyphr.* 14 e.

pontifices: compellat pontifices, qui potissimum debent scire omnia quae ad res sacras pertinent.

in sancto: 'in rebus sanctis', non tantummodo in templis, sed etiam in omnibus ritibus, statuīs deorum etc.

quid facit: 'quid prodest', v. ThL 6, 102, 69-77.

[69 nobilissima vox, quae tonabat fulgurabatque quondam per omnem Europam. 'vobis congerendarum opum quis est color? respondebitis ut Christi templa farciatis auro. sed quid Persio dicitis exclamanti: 'o curve etc. mores?'. neve hoc aliis dictum credetis, audite ut statim vestro nomine vos appellat: 'dicite pontifices etc. aurum?'. respondete, pontifices; vobis enim loquitur. respondete tot senes uni iuveni, tot theologi uni poetae, tot christiani uni pagano. quid dicitis? in sancto quid facit aurum?' Petrarca, fam. rer. 6, 1, 23 sq. simili ratione hunc Persi locum iam St. Bernardus (de mor. et off. 2, 7 = PL 182, col. 815) attulerat. de Calvino illo vide G. F. Hering, *Persius. Geschichte seines Nachlebens und seiner Übersetzungen in der deutschen Literatur*, Berlin 1935, p. 29; 175.]

70 *nempe hoc quod Veneri donatae a virgine pupae.*

'diis tam sunt opes supervacuae quam Veneri puppae, quas virgines nubentes donant. solebant enim virgines antequam nubent quaedam virginitatis suae dona Veneri consecrare. hoc et Varro scribit' Schol. cf. Pers. 5, 31.

nempe: ironice et cum indignatione dicitur, cf. 3, 1 adn.; 5, 68.

¹ cf. 'propter te haec pecco' Plaut. Cist. 517, cf. ThL 10, 1, 890, 35 sqq.

71-72 *quin damus id superis, de magna quod dare lance / non possit magni Messalae lippa propago?*

sensus: age, demus diis illud potius, quod ne ditissimi quidem dare possunt.

quin: adverbium ‘*quin*’ hic imperandi vim habet. cf. Pers. 4, 14.

de magna ... lance: i. e. de ingentibus divitiis. cf. ‘*nec, quae de parva pauper dis libat acerra, / tura minus, grandi quam data lance, valent*’ Ov. Pont. 4, 8, 39 sq.

magni: non tantum ‘nobilis ac divitis’, sed etiam ‘laudati viri’ cf. ‘*magni pupille Pericli*’ Pers. 4, 3.

magni Messalae lippa propago: M. Aurelium Cottam Maximum Messallinum dicit (et per eum praeterea quivis opulentus significatur), clarissimi illius Messallae Corvini (*magni Messallae*), laudatissimi atque probissimi viri filius. fuit moribus a patre diversis, ‘*per flagitia infamis*’¹. non alienum erit meminisse Messallinum quindecimvirum sacris faciundis (CIL 6, 323 = Dessau 5050) fuisse². nam si conferas versum 69 (*pontifices*) acerbam ironiam hic deprehendas.

lippa propago: ‘*tam vitiosos oculos in senectute habuit, ut palpebrae eius in exteriorem partem verterentur*’ Schol. vitiosum hominem dicit: quod lippus fuit, minime mirum, nam fuit magnus helluo³, quod genus hominum propter intemperantiam oculorum morbis maxime obnoxium est. cf. ‘*vappa lippus*’ Pers. 5, 77 adn. cf. praeterea 1, 79 (*lippos*) adn.

ceterum festivissima ironia dixit v. 57 (*somnia pituita qui purgatissima mittunt*): certe, lippis potissimum hominibus opus est, ut somnia sine pituita oculorum videant!

73 *compositum ius fasque animo*

‘*caste iubet lex adire ad deos* (cf. ib. 2, 19), *animo videlicet in quo sunt omnia*’ Cic. leg. 2, 24.

compositum: de tranquillitate bene ordinati (nam ‘*componere*’ est ‘*in ordinem confusa redigere*’) animi dicit⁴. componere dicitur confusa in

¹ Tac. ann. 6, 7.

² quod factum Persio minime potuit latere: gratulatur enim Messallino in nobili carmine Tibullus (2, 5), quod in collegium XVvirorum sacris faciundis et inspiciundis libris Sibyllinis cooptatus erat.

³ Plin. nat. 10, 52.

⁴ cf. Sen. epist. 66, 6. ‘*tunc ergo te scito esse compositum cum ad te nullus clamor pertinebit, cum te nulla vox tibi excutiet, non si blandietur, non si minabitur*’ Sen. epist. 57, 14; ‘*intramus templa compositi*’ Sen. nat. 7, 30, 1.

ordinem digerere; tum aestus sedare cf. *'blandaue compositas aura secundet aquas'* Ov. Her. 14, 136, hinc translatio de animi procellis.

ius fasque: 'ad religionem fas, ad homines iura pertinent' Serv. geo. 1, 269. cf. Pers. 5, 98.

73-74 *sanctosque recessus / mentis et incoctum generoso pectus honesto, sanctosque: 'castos'.*

-que ... / ... et: cf. 1, 77 adn.

recessus / mentis: mentis recessus sunt altae cogitationes, quando mens quasi recedat a vulgaribus rebus cf. 'recedat [sc. animus] quantum potest ab alienis et se sibi adplicet' Sen. dial. 9, 14, 2¹. (ceterum notandum Persium optare sibi *'sanctos recessus'* qui mentem serenant, non *'somnia'*, (cf. v. 57, sint etiam *'vera'*), quae obnubilant).

incoctum: 'omnino imbutum'. lana coquendo atque recoquendo quidem purpuratur² (cf. *'coxit ... vellus'* v. 65), sed animus non fuco aliquo sed virtute penitus quasi imbuatur. apud Persium vero bono funditus imbutum pectus incrustato auro i. e. falsis atque ut ita dicam extraneis bonis (cf. *'incusaue pingui / auro dona feram, sudes et pectore laevo etc.'* v. 52 sq.; *'auro ... ovato'* v. 55) opponi videtur.

pectus: 'pectus' est sonantius³ vocabulum pro 'animo'. non abs re erit praeterea hoc loco audire Aluredum Eduardum Housman ad Man. 4, 529 'pectus enim animus est humanus nec rusticus', quae definitio bene ad 'generosum' quadrare videtur.

generoso: cf. 'quis est generosus? ad virtutem bene a natura compositus' Sen. epist. 44, 5.

honesto: adiectivo pro appellatione utitur⁴. 'honestum igitur id intellegimus, quod tale est, ut detracta omni utilitate, sine ullis praemiis fructibusve, per se ipsum possit iure laudari' Cic. fin. 2, 45. cf. *'quod placui tibi, qui turpi discernis honestum, / non patre praeclaro, sed vita et pectore puro'* Hor. sat. 1, 6, 63 sq.

¹ fortasse Sen. fr. 96 (Haase) in partes vocandus: *'magnos humanum pectus recessus habet: quod vultu quo placet virtus, eo fraus adumbratur, et cogitationibus pessimis facies benignissima obducitur'*. Persius quoque optat sibi, ut nullas malarum cogitationum latebras in animo habeat. aliter *'sinuoso in pectore'* 5, 27.

² cf. *'vellera mutantur Tyrios incocta rubores'* Verg. geo. 3, 307.

³ vide Jocelyn (*Ennius: Tragedies*, ed. H. D. Jocelyn, Cambridge 1969) in Enn. trag. 256.

⁴ KS 1, 229; vide Ind. ('substantive...').

75 *haec cedo ut admoveam templis et farre litabo.*

haec: animadvertendum *haec* omnia Persium a se impetrare; a dis vero nihil poscit¹.

cedo: '<cedo> sibi poscit et est immobile [i. e. caret coniugatione]' Charis. 403, 9 Barwick cf. "'cedo" idem significat quod dic et da mihi' Donat. Ter. Andr. 763.

admoveam: hoc verbum interdum in oratione de rebus sacris usurpatur².

templis: de dat. directionis sive loci petiti vide LHS 100 sq.; KS 1, 320. cf. 6, 1.

farre: quod simplicissimum, minimi sumptus atque antiqui moris fuit³.

litabo: 'sacrificando deos propitios habebō'. *litare* non idem prorsus est atque simpliciter sacrificare. 'inter "litare" ... et "sacrificare" hoc interest: sacrificare est hostias immolare, litare vero per immolationem hostiarum impetrare, quod postules' schol. Stat. Theb. 10, 610⁴; quocirca probi tantum viri proprie litare possunt, sacrificare autem etiam mali.

¹ quod quidem minime mirum est, praesertim cum bono viro sapientia a se ipso sumenda sit (Cic. nat. deor. 3, 88) cf. e. g. 'virtutem autem nemo unquam accepit deo rettulit. nimirum recte; propter virtutem enim iure laudamur et in virtute recte gloriamur; quod non contingeret, si id donum a deo non a nobis haberemus' ib. 87.

² cf. 'nec nos sacrilegos templis admovimus ignes' Tib. 3, 5, 11; 'sacris tunc admoveat aris' Luc. 1, 608; 'admota altaribus victima' Suet. Cal. 32, 3; 'admotas hostias' Tac. ann. 2, 69, 2.

³ 'boni etiam farre ac fitilla religiosi sunt; mali rursus non effugiunt impietatem, quamvis aras sanguine multo cruentaverint' Sen. ben. 1, 6, 3; Hor. carm. 3, 23, 20; 'Numa instituit deos fruge colere et mola salsa supplicare atque ... far torrere' Plin. nat. 18, 7 cf. quid de antiquorum simplicitate ipse Persius sentiat in 2, 59.

⁴ cf. 'cum pluribus deis immolatur, qui tandem evenit ut litetur aliis, aliis non litetur?' Cic. div. 2, 38 cf. Plaut. Poen. 488 sq.

SATURA III
DESIDIAE INCREPATIO

Reginam saturarum aggredimur, pulcherrimum Persi opus ubi magnifice luxuriantibus imaginibus vitae discursus atque mors ipsa attonitae lectoris menti apparent.

nobilium iuvenum desidia insectatur, qui optimum illud vitae tempus, quod ad rectam vitae viam ineundam datur, epulis atque somno perdunt.

1-4: non est allocutio sed concitata quaedam enarratio. poeta reprehendit iuvenem (sub cuius persona rursus poeta ipse quodam modo adumbratur) qui in medium diem dormire solet.

1 *Nempe haec adsidue:*
in medias res inducimur.

Nempe: 'certe, scilicet'. hic cum ironia atque indignatione¹ de re certa extraque omnem dubitationem posita dicitur.

adsidue: i. e. 'saepius, cottidie'² sc. facimus ('stertimus' v. 3).

1-2 *iam clarum mane fenestras / intrat et angustas extendit lumine rimas:*

mane: adverbium q. d. substantivatum, LHS 154 (vide Ind. sub lemmate 'substantive...')¹.

¹ cf. e. g. "prudens placavi sanguine divos". / "nempe tuo, furiose." Hor. sat. 2, 3, 107; 'fuerit [sc. Augustus] ... clemens; nempe post mare ... Romano cruore infectum' Sen. clem. 1, 11, 1.

² cf. 'nec [sc. refert] quid uno die sentiat, sed quid assidue' Sen. epist. 9, 22.

fenestras: foriculas dicit, quarum *rimas* latiores apparere faciunt (*extendit*) solis radii.

3-4 *stertimus, indomitum quod despumare Falernum / sufficiat*, sensus: 'stertimus tam diu atque tam forte, usque dum fortissimum vinum despumetur (i. e. concoquendo dometur)'.

stertimus: vide Ind. (s. l. 'pluralis q. d. sociativus'). 'stertere' est alte dormientis, vide Donat. Ter. Eun. 1079: '*plus dixit "stertit" quam "dormit"*', cf. '*stertas licet ..., non modo quiescas*' Cic. acad. pr. 93; Pers. 5, 132.

indomitum: indomitum dicit, quia forte est vinum atque ideo difficile domatur i. e. concoquitur².

despumare: 'defervescere', 'digeri in stomacho' (metaphora sumpta a vino, quod postquam in dolia defusum, despumat). transitive positum; cum '*Falernum*' iungendum.

4 *quinta dum linea tangitur umbra.*

in solari horologio umbra gnomonis tangit lineas, quae horas designant. notum est apud veteres diem in duodecim inter se aequales partes divisum fuisse. prima hora diei est solis ortus, sexta meridies, duodecima solis occasus. est igitur quinta hora proxima meridiei. noster hic iuvenis praeposterus³ tum demum evigilat, quando alii se a negotiis iam ad prandium⁴ recipiunt vel alio quo modo post matutinos labores se relaxant⁵.

quinta ... umbra: enallage.

dum: intra quod temporis spatium, ThL 5, 1, 2203, 27 sqq.; 56.

¹ ceterum quid 'mane' sit, docet Macrobius: '*primum tempus diei dicitur media noctis inclinatio, deinde gallicinium, inde conticum, cum et galli conticescunt et homines etiam tum quiescunt, deinde diluculum id est cum incipit dinosci dies, inde mane cum dies clarus est ... (14) deinde a mane ad meridiem, hoc est ad medium diei etc.*' Macr. sat. 1, 3, 12 sq. cf. '*secundum diluculum vocatur mane, cum lux videtur solis; post hoc ad meridiem, tunc meridies, quod est medii diei nomen; inde de meridie, hinc suprema*' Censorin. 24, 3.

² cf. '*spargantur caecis nasturcia dira colubris, / indomito [i. e. male concocto] male sana cibo quas educat alvus*' Col. 10, 231 sq.

³ cf. '*turpis qui alto sole semisomnus iacet, cuius vigilia medio die incipit*' Sen. epist. 122, 1.

⁴ cf. '*... prandendum est. quartam iam totus in horam / sol calet; ad quintam flectitur umbra notam*' Auson. ephem. 6, 1 sq. Green.

⁵ cf. Plin. epist. 9, 36, 3.

5-6 *'en quid agis? siccas insana canicula messes / iam dudum coquit et patula pecus omne sub ulmo est'*

en quid agis?': cf. Pers. 5, 154.

en: est per irrisionem vituperantis¹.

quid agis?': *'huiusmodi interrogationem vel invectionis principio convenire vel obiurgationis'* dicit Donat. Ter. Ad. 60.

siccas ... messes: prolepsis. vide Pers. 1, 17 adn.

insana: canicula ideo insana dicitur quia aestu *'furit'*² (vel, ut ait Manilius *'rabit igne suo geminatque³ incendia solis'*⁴). ceterum apte in insaniam ipsius iuvenis illudit, qui in praeposteram studendi rabiem agitur (vv. 7 sqq).

canicula ... coquit: caniculae exortu maximi aestus fervere solent.

iam dudum: non tantum *'iam diu, iam longum tempus'* significat, sed etiam impatientiam atque iram *comitis* (v. 7) exprimit.

coquit: cf. Pers. 1, 97 adn.

patula etc.: *'ut Vergilius [ecl. 2, 8]: 'nunc etiam pecudes umbras et frigora captant'* Schol. scimus greges in umbram (cf. *'sub umbriferas rupes et arbores patulas'* Varro rust. 2, 2, 11) deduci oportere, dum meridiani aestus deferrescant.

7 *unus ait comitum.*

amicus quidam (cf. Pers. 1, 54; 5, 32), fortasse aequalis dormientis istius iuvenis, in versibus 5-6 locutus est⁵.

¹ *"en" vim habet indignationis'* Donat. Ter. Phorm. 348. cf. *'en, quid ago? rursusne procos irrisa priores / experiar'* Verg. Aen. 4, 534 sq.

² Hor. carm. 3, 29, 18; *'rabiem Canis'* Hor. epist. 1, 10, 16, cf. *'canes quidem toto eo [sc. temporis] spatio maxime in rabiem agi non est dubium'* Plin. nat. hist. 2, 107. est sidus hominibus (Hom. Il. 22, 30 sq.; Serv. Aen. 10, 274) atque feris (Plin. nat. hist. 18, 260) pestilens.

³ cf. *'solis vapor geminatus ardore sideris [sc. caniculae]'* Plin. nat. hist. 2, 124; *'canicula stella, quae et Sirius dicitur, aestivis mensibus in medio centro caeli est: et dum sol ad eam ascenderit, coniuncta cum sole duplicatur calor ipsius, et dissolvuntur corpora et vaporantur'* Isid. orig. 3, 71, 14.

⁴ Man. 5, 208.

⁵ non prorsus alienus Tauri philosophi locus videtur in sermone, quo adolescentes ad philosophiam capessendam adhortabatur: *'at nunc ... videre est, philosophos ultro currere, ut doceant, ad fores iuvenum divitum, eosque ibi sedere atque opperiri'*

7-8 *'verumne? itan? ocius adsit / huc aliquis! nemon?'*

haec iuvenis noster dicit, amici verbis expergefactus.

adsit etc.: 'adsit ocius servus, qui mea iussa protinus exsequatur'. servis irascitur, quod non statim accurrunt. cum debeat suae desidia irasci, aliorum exprobrat, tamquam ipse homo acri studio deditus atque nescioquid magnum aggressurus iacturam temporis indigne ferens.

adsit huc: exempla huius formulae v. in ThLL 2, 917, 58 sqq.

nemon?: sc. 'nemone mihi vocanti adest, ut mea iussa protinus exsequatur?'

8 *turgescit vitrea bilis*:

irascitur iuvenis. οἰδαίνει κραδίη χόλω Hom. Il. 9, 646. cf. *'delirat uxor: atra bili percita est'* Plaut. Amph. 727.

turgescit: cf. Pers. 5, 144 sq. *turgescit* proprie quia lienes turgent.

vitrea: 'id est viridis¹' Schol. melius transferas ad oculorum (atque cutis²) colorem, quem viridem bilis turgescens reddit, cf.: *'viden tu illic oculos virere? ut viridis exoritur colos / ex temporibus atque fronte, ut oculi scintillant vide!'* (de homine, qui quasi iratus insaniat) Plaut. Men. 828 sq³. viridi colore splendescunt igitur oculi iuveni nostro, qui iam 'insanire' coepit (cf. v. 117 sq.)⁴.

9 *'findor', ut Arcadiae pecuaria rudere credas.*

findor: 'rumpor prae ira'. findi autem aut rumpi dicuntur qui sive iram sive alium quem animi motum continere non possunt, cf. *'heu, cor meum ...*

prope ad meridiem, donec discipuli nocturnum omne vinum edormiant' Gell. 7, 10, 5. cave tamen credas versu 7 talem unum philosophum vel paedagogum induci.

¹ subtilius tamen sic distinxis: colore viridi in nigrum splendentem vergente (splendet enim lucis repercussu omne vitrum, licet omnino non transparens sit, propter levitatem superficiei. cf. André, *Étude*, p. 191 sq. ceterum bilem 'atram' aliquando viridi colore variari, nota res est, vide Hippocr. Progn. XIV vol. 2, p. 144, 3 Littré (πρασσοειδής); Cels. 7, 18, 6).

² huic imagini apte vv. 95 sqq., 104 respondent, nam viridis, pallidus (quin etiam – quamquam minus ad rem – sulfureus, vide Mart. 12, 48, 10) morbidum pallorem designant.

³ cf. *'ira enim virides et pallidos facit homines'* Schol.

⁴ cf. praeterea *'visus est qui a philosophis humor vitreus appellatur'* Isid. orig. 11, 1, 20; Gal. de usu part. 10, 1 (3, 761 K.); *'cum ex corde sensifica virtus limpida atque splendescens ad oculos pervenit, infusa per humorem vitreum quem Graeci ύαλοειδη vocant'* Vind. med. 19, cf. Cels. 7, 7, 13 c.

et cerebrum finditur, / istius hominis ubi fit quaque mentio Plaut. Bacch. 251 sq.; *'rumpor enim, Mnasyllae: nihil nisi iurgia quaerit'* Calp. ecl. 6, 79; Ov. her. 8, 57.

Arcadiae pecuaria: asinos decumanos dicit. optimi enim asini ex Arcadia proveniebant¹. iuvenis iste dupliciter stultus est: primum quia magno eique strenuissimo asino similis est, tum propter Arcadiae mentionem, nam Arcades stulti habebantur².

rudere: maximam vociferationem declarat. *'ruditus proprie asinorum est'* Schol. rudendi verbum producta antepaenultima apud auctores (praeter Ausonium, qui nostrum imitatur³) non invenies. Persius sequitur in hac prosodia fortasse consuetudinem sermonis cottidiani cf. 2, 55 adn., vide Indicem (*'prosodiaca ...'*).

10 sqq. arripuit quidem sine mora studiorum instrumenta (vv. 10-11), sed omnia potius minima quam suam ignaviam inculpat (12-19).

10-11 *iam liber et positus bicolor membrana capillis / inque manus chartae nodosaque venit harundo*:

dum nescit, quid potissimum agat, omnia studiorum instrumenta sumit: librum scilicet ut legat atque excerpit, membranam ubi adumbrationes suas coniciat⁴, chartam ut cogitationum fructus litteris mandet.

positus ... capillis: *'depositis, demptis capillis'*.

bicolor: membranae ea parte, qua pilos habebat, luteae atque asperiores tactu erant, altera vero quae adhaerebat visceribus candidior atque levior,

¹ Varro. rust. 2, 6, 1 sq.; Plin. nat. hist. 8, 167.

² cf. *'Arcadico iuveni'* Iuv. 7, 159 ubi Schol.: *'Arcadico: asino, ac per hoc stulto, hebeti'*, proverbialiter dicitur Ἀρκάδιον βλάστημα Otto, *Sprichwörter*, p. 35 (nr. 156); Ἀρκάδος ὄνον Archil. fr. 112, 8 West.

³ *'asinos quoque rudere dicas / cum vis Arcadicum fingere, Marce, pecus'* Auson. epigr. 80, 3-4 ed. Green, cf. *'naturaliter ru longa est'* Serv. Aen. 7, 16.

⁴ membranis in adumbrationibus scribendis potissimum utebantur, quia maxime idoneae propter facilem eluendi (vide Th. Birt, *Kritik und Hermeneutik. Abriß des antiken Buchwesens*, München 1913, p. 290) rationem habebantur; cf. *'membranis intus positis: delere licebit'* Hor. ars 389. est praeterea membranarum usus oculis magis accomodus quam cerearum tabularum, in quibus lineamenta litterarum evanida oculorum visum infirmiore faciant, cf. Quint. inst. 10, 3, 31.

quae quidem pars sola¹ perscribi solebat. (at fortasse de duabus speciebus membranarum diversis coloribus² – scilicet ut varietati studiorum respondeant – inunctis cogitandum).

capillis: ‘pilis’ cf. Catull. 25, 1; Colum. 9, 10, 1.

membrana: pugillares membranei.

nodosaque ... harundo: optimam eamque solitam calami scriptorii speciem³ describit: quippe, nodosus calamus aptius digitis adhaeret quam levis atque lubricus.

12 *tunc querimur crassus calamo quod pendeat umor.*

quod pendeat: scilicet, quod non fluat atramentum propter crassitudinem.

calamo ... pendeat: de duplici sensu⁴ (‘pendeat de calamo’ et ‘pendeat in calamo’) vide KS 1, 595. cf. 3, 40.

13-14 *nigra sed infusa vanescit sepia lympha: / dilutas querimur, geminet quod fistula guttas.*

modo atramentum inculpabat quod nimis spissum esset (v. 12); nunc, aqua infusa, uberius dicit calamo effluere atramentum quam ut commode (i. e. sine atramenti profluvio) scribere possit.

vanescit: dum minus spissa fit.

sepia: ‘sepia pro atramento a colore posuit, quamvis non ex ea, ut Afri, sed ex fuligine ceteri conficiant atramentum’ Schol. at fortasse vere ex sepia factum atramentum dicit⁵. utcumque res se habet, atramentum iam initio optimum fuit neque necesse erat id diluere.

geminet: sensu ‘augeat magnitudinem guttarum’ (cf. ThIL 6, 1738, 34) potius quam ‘saepius guttas producat’.

fistula: idem quod *calamus* (v. 12), *harundo* (v. 11), solito variandi studio.

¹ ceterum etiam opistographi (i. e. utraque parte descriptae membranae) in usu erant, cf. ‘*membrana de pellibus animalium antiquitus scribebatur in una parte, nunc vero in utraque parte derasis tantum pilis.*’ Schol.

² *bicolor* hoc sensu apud Mart. 12, 34, 6 invenies.

³ cf. ‘*ponam bisulcam et crebrinodam harundinem*’ Varro. Men. 578; ‘*albam paginam / notasque furvae sepiae / Cnidosque nodos prodidit*’ Auson. epist. 13, 75-77 ed. Green.

⁴ q. d. ‘prägnante Konstruktion’.

⁵ utique Plinii locus nat. hist. 35, 43, qui ab eis affertur, qui affirmant, ex sepia non fieri atramentum, ambiguus est: vide *Pline l’Ancien, Histoire Naturelle, livre XXXV ...* par J.-M. Croisille, Paris 1985, p. 161.

15-16 *o miser inque dies ultra miser, hucine rerum / venimus?*

'o magis atque magis periture desidia, qui tam inepte piger es et ad hanc dissolutionem lapsus es' Schol.

miser ... miser: 'miser' is saepius appellatur qui miserationem atque contemptum meretur¹. cf. τάλλας et Gow ad Theo. 7, 119.

ultra miser: insolens dictum pro 'in dies miserior' vel 'in dies ultra progressus in miseriam'. utique metro refragante non potuit 'miserior' dici.

hucine rerum: vide KS 1, 434 sq.; LHS 54. cf. Pers. 5, 155.

16-18 *a, cur non potius teneroque columbo / et similis regum pueris pappare minutum / poscis et iratus mammae lallare recusas?*

sensus: quin petis, similis pullo columbino, cibum iam praemansum (quo facilius devores)? aut cur non recusas iratus dormire, similis infanti ex divite familia?² cf. 'cur non commanducatos cibos poscis aut cur non nutricis iussu dormire plorando recusas? quae infantibus, ut dormiant, saepe dicere solent "lalla lalla; aut dormi aut lacta", quod quasi irati infantes nolunt' Schol.

a: hic contemptum exprimit, vide OLD s. v. e; Hofmann, *Lateinische Umgangssprache*, p. 19.

teneroque columbo: pullum columbinum dicit cf. 'teneras ... tigres' Val. Flacc. 1, 491.

-que ... / et: cf. 1, 77 adn.

regum: 'divitum', cf. 1, 67. sed quid obstat quin et proprie dictum intellegas?

pappare minutum / poscis: 'poscis minutum cibum'. infinito verbo usus est pro appellatione, vide Ind. s. l. 'inf. subst.', cf. KS 1, 665 sq.; LHS 343.

pappare: 'pappat: μασᾶται' Gloss. 2, 141, 53. cf. 'cum [sc. parvuli] cibum ac potionem buas ac pappas vocent et matrem mammam, patrem tatam' Varro, de liberis educandis ap. Non. p. 81, 1 sqq. M.

minutum: cf. 'minima mansa ut nutrices infantibus pueris in os inserant' Cic. de or. 2, 162.

mammae lallare recusas: iratus respuis nutricis cantilenam.

¹ cf. 'o miser, sive illa tibi non nota sunt – nihil enim boni nosti – sive sunt, qui apud tales viros tam impudenter loquere!' Cic. Phil. 2, 16.

² minus recte hunc locum administrare videntur qui per columbum eundem infantem regium, de quo versibus 17-18 dicitur, intellegi volunt; nam pueri divitum non solent cibum enixe poscere, semper scilicet belle saginati.

mammae lallare: infinitivus substantivatus (vide supra ad *pappare minutum*) iunctus genetivo¹.

mammae: 'nutricis'.

19 'an tali studeam calamo?'

haec respondet iuvenis. cf. 'culpantur frustra calami' Hor. sat. 2, 3, 7.

19 *cui verba?*

sc. 'cui verba das?' (vide Ind. s. v. ellipsis) i. e. 'quem decipere studes?' cf. Pers. 4, 45 adn. cf. "'dare verba" decipere est eum, qui cum rem expectet, nihil inveniet praeter verba' Donat. Ter. Eun. prol. 24.

19-20 *quid istas / succinis ambages?*

dicit iuvenem nihil ad rem respondere.

succinis: egregie in hoc verbo explicando errant interpretes, qui de summissa tantum voce cogitant. succinere profecto proprie is dicitur qui praecinentem (e. g. in carmine amoebaeo) cantu excipit² vel adiuncto modo (ital. 'contro canto') alterum comitatur³. praecinit hic utique qui reprehendit, succinit vero iuvenis iste, qui verba reprehendentis respondendo subsequitur.

ambages: ambages dicuntur eius, qui dictis longioribus et otiosis agit⁴.

20-21 *tibi luditur; effluis amens, / contemnere:*

tibi: dat. incomm. cum vi dictum est: non est quod externa incommoda causeris, ad te ipsum hoc damnum pertinet.

luditur: imagine lusus aleae adhibita pro 'tua res agitur' (v. ThLL 7, 2, 1773, 24 sqq.); vel potius sensu 'tua salus in periculum vocatur' (cf. locu-

¹ vide KS 1, 666; LHS 343 sq.

² cf. 'cantibus iste tuis alterno succinet ore' Calp. 4, 79. cf. '... clamat: "victum date." succinit alter: / "et mihi!"' Hor. epist. 1, 17, 48 sq.

³ cf. 'tubicines imitatus est succinente Habinna' Petron. 69, 4.

⁴ cf. e. g. 'quas ... ambages mihi narrare occipit?' Ter. Hau. 318. ceterum noli hic de dictis obscuris cogitare atque ἐλυκτὰ ἔπη et λοξότητα oraculorum ad rem explicandam adducere (sicut plerique interpretes faciunt, Vergiliano illo praeter rem in argumentum advocato: 'Cumaea Sibylla / horrendas canit ambages' Aen. 6, 98): nihil enim vere obscurum loquitur iuvenis.

tionem 'de tuo corio luditur'¹) vel adeo 'tuum damnum est'². praesumit hoc loco imaginem lusus aleae, quam iterum inducit atque suscipit versibus 48-50.

effluis: imago de aqua quae effunditur et frustra dilabitur ad iacturam sui transfertur: 'tu dilaberis', 'disperderis'³.

contemnere: non de contemptu apud alios agitur qui talem hominonem despiciunt, sed: 'abiciendus eris' tamquam vas vitiosum – sequens enim sententia (vv. 21-22) sensum verbi explicat⁴.

21-22 sonat vitium, percussa maligne / respondet viridi non cocta fidelia limo.

ἀλληγορικῶς: ut defectus vasorum fictilium eo cognoscitur, quod digito percussa tinnitum raucum atque absonum reddunt produntque statim vitium quod oculos latuit, ita homo absurdus loquendo nequitiam suam prodit.

ut horum versuum sensum assequamur necesse erit scire pessima vasa fieri, quae cum recens adhuc argilla esset, non statim cocta fuerunt. ita homines sunt formandi dum iuvenes sunt, matura enim aetas vitia iuventutis prodit.

versus 21-22 ad futurum statum iuvenis referuntur (cf. *contemnere*: futur.)⁵, tum denuo ad praesentem (vv. 23-24) redit. id enim ex eo apparet, quod hoc loco vas licet crudum, solidum tamen inducitur, sequentibus vero (vv. 23-24) iuvenis tamquam *udum et molle lutum* (q. e. minime solidum) describitur.

¹ vide Otto, *Sprichwörter*, 92 (nr. 432). 'ebrius es: neque enim faceres hoc sobrius umquam, / ut velles corio ludere, cerdo, tuo' Mart. 3, 16, 3-4; 're vera ludis de alieno corio' Apul. 7, 11.

² *ludendi* verbum ad damnum in lusu aleae interdum spectat; 'ludere' enim est 'alea perdere', cf. 'adversus parentes et patronos repetitio eius, quod in alea lusum est ... ex hoc edicto danda est' Paul. dig. 11, 5, 4, 2.

³ nolim effluendi verbum cum interpretibus ad rimas referri (cf. 'a vase vitiatum quod nihil in se continet, quemadmodum hic effusus per vitia nihil sapientiae in se continet. ut Terentius in Eunucho [105]: "plenus rimarum sum, hac atque illac effluo"' Schol.), quas an vasculum illud (vv. 21-22) quocum comparatur omnino habeat, incertum est.

⁴ itaque non suppetit huic loco Horatianum 'invidiam placare paras virtute relicta? / contemnere miser' sat. 2, 3, 13 sq.

⁵ sic recte Schol.: 'apparet, qualis futurus est, id est miser'.

sonat vitium, percussa maligne / respondet ... fidelia: 'ambiguum est: utrum sonat vitium et percussa maligne respondet <an sonat vitium percussa>' Schol. distinxi sicut maluerim.

*sonat vitium: vitium est subiectum*¹.

maligne: 'prave'. malignum (opp.: benignum) id saepe dicitur, quod aliqua ratione deficit, ut puta: lux (Verg. Aen. 6, 270), ignis (Mart. 10, 96, 7), colles (Verg. geo. 2, 179). cf. 'malignus est qui difficultatem sui ostendit' Donat. Ter. Hec. 159. inquit fideliam non claram sed deficientem quandam ideoque absonam morbidamque vocem reddere.

*respondet: sonum reddit*².

viridi non cocta fidelia limo: 'fidelia non cocta cum limus viridis esset'.

viridi: non ad colorem referendum. "'viridi limo", id est cruda, non cocta' Schol. nam viride etiam id dicitur, quod recens est atque adhuc non arefactum, cf. 'dum adhuc viridis [sc. caseus] succum retinet' Colum. 7, 8, 1; τρυγὸν ... χλωρὸν Aristoph. Ran. 559³. (praeterea apposite haec vox ad viridem iuvenis aetatem transfertur⁴).

*fidelia: est vas cylindro simile, lato ostio instructum*⁵.

23-24 *udum et molle lutum es, nunc nunc properandus et acri / fingendus sine fine rota.*

ad praesentem statum iuvenis redit: dum tener es, propera: potes adhuc in melius emendari, licet acri labore atque disciplina opus sit. *'figure: adhuc crudus es et assidua exercitatione formandus, ut fictilia circumactu rotae formantur'* Schol.

udum et molle lutum es: ideo formari facile potes, nam argilla quidvis imitaberis uda Hor. epist. 2, 2, 8.

nunc nunc: cf. 6, 68 (nunc nunc) adn.

properandus et ... fingendus: 'propere fingendus'.

¹ falso Schol.: "'sonat vitium" active dicimus, ut "nec vox hominem sonat [Verg. Aen. 1, 328]"'.
² cf. *'chordae ... quae ad quemque tactum respondeant'* Cic. de or. 3, 216.

³ cf. χλωραῖς ἐέρσαις Pind. Nem. 8, 40.

⁴ cf. e. g. *'cum vigebam membris praeviridantibus'* Laberius 116 Ribbeck; Hor. epod. 13, 4.

⁵ Werner Hilgers, *Lateinische Gefäßnamen. Bezeichnungen, Funktion und Form römischer Gefäße nach den antiken Schriftquellen*. Düsseldorf 1969, p. 182. *'Sammium vas ad usus plurimos'* Non. p. 543, 25 M.

acri / ... *rota*: strenuus¹ atque incitatus² labor intellegitur.

rota: artis figlinae instrumentum quod hodie quoque videmus, cuius rotatione fictilia vasa finguntur.

24-29 poeta acriter occupat desidia argumenta, quasi dicat: 'at tu, ne rationem vitae melioris ineas, causaris opes tibi, quas patrimonio a maioribus accepisti, modicas quidem, quae tamen sufficiant ad vitam sustentandam atque secure agendam (vv. 24-27), et nobilitatem tuam praeclearam, qua quoque confisus omne studium inutile habeas (vv. 27-29)? nugaris!'

simile aliquatenus argumentum in sat. 4, 17-20 reperies, quem locum huic, rogo, diligenter compares ('*uncta vixisse patella*' 4, 17 (vide tamen 3, 26 (*patella*) adn.); '*Dinomaches ego sum*' ib. 20).

24-26 *sed rure paterno / est tibi far modicum, purum et sine labe salinum / (quid metuas?) cultrixque foci segura patella.*

at, inquires, quid opus laboribus te fatigare, cum possis beatam atque tranquillam vitam degere, contentus paternis opibus, liceat modicis?

far modicum: opes modicas dicit. cf. 2, 75; 4, 31; 6, 40.

sine labe: 'integrum' (quod etiam ad dominum puram vitam agentem transfertur)³. cf. '*vivitur parvo bene, cui paternum / splendet in mensa tenui salinum*' Hor. carm. 2, 16, 13 sq.

salinum: argentea salina usu accepta fuisse docet Val. Max. 4, 4, 3.

quid metuas?: haec dicit, responsum iuvenis ad vv. 23-24 simulans: 'nihil est quod de me metuas. ego quidem bene habeo'.

cultrixque [sc. *patella*] *foci*: quae inhabitat focum, 'habitatrix'⁴ (quia ad eum defertur⁵ ibique plerumque manet).

¹ cf. '... *cum tempora* [sc. noctis] *maxime ab ipsa rerum natura ad quietem refectionemque nobis data in acerrimum* [i. e. intentum] *laborem convertimus*' Quint. inst. 10, 3, 26.

² de 'acri' sensu 'rapidus, velox' vide OLD s. v. 10d. '*ut cum ripa simul avolsos ferat Aufidus acer*' Hor. sat. 1, 1, 58; '*velocissimum omnium animalium ... est delphinus, ocior volucre, acrior telo*' Plin. nat. 9, 20.

³ cf. '*labes macula in vestimento dicitur, et deinde μεταφορικῶς transfertur ad homines vituperatione dignos*' Fest. p. 108, 17 sq. L.

⁴ cf. '*sus nemoris cultor*' Phaed. 2, 4, 3.

⁵ '*delibatae dapes in ea* [sc. *patella*] *positae ad focum feruntur*'. Schol.

secura: transfertur ad vitam ab omni sollicitudine liberam¹: ‘*non patella secura, sed ille quasi securus*’ Schol. haec vox ad ‘*quid metuas?*’ quasi respondeat.

patella: intellegitur patella sacra, non qua comedebant²; aliter 4, 17 (‘*uncta vixisse patella*’), ubi profana patella dicitur.

27 *hoc satis?*

refellit poeta iuvenem, quasi dicat: ‘scilicet dicturus es: “hoc mihi satis est”’, i. e. ‘putasne tranquillam istam vitam, quam modo depinxi (vv. 24-26), ad recte vivendum sufficere?’

27 *an deceat pulmonem rumpere ventis,*

an deceat nobilitatem tuam iactare, ea inflatum esse?, cf. 4, 20.

rumpere: proprie dicitur ‘magna voce fremere’, sicut Lucretius de leonibus ‘*pectora qui gemitu rumpunt plerumque gementes*’ 3, 297, cf. Pers. 5, 13 adn. hinc translatio ad magnam nobilitatis praedicationem. similiter dicitur τῆ γενῆ φουσῶντες Herond. 2, 32; ‘*tumes alto Drusorum stemmate*’ Iuv. 8, 40.

ventis: ‘spiritu’, cum notione irriti cuiusdam conatus, cf. OLD s. v. 3.

28-29 haec fere dicit: ‘tumes fastu, quod nobili familia ortus es et maiores tui clarissimos magistratus ceperunt’.

28 *stemmate quod Tusco ramum, millesime, ducis,*

Tusco: Tuscorum gentem etiam apud Romanos³ prae ceteris antiquissima nobilitate pollere notum est. scimus et Persium ex nobili Etruriae familia ortum esse⁴ (iam enim diximus poetam, aliqua ex parte se ipsum respicere, dum iuvenem istum reprehendit. cf. v. 74).

ramum: rami sunt lineae stemmatis, quae tamquam rami ex stirpe discurrerant adeoque familiae succesionem sive genealogiam dixeris per cognitionum gradus explicabant.

¹ simili modo transfertur apud Horatium: ‘*si nusquam es forte vocatus / ad cenam, laudas securum olus*’ sat. 2, 7, 29 sq.

² ‘*asotos ... ita non religiosos, ut edint de patella*’. Cic. Fin. 2, 22.

³ vide Hor. carm. 3, 29, 1; sat. 1, 6, 1; Prop. 3, 9, 1.

⁴ vide Vitam Persi.

millesime: vocativus q. d. praedicativus (vide Indicem). potius intellegas per irrisionem: 'es unus e mille cognatis' (q. e.: quam *minima* pars antiquae stirpis!) quam serio atque remoto ioco: 'millesimus a magno aliquo gentis auctore numeraris¹' (q. e.: quam *antiquam* originem ducis!); nisi quod h. l. poeta de industria ambigue loqui existimandus est, ut qui cum irrideat, serio se loquentem simulet.

ducis: 'deducis'. vide 2, 63 adn.

29 *ensoremeve tuum vel quod trabeate salutas?*

sensus: 'trabea indutus (ut scilicet maiore fastu veneratio fiat) in atrio domus tuae salutas imaginem viri censorii ex maiorum tuorum numero?'²

tuum: i. e. 'cognatum tuum'. non sine quadam ironia dictum, cf. 6, 71. cf. LHS 179.

vel ... trabeate: 'etiam trabeate'. nam 'vel' auctore Donato interdum 'etiam' valet³. igitur non est hic simplex particula disiunctiva, sed habet vim extollendi (teodisc. 'sogar').

trabeate: vocativus q. d. praedicativus (vide Indicem). *trabea* vestimenti genus origine Etruscum quo reges utebantur, postea equitum fuit⁴, cf. '*trabeata agmina* (i. e. equites)' Stat. silv. 4, 2, 32.

salutas: 'veneraris' cf. e. g. '*ego deos penates hinc salutatum domum devortar*' Ter. Phorm. 311.

30 *ad populum phaleras! ego te intus et in cute novi.*

sensus: 'populus miretur vana ornamenta, ego vero te penitus novi, me his nugis decipere non potes'.

¹ hoc sensu Schol.: '*an oportet te arrogantia inflatum dissilire, quod in aliquo nobili Tusco stemmate millesimus a magno auctore numereris et ramum aliquem ac lineam quasi successionis a genealogo in stemmate notatus obtineas?*'

² sciendum est antiquitus in solemnibus transvectionibus equites trabea indutos censorem salutavisse, sed inde ab Augusto censores nulli fuerunt nisi iidem Caesares. at certe cum Nerone iuveni nostro nulla familiaritas (cf. '*tuum*!') conflata esse potuit, ex quo perspicitur, quomodo versus hic ad certam intellegendi normam revocetur, quam supra allegavi.

³ Donat. Ter. Andr. 489.

⁴ cf. '*trabeatos ... equites Idibus Iuliis Q. Fabius transvehi instituit*' Val. Max. 2, 2, 9; '*trabeasque et Idus ... censusque* [sc. loqueris]' Mart. 5, 41, 5.

ad populum phaleras!: sc. 'mitte, abiicias' vel sim., vide Ind. s. v. 'ellipsis'.

phaleras: phalerae ornamenta sunt equorum et praemia militum.

intus et in cute novi: 'te cognosco interius et familiarissime (*in cute*, ἐν χροῦ)'. cf. 5, 116 (*pelliculam*) adn.

31-34 iuveni dicit: non te paenitet vivere ad exemplar Nattae dissoluti? sed tu adhuc miserior es quam Natta. nam ille stupidus nescit quid perdat, tu vero cum philosophia aliquatenus imbutus sis (cf. vv 52 sqq.), non omnino virtutem nescis (cf. v. 38) eoque magis cruciaris¹.

31 *non pudet ad morem discincti vivere Nattae?*

quis Natta fuerit nescimus. utcumque audiatur Schol.: 'quod potest ab Horatio videri translatum, qui ait: "unguor olivo, / non quo fraudatis immundus Natta lucernis [sat. 1, 6, 123 sq.]"'. *apud utrumque tamen Natta nomen fictum est. alii putant Nattam fuisse quendam luxuriosum, qui patrimonium suum perdiderit, et nobilitatem male vivendo exturpaverit.*' fortasse ex nobili illa Pinariorum Nattarum gente² Natta quidam Persi tempore omnibus propter mollitiem vitae notus intelligendus. Nattam istum nobilem utique fuisse existimo, quia iuvenis noster, quocum is comparatur, certe nobili loco natus est (v. 28)³.

ad morem: 'ex more'.

discincti: 'dissoluti', cf. 4, 22. 'discinctum dicit negligentem et perditum, ut Horatius [epod. 1, 34] "discinctus aut perdam [sc. divitias] nepos"'. Schol. ceterum, cum Nattam ventriosum fuisse probabilis coniectura est (vide vv. 32-33), in proprium quoque huius vocis sensum poeta ludere videtur, cf. 'vel discinctum, obesum et ventricosum luxuria, quia cingi non possit. nam ob pinguedinem incaluisse hunc Nattam induxit' Schol.

32-33 *sed stupet hic vitio et fibris increvit opimum / pingue;*

Nattam depingit hominem corpore et ingenio crassum.

¹ iam Horatius affirmabat, quanto quem constantiorem in vitiis tanto minus miserum esse: 'quanto constantior isdem / in vitiis, tanto levius miser ac prior illo, / qui iam contento, iam laxo fune laborat' sat. 2, 7, 18-20.

² vide e. g. 'Pinarii Nattae nobiles' Cic. de div. 2, 47; Mur. 73.

³ ideo – ut obiter quorundam interpretum errorem perstringam – Pinarius Natta cliens Seiani (de quo Tac. ann. 4, 34), cum libertini generis (vide RE 2, 1401 sq. s. v. Pinarius 16; 17) fuisse videatur, nihil negoti h. l. habet.

fibris: cf. 1, 47 adn.

opimum: magnae crassitudinis *pingue* dicit, nam ‘opimum’ opponitur ‘macro’¹ et ‘gracili’².

pingue: pro substantivo (vide Ind. ‘substantive ...’). *pingue*³, dicitur de animalibus (vel herbis), non de hominibus, quod factum non nihil ad praecipuam Nattae stupiditatem confert. ceterum non est dubium quin pinguedo Nattae etiam ad ingenium eius transferatur.

33 *caret culpa, nescit quid perdat,*

‘at ille tamen caret culpa (quin etiam et sensu caret, quia pinguitudo impedit sensus⁴), nam nescit quid perdat’.

caret culpa: quid mirum? quippe etiam conscientiam culpae⁵ caret. ὁ μηδὲν εἰδὼς οὐδὲν ἐξαμαρτάνει Men. gnom. monst. 479.

33-34 *et alto / demersus summa rursus non bullit in unda.*

licentiore verborum ambitu sic sensum reddiderim: Natta demersus est in profundo aquae et *rursus non bullit in unda* i. e. absorptus sine spe rursus emergendi. et illud subauditur: tu vero bullis adhuc et non longe abes a summa aqua, i. e. non est prorsus de te desperandum.

alto: ‘fundo’ cui opponitur *summa unda*⁶.

rursus non bullit: pro ‘rursus non emergit’.

35-43 stupori Nattae opponit acerrimos cruciatus eorum qui conscientia culpae non carent, docens pessimam esse eorum conditionem, qui cum quid sit virtus noverint, eam tamen non appetunt. ideo summa poena, quam deus tyrannis infligere potest, est ea, ut virtutem cernant quam ipsi deseruerunt. hanc poenam tantam esse ait, ut omnia quae tyrannorum saevitia excogitavit tormenta, crudelitate longe superet.

¹ vide Hor. epist. 2, 1, 181.

² Cic. Brut. 64.

³ definit Plinius: ‘*pingue inter carnem cutemque suco liquidum*’ nat. 11, 212.

⁴ cf. Plin. nat. 11, 213.

⁵ cf. ‘*rubet auditor cui frigida mens est / criminibus, tacita sudant praecordia culpa*’ Iuv. 1, 166 sq.

⁶ cf. ‘*ex alto emergere*’ Cic. fin. 4, 64; cf. praeterea ‘*enim ego in alto vitiorum omnium sum*’ Sen. dial. 7, 17, 4.

35-38 precatur Iovem, ut tyrannos non aliter puniat, quam conscientiae tormentis.

35-36 *magne pater divum, saevos punire tyrannos / haut alia ratione velis, tyrannos*: tyranni sunt enim homines maxime aliorum hominum poenis gaudentes ideoque ante alios digni, qui saevissimis poenis ipsi afficiantur.

haut: heroici carminis antiquam maiestatem redolet¹.

velis: cf. 5, 170.

36-37 *cum dira libido / moverit ingenium ferventi tincta veneno*:

dira: 'vehemens et nefaria'². de cupiditate et furore cf. ThIL 5, 1, 1273, 5 sqq.

libido moverit ingenium: sc. tyrannis.

libido: quid sit libido, Cicero docet: '*libidini* [sc. *subiecta sunt*] *ira, excandescentia, odium, inimicitia, discordia, indigentia, desiderium et cetera eius modi*' Tusc. 4, 16; libido opponitur rationi³ et temperantiae⁴. de ἐπιθυμία Stoicorum, quae latine libido dicitur, cogitandum videtur⁵.

moverit: 'affecerit', cf. OLD s. v. 14.

ferventi tincta veneno: ingenium libidinis veneno penitus imbutum dicit. '*metaphora a lana*' Schol. fucus, quo melius lanae inhaereat, non solum eam imbut sed etiam *fervens* incoquitur. cf. 2, 74 adn.

veneno: apte ad metaphoram facit, nam et fucus purpurae venenum dicitur⁶.

¹ cf. e. g. '*haud ulla fieri ratione videres*' Lucr. 1, 357; Axelson, *Unpoetische Wörter*, p. 91; H. Tränkle, *Die Sprachkunst des Properz und die Tradition der lateinischen Dichtersprache* (Hermes-Einzelschriften, vol. 15) Wiesbaden 1960, p. 45 sq.

² cf. tamen A. Traina, *Poeti latini (e neolatini)*, Bologna 1991, vol. 2, p. 18.

³ '*... rerum quas libidine, non ratione gesserat*' Cic. Quinct. 14.

⁴ cf. Cic. de amic. 47.

⁵ '*omnes eae* [i. e. *perturbationes vel τὰ πάθη*] *sunt genere quattuor, partibus plures, aegritudo, formido, libido, quamque Stoici communi nomine corporis et animi ῥήδονήν appellant*' Cic. fin. 3, 35.

⁶ cf. '*venenari dicebant antiqui, cuius color inficiendo mutabatur, ut Ennius cum ait "cum illud quo iam semel est imbuta veneno" [ann. 476 Sk.] Fest. p. 516, 7 sqq. L.; "alba neque Assyrio fucatur lana veneno, / nec casia liquidi corrumpitur usus olivi" Verg. geo. 2, 465 sq.; "qui "venenum" dicit, adicere debet utrum malum an bonum; nam et medica-*

38 *virtutem videant intabescantque relicta.*

cf. αἰαῖ, τόδ' ἤδη θεῖον ἀνθρώποις κακόν, / ὅταν τις εἰδῆ τὰγαθόν, χροῖται δὲ μή Eur. fr. 838 N².

relicta: sc. virtute. 'quod virtutem reliquerunt'.

39-43 'an maiores gemitus et dolores taurus ille Phalaridis et ensis Damoclis expresserunt quam tacita vox 'imus, / imus praecipites' de se desperantis tyranni, qui cum pessum eat, ne uxori quidem metus suos communicare audeat?' prolixius Schol.: 'an maiora tormenta passi sunt ii quos Phalaris rex Agrigentorum tauro aeneo torquebat inclusos, aut gravior sollicitudo Democraten philosophum¹ torsit, quem Dionysius tyrannus opes et felicitatem mirantem invitavit ad cenam appositoque apparatu omni magnis epulis frui iussit, sed ita ut gladius ligatus saeta ex laquearibus supra cervices eius penderet, quam torquentur huiusmodi cogitationibus, cum se decipi intellegunt nec tamen corriguntur et apud se ita murmurant, ut nec uxoribus credant, ut secretum eorum ea nesciat, quae scire debuerat?'. ad summam haec sentit Persius: non tam atrox poena eorum est qui a tyrannis tormentis affliguntur, quam ipsorum tyrannorum; qui cum virtutis via deserta perire se cottidie sentiant, malae mentis laniatibus², quos nemo levare potest, semper afficiuntur.

39 *anne magis Siculi gemuerunt aera iuveni,*

Phalaris tyrannus taurum aeneum habuisse dicitur, quo flamma subiecta homines demittere solebat, qui cum igne cruciarentur gemitusque emitterent, tauri mugitum exprimebant.

40-41 *et magis auratis pendens laquearibus ensis / purpureas subter cervices terruit, pendens: vide v. 12 (calamo ... pendeat) adn.*

subter: adverbium attributive positum. cf. 4, 43.

purpureas ... cervices: purpureas cervices Damoclis dicit qui regio ornatu in cena Dionysii tyranni amictus fuit.

menta venena sunt, quia eo nomine omne continetur quod adhibitum naturam eius, cui adhibitum esset, mutat Gai. dig. 50, 16, 236.

¹ quis iste fuerit philosophus plane ignoramus neque scire refert, cum pateat Schol. mutato tantum nomine notam omnibus historiam de Damocle Dionysii aulico narrare. vide e. g. Cic. Tusc. 5, 61 sq.; Macr. somn. 1, 10, 16.

² animadvertendum est tyrannos apud Persium non tam scelerum quam malae tantum mentis conscientia angi.

41-42 *'imus, / imus praecipites' quam si sibi dicat dicat: sc. tyrannus.*

42-43 *et intus / palleat infelix, quod proxima nesciat uxor?*

uxor tyranni, cum sit ei proxima, tamen prorsus nescit, eum intrinsecus angoribus affici.

intus / palleat: 'intra se ipsum extimescat'. cf. 5, 80.

palleat: idem fere quod 'timeat' valet, cf. 5, 80; 184.

proxima ... uxor: uxor proxima dicitur quia in eodem lecto cubat, 'quae est proxima, i. e. corpore coniuncta' Schol.

44-57 sensus est: pueri desidiae culpa carent, quia propter aetatem nesciunt adhuc quid sit virtus. omnes enim dum pueri sumus sapientiae studio ludos pueriles praeponimus (vv. 48-51). tu vero neque aetatis (sicut pueri) neque ignorantiae (sicut Natta ille vv. 31-34) excusationem habes. nam neque puer es neque philosophorum praecepta tibi ignota sunt (vv. 52-57).

44 *saepe oculos, memini, tangebam parvus olivo,*

pueritiae suae tempus Persius in animum revocat reminisciturque fraudis qua uti solebat ut discendi laborem detrectaret. '*mihi lippitudinem accersebam*' et deinde '*oculi autem oleo tacti perturbantur ad tempus, et tamen tormentum hoc cum silentio sustinebat, ut turbatis oculis ad scholam non iret*' Schol.

saepe: non assiduitatem rei exprimit (verisimile enim non est, ut *verba Catonis* puer saepius ediscere cogeretur) sed pertinet ad vim affirmationis augendam.

memini: hoc verbum saepe ab affirmantibus per parentheses intericitur, cf. ThlL 8, 647, 35 sqq.

tangebam: 'inunguebam'. nam tangere dicitur etiam aliqua re attingere, ut puta liquore tangere pro aspergere vel illinere.

parvus: adiectivum praedictive¹ positum: 'cum parvus essem'.

45-47 pueri ea quae ludis litterariis edidicerant, certis quibusdam diebus praesentibus magistro atque parentibus eorumque amicis declamare solebant²; quem morem Persius hic respicit.

¹ sim.: '*memini quae plagosum mihi parvo / Orbiliu[m] dictare*' Hor. epist. 2, 1, 70 sq.

² cf. Quint. inst. 2, 7, 1; 10, 5, 21; Iuv. 7, 160 sqq.

45-46 *grandia si nollem morituro verba Catoni / dicere non sano multum laudanda magistro,*

grandia ... verba: i. e. magniloquam suasoriam¹, in qua Catoni deliberanti an mortem sibi consciscat suadet puer declamator ut moriatur² (aut – quod minus probabile – contra suadet: ut vivat, prosit scilicet virtutibus suis Caesari; iam rem publicam nisi uno regente stare non posse etc.³)

grandia: ridicule *parvus* (v. 44) iste *grandibus* verbis opponitur, quae apud magnum illum Catonem facit.

morituro ... Catoni: haec lectio (vide app. crit.) fortiore sensu commendatur atque ineptam illam suasoriarum condicionem optime notat. nam puer graviter disserens et quasi praecipiens res est ridicula, cf. ‘*quis enim ferat puerum aut adolescentulum ... si iudicet in dicendo et quodam modo praecipiat?*’ Quint. inst. 8, 5, 8.

dicere ... laudanda: simili modo dixit ‘*fervebit ... cenanda*’ 5, 9.

dicere: non ipse puer suasoriam componebat sed magistri tantum dictata (cf. 1, 29 adn.) ediscere debebat.

non sano: nempe, minime sanus est magister, qui talia tumida atque inepta laudat.

multum: vide 1, 132 adn.

laudanda: ‘quae laudaret’, vide KS 1, 731.

47 *quae pater adductis sudans audiret amicis.*

quae: sc. *verba Catonis.*

adductis: amicos dicit, quos pater ad audiendum convocaverat.

sudans: quia variis animi motibus acerrime afficitur: laetatur filio, angitur de eventu declamationis.

¹ suasoriis parvi (vide v. 44) pueri potissimum exercebantur, cf. ‘*nempe enim duo genera materiarum apud rhetoras tractantur, suasoriae et controversiae. ex his suasoriae quidem tamquam plane leviores et minus prudentiae exigentes pueris delegantur, controversiae robustioribus assignantur*’ Tac. dial. 35, 4.

² cf. Sen. suas. 6, ubi multi declamatores inducuntur, qui Ciceroni deliberanti an Antonium deprecetur, animum ad fortiter moriendum addant. cf. ‘*et nos / consilium dedimus Sullae, privatus ut altum / dormiret*’ Iuv. 1, 15-17; ‘*Catoni petendos honores suadeamus*’ Quint. inst. 3, 8, 37.

³ cf. Quint. inst. 3, 8, 47.

48-51 sic verba se excipiunt: 'etenim

(1) id summum (sc. mihi erat)¹, quid ferret dexter senio;

(2) erat (sc. mihi) in voto,

(a) scire quantum raderet damnosa canicula,

(b) non fallier collo angustae orcae,

(c) neu quis (sc. esset) callidior torquere buxum².

aut potius: 'etenim id summum erat (sc. mihi) in voto²:

(1) scire,

(a) quid ferret dexter senio,

(b) quantum raderet damnosa canicula,

(2) non fallier collo angustae orcae,

(3) neu quis (sc. esset) callidior torquere buxum³.

48-52 *iure ... haut tibi inexpertum*: sententiarum nexus: 'ego quidem, ut puer, iure haec faciebam, at tibi qui parvus puer non es, haut inexpertum etc.'

48 *iure*.

'iure haec faciebam', 'merito nolebam suasoriam declamare'⁴.

48-50 *etenim id summum, quid dexter senio ferret, / scire erat in voto, damnosa canicula quantum / raderet,*

sensus: praecipua mihi cura fuit scire, quantum lucri senio (q. e. iactus optimus), quantum damni canicula (q. e. iactus pessimus) in talorum lusu faceret.

etenim: 'accedit, quod id summum etc'. sicut theodisce dicimus: 'und in der Tat, und ferner, ja, doch, nämlich'⁵. *etenim* hoc loco non causam

¹ 'id summum mihi erat' = 'id maxime mea intererat'.

² cf. 'votorum summa' Iuv. 5, 18; 'haec summa votorum' Plin. epist. 7, 26, 3; 'summa boni' Pers. 4, 17 (cf. Iuv. 5, 2); 'hoc erat in votis' Hor. sat. 2, 6, 1; 'venire in votum' epist. 1, 11, 5; 'in votis' Cic. deor. nat. 1, 36.

³ hic ordo, etiamsi lectio *summo ... voto* (vide app. crit.) adhibeatur, optime tamen ad eundem sensum quadret.

⁴ cf. 'tempestivum pueris concedere ludum' Hor. epist. 2, 2, 143; 'quid si pueris [sc. irascatur], quod neglecto dispectu officiorum ad lusus et ineptos aequalium iocos spectent?' Sen. dial. 4, 10, 1; 'cum essem parvulus loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus, quando factus sum vir, evacuavi quae erant parvuli' Vulg. 1 Cor. 13, 11.

⁵ cf. KS 2, 128 sq.

simpliciter affert, cur *verba ... discere* (v. 45 sq.) noluerit (non enim idem valet quod 'nam' vel 'enim'!), sed amplificationem huius causae inducit¹.

id summum ... erat in voto: vide supra.

dexter senio: 'dextrum senionem dicit propitium, quia in iactu talorum semper boni aliquid affert. ... tali in hoc loco tres tesserae sunt numerum impressum tenentes in alea. senio autem et canicula et Venus propria nomina iactus tesserae sunt. verbi gratia, dum tres seni proveniunt, is iactus senio est. in quo notandum quia interdum etiam est sinister. dum vero tres uni, canicula. Venus autem, dum iactus iuxta rationem numeri optime connectuntur, quam connexionem unio id est canicula in fine tabulae efficere solet' Schol.

quid ... ferret: 'quid afferret', 'quem fructum ferret', v. ThLL 6, 549, 24 sq. huic verbo opponitur *raderet*, quod et ipsum lusoriae artis vocabulum (terminus q. d. technicus) fuisse videtur.

in voto: 'in optatis'.

damnosa: artis vocabulum².

canicula: vide supra. 'canicula pro cane, quae in calculis ex omni iactu talorum quinque detrahit, excepta Venere' Schol. 'vitant [sc. aleatores] ... canem, quia damnosus est; unum enim significat' Isid. orig. 18, 66.

raderet: 'tolleret', 'auferret'³.

50 *angustae collo non fallier orcae,*

sensus: non aberrare in nucibus⁴ iaciendis ab angusta licet apertura orcae. 'collo amphorae ex distante loco ait nuces mittere, ut manus non erret. qui ludus ubique celebratur. ita praestat, cum extra collum missas nuces colligat. ludo nuncum orcae collum ponitur, et qui certo iactu iacit in eodem collo, victor existit'

¹ cf. Madvig ad Cic. fin. 1, 3: 'nam particula "etenim" utimur non tam cum proxima confirmamus, quam cum in universa argumentatione progredimur ut saepe idem fere sit ac "porro", "praeterea"'.
² cf. 'me quoque per talos Venerem quaerente secundos / semper damnosi subsiluisse canes' Prop. 4, 8, 45 sq.; 'damnosi facito stent tibi saepe canes' Ov. ars. 2, 206; trist. 2, 474; Mart. 14, 19, 1.

³ hoc sensu Mart. 2, 17, 5. neque absurde Lubinus ad l.: 'respexit ad vicinitatem et ambiguitatem nominis caniculae: canum enim est radere vel abradere' Lubinus ad l. (in: *Auli Persii Flacci Satyricorum celeberrimi gravissimi, et difficillimi Satyrae VI. Ita illustrata ut a quovis facile intelligi possit, commentarius Eilhardi Lubini*, Amsterdam 1595). cf. praeterea 2, 66 (*rasisse*) adn.; Luc. 6, 545.

⁴ vide 1, 10 adn.

Schol. '*vas quoque saepe cavum spatio distante locatur, / in quod missa levi nux cadat una manu*' Ps. Ov. Nux. 85 sq.

angustae collo ... orcae: enallage pro: angusto collo.

fallier: vide Ind. s. v. 'infinitevus'.

orcae: amphorae species, quae est vas fictile teres atque uniformis¹, angusto collo².

51 *neu quis callidior buxum torquere flagello.*

'et ne quis (sc. esset) callidior etc.' i. e. 'ne quis peritior esset in turbine flagello agendo'.

callidior ... torquere: cf. 3, 5 (*calles*) adn.

buxum: turbinem dicit e buxo tornatum, quo pueri ludunt, cum ingeminatis flagelli verberibus versant³.

52-57 sequitur nunc eius, quam versus 44-51 amplectuntur, sententiae quasi apodosis.

52 *haut tibi inexpertum curvos deprendere mores,*

'optime⁴ calles notare (e. g. in saturam) pravos mores'.

curvos: 'pravos'. cf. '*scilicet ut possem curvo dinoscere rectum*' Hor. epist. 2, 2, 44, ubi Porphyrio: '*id est per ethicam partem philosophiae discernere, quid sit vitium, quid sit virtus*', cf. Pers. 4, 11 sq.; 5, 38.

deprendere: sicut dicimus: 'flagitium deprendere' et simil.

53-54 *quaeque docet sapiens bracatis inlita Medis / porticus,*

sensus: 'nosti dogmata Stoicorum'. in hac sententia prius intellegitur: 'neque inexperta sunt (ea) quae docet etc'. '*Atheniensium porticum dicit, in qua*

¹ '*orca genus marinae beluae maximum, ad cuius similitudinem vasa ficaria orcae dicuntur [quod falsum nimirum est, nam urcei vocabulo affine, cf. ὄρχη]; sunt enim teretes atque uniformi specie*' Paul. Fest. p. 195, 4 sqq. L.

² Werner Hilgers, *Lateinische Gefäßnamen. Bezeichnungen, Funktion und Form römischer Gefäße nach den antiken Schriftquellen*. Düsseldorf 1969, p. 235 sq.

³ cf. οἱ δ' ἄρ' ὑπὸ πλεγμασί θοὰς βέμβικας ἔχοντες / ἔστρεφον εὐρείη παῖδες ἐνὶ τριόδῳ Call. ep. 1, 9 sq. Pf.; Verg. Aen. 7, 378-383.

⁴ usu interdum venit, ut per duplicem negationem (q. d. litotes) vis affirmationis augeatur: cf. '*haut ignara ac non incauta futuri*' Hor. sat. 1, 1, 35; '*haut inipunitum quondam fore*' Iuv. 13, 200. Hofmann, *Lateinische Umgangssprache*, p. 147 sqq.

qua picta erat pugna Atheniensium et eorum, qui cum Xerxe Persa ad oppugnandam Graeciam venerant, gesta apud Marathonios campos; quam porticum sapientem dixit, quoniam sapientes in ea philosophabantur, ex qua Stoici dicti; Graece enim porticus στοά dicitur Schol.

quaeque: *que* explicativum.

sapiens ... porticus: metonymice dictum, cf. '*sapiens barba*' Hor. sat. 2, 3, 35; '*eruditus pulvis*' Cic. deor. nat. 2, 48.

bracatis: *bracatos* dicit Persas, ut barbaros hoc vocabulo significet¹, nam bracae sicut Persis ita multis aliis barbaris gentibus proprium indumentum fuit.

inlita: i. e. illitis coloribus depicta, '*picta*'. illinere dicitur proprie liquidi quippiam alicui rei superponere, inunguere. inde saepius per contemptum aut hyperbolice². noster vero cum quasi '*inunctam*' dicat, festive personam subrusticam induit, qui ingenue atque inculte loquatur (cf. Pers. chol. 1 adn.; '*semipaganus*' ib. v. 6).

ceterum nemini paulo cordatiori lectori dubium esse potest quin poeta in hac satura stoicorum cavillationi (ut vocabula '*inlita*', '*pasta*' iam satis demonstrant) aliquanto indulserit. si autem quaeret aliquis cur Persius stoicam, quam ipse maxime amplectebatur, doctrinam intempestivo (ut primo obtutu videri potest) sale perfricet, respondebo: esse res quasdam tam graves atque serias, ut sine grano salis serio tractari nequeant.

54-55 *insomnis quibus et detonsa iuventus / invigilat siliquis et grandi pasta polenta.*

insomnis: sollicitos iuvenes dicit, qui doctrinis Stoicorum magna animi contentione invigilant. *insomnis* enim is proprie dicitur qui propter anxiam animi curam vel morbum non dormit³.

quibus et: cf. 1, 23 (*quibus et*) adn.

quibus: refertur quidem ad *quaeque* (v. 53), simulque etiam ad *bracatos Medos spectat*, quasi dicat festive: '*insomnis iuventus invigilat bracatis Medis*'.

¹ cf. '*bracati militis arcus*' Prop. 3, 4, 17; '*bracatis et Transalpinis nationibus*' Cic. fam. 9, 15, 2; '*bracataque turba Getarum*' Ov. trist. 4, 6, 47.

² '*et quodcumque semel chartis inleverit*' Hor. sat. 1, 4, 36 (contemptim de negligentia in scribendo) et OLD s. v.

³ cf. '[sc. Romani] *oberrarent tentoriis, insomnes magis quam pervigiles*' Tac. ann. 1, 65.

detonsa: Stoici comam alere non solent, quo elegantiarum despectum monstrent¹.

siliquis et grandi pasta polenta: vilem et asperum cibum dicit.

grandi: vilis generis, quia ex grandiore² farina facta.

pasta: ridiculum, tamquam pecuaria.

56-57 *et tibi, quae Samios diduxit littera ramos, / surgentem dextro monstravit limite callem.*

sensus: nota est tibi virtutis via. ‘haut tibi inexpertum est, quae Pythagoras Samo insula ortus praecepit, qui litteram Y invenit ad modum humanae vitae, quae in infantia vel in initio monitionum paedagogi et paterno metu secta non est. at postquam in adolescentiam quis venerit, dividitur. et in sinistra parte rami velut vitia sunt, quae devexioribus facilem ad se praestat ascensum. et altera dextera, in qua virtutis opera celebrantur, arduum ac difficilem limitem pandit: qua qui evaserit, quieta sede excipitur: quas partes quisquis ab anno sexto decimo obtinebit, in iis fuerit staturus. de qua similitudine dicebat per vitia ad perniciem cito tendi ac perveniri, ad felicitatem per virtutem tarde veniri’ Schol.

ramos: cf. 5, 35. ‘Pythagorae bivium ramis pateo ambiguus Y.’ Auson. technop. 14, 9 (p. 182 Green).

surgentem ... callem: arduam virtutis viam etiam apud Hesiodum invenimus: ὄρθιος οἶμος Op. 290.

limite: per dextrum Y litterae ramum vitae rectus cursus intellegitur: ‘rectum sequi limitem’ Sen. epist. 123, 12; ‘nec famam laevo quaerebat limite vitae’ Sil. 8, 612.

callem: per callem angustam atque asperam viam significat; sicut montium calles dicimus³.

58-62 denuo insurgit poeta in iuvenem desidiosum.

58-59 *stertis adhuc laxumque caput conpage soluta / oscitat hesternum disutis undique malis.*

stertis: vide vv. 3-4.

laxumque etc.: hic per singulas res ad cadaveris paene similitudinem depingitur iuvenis iste quo turpior enervis et dissoluta eius vita apparet.

¹ Lucian. Herm. 18; Diog. Laert. 6, 31; nec non ‘supercilio brevior coma’ Iuv. 2, 15.

² cf. ‘polenta grandis’ Cato agr. 108.

³ cf. Isid. orig. 15, 16, 10.

laxum: vide *laxa cervice* 1, 98 adn. cf. '*laxis laterum compagibus*' (de tempestate quae navium latera labefactavit) Verg. Aen. 1, 122.

compage: 'iunctura'¹.

soluta: quasi discretum² sit caput a corpore.

oscitat: dum exhalat crapulam, hesternum vinum. cf. '*oscitat in campis caput a cervice revulsum*' Enn. Ann. fr. 483 Sk. auditur et notio nihil curandi, cf. Donat. Ter. Andr. 181 '*oscitantes: securi, id est nihil providentes*', ThlL 9, 2, 1104, 17 sqq.

hesternum: '*crapulam significat. ut est illud Vergili [ecl. 6, 15] "inflatum hesterno venas ut semper Iaccho"*' Schol.

dissutis undique malis: quasi per omnes suturas³ iuncturasque dissolutis maxillis.

60-62 cf. '*quibusdam nihil, quo cursum derigant, placet, sed marcentes oscitantesque fata deprendunt*' Sen. dial. 10, 2, 2.

60 *est aliquid quo tendis et in quod derigis arcum?*

rogat num certum aliquem finem sibi proponat quo vitam suam dirigat.

61 *an passim sequeris corvos testaque lutoque*

'*vilia rerum expetis, idque ipsum sine ratione facis*'. denuo puerilem levitatem iuveni obicit; simili modo proverbialiter graece dicitur, e. g. δῶκει παῖς ποτανὸν ὄρνιν Aesch. Ag. 394.

sequeris: (venando) 'petis', cf. '*voluit ... / ... telo ... sequi, quem / cursu non poterat*' Verg. Aen. 12, 774 sqq.; '*pilo sequi*' Tac. hist. 4, 29.

testaque lutoque: insequeris (auditur: ne sagittis (cf. v. 60) quidem, sed) arrepto quidquid in manum inciderit: testis (i. e. e. g. fragmentis vasorum fictilium⁴, tegularum⁵ aut lapidum⁶) vel terrae glebis.

¹ cf. '*ipsa in compage qua iungitur capiti cervix [sc. elephantii]*' Liv. 27, 49, 1.

² cf. e. g. '*caput a cervice revulsum*' Verg. geo. 4, 523 et Enn. loc. infra mem.

³ nam et malae suturas habent: '*malae quoque in summa parte singulas transversas suturas habent*' Cels. 8, 1, 4.

⁴ '*testis cadi*' Plin. nat. 32, 89.

⁵ '*testis tegularum*' Sisenna hist. 11 (ap. Non. p. 125, 17 M); '*testis tectorum*' Cic. dom. 61.

⁶ '[sc. lapides] *aspergine et gelu pruinisque rumpuntur in testas*' Plin. nat. 36, 167.

-que ... -que: haec constructio in fine versus epiciam exprimit sublimitatem¹, quam festive imitatur Persius.

62 *securus quo pes ferat, atque ex tempore vivis?*

securus quo pes ferat: cf. ‘*ire pedes quocumque ferent*’ Hor. epod. 16, 21². de constructione cf. 6, 12.

securus: ‘non curans’, cf. 6, 12.

ex tempore: ut tempus fert, sine proposito.

63-64 *elleborum frustra, cum iam cutis aegra tumebit, / poscentis videas: venienti occurrite morbo,*

hydropis morbi imagine adhibita monet quam primum sapientiae studium appetendum, quod si sero facias, tarda philosophiae medicina sit. similiter aliquatenus Horatius ‘*ut te ipsum seroes non expergisceris? atqui / si noles sanus, curres hydropicus* etc.’ epist. 1, 2, 33 sq.

elleborum: elleborum hydropicis medetur³ quia vim ad humores noxios extrahendos habet⁴.

frustra: nam morbus iam inveteratus est.

venienti occurrite morbo: proverbialiter, cf. ‘*principiis obsta; sero medicina paratur*’ Ov. rem. am. 91. vide Otto, *Sprichwörter*, p. 287 (nr. 1470); Häußler, *Nachträge*, p. 203; 285.

occurrere: praecludite, inquit, aditum incipienti morbo. vide 1, 65 (*occurrere*) adn⁵. v. Ind. (‘imperativus in apodosi condicionalis sententiae’).

64-65 nexus sententiarum: ‘occurrere venienti morbo et nihil opus erit promittere Cratero magnos montes’, ‘si venienti morbo occurras, quid opus etc.?’

ceterum cave post ‘*montes?*’ constructionem intercidas, cum eiusdem tenoris sint verba *occurrere, discite, cognoscite*.

¹ cf. ‘*proletarius publicitus scutisque feroque / ornatur ferro*’ Enn. ann. fr. 170 Sk.; ‘*[que ... que]*’ has Ennian colour and imitates the Homeric τε ... τε Harrison ad Verg. Aen. 10, 91 in: *Vergil, Aeneid 10*. With introduction, translation, and commentary by S. J. Harrison. Oxford, 1991, p. 83; LHS 515.

² vide Otto, *Sprichwörter*, p. 275 sq. (nr. 1396); Häußler, *Nachträge*, p. 243.

³ Plin. nat. 25, 60; ‘*elleboro bene purgatur lymphaticus error*’ Ser. Samm. 506.

⁴ cf. Gell. 17, 15, 4.

⁵ ceterum cf. ‘*occursum enim vitio dicunt eum qui originem non ignoravit*’ Cels. 1, praef. 18.

65 *et quid opus Cratero magnos promittere montes?*

'in proverbio¹ est "montes aureos". grandia enim promittunt, qui in periculo sunt. satius est ipsis venientibus morbis occurrere, antequam morbus veniat, cavere. quid enim prodest post morbos sera remedia quaerere et Cratero medico multa promittere? hic Craterus Augusti temporibus nobilis fuit medicus, de quo Horatius dicit [sat. 2, 3, 161] "non est cardiacus, Craterum dixisse putato" Schol.

Cratero: 'per hunc omnem medicum vult accipi' Schol.

66-72 his versibus altissimum huius saturae fastigium attingit olor ille Volaterranus.

66 *discite, o miseri et causas cognoscite rerum:*

'discite moralem² philosophiam'.

discite, o: nota hiatum prorsus insolitum, v. Ind.

discite: cf. v. 73; 5, 91.

miseri: cf. v. 15.

causas: cf. *'sapiens, vitatu quidque petitu / sit melius, causas reddet tibi'*

Hor. sat. 1, 4, 115 sq.

67 *quid sumus et quidnam victuri gignimur,*

quid sumus: praecipuum ethices argumentum quaestio de natura hominis, *'nosce te ipsum'* (cf. 4, 23), cf. *'sequitur illud, ut animadvertamus, qui simus ipsi, ut nos, quales oportet esse, servemus'* Cic. fin. 4, 25.

quidnam victuri gignimur: *'ad quid nascimur'*, *'ad qualem vitam victuri'*.

quidnam victuri: accusativus obiecti interni (v. Ind.)

quidnam: *'quam vitam'*.

victuri: significat propositum (*'qualis vita conveniens sit homini'*), cf. *ablatura* 1, 100.

67-68 *ordo / quis datus aut metae qua mollis flexus et unde,*

quem ordinem vivendi natura constituerit; quia decet sapientem, ut in bono vitae proposito constitutus, si necesse est inflecti, ad meliora flectatur' Schol.

¹ Otto, *Sprichwörter*, p. 227 (nr. 1132).

² nam naturalem philosophiam, quam Stoici aequae atque moralem tractant, non curat Persius. i postea, et Persium Stoicum semper agere puta.

ordo: ordinem vitae dicit, i. e. institutum vitae¹. cf. ‘*sibi actam aetatem et tot per annos continuum vitae ordinem non deserendum*’ Tac. ann. 16, 26.

metae etc.: intellegitur de vitandis periculis et impedimentis voluptatum². similitudo a circensi cursu (vel a navali certamine) petita, in quo aurigis duae metae (quae plerumque lapideae fuerunt) evitandae sunt, circa quas currus agendus. metae autem positae sunt, ut scirent aurigae, qua (i. e. ubi) equi circumflectendi, et unde (i. e. ex quo loco, ‘whence to begin the turn’ Conington) currus reverterentur. cf. ‘*metam / constituit signum nautis pater, unde reverti / scirent et longos ubi circumflectere cursus*’ Verg. Aen. 5, 129 sqq.

mollis: i. e. facilis (cf. OLD s. v. 6 ‘providing easy going’), et ideo sine periculo. equi enim scite flectendi sunt, ne currus se in metas impingat. in imagine: de expedita ratione vitae regendae.

flexus: habet enim vita flexus (‘turning-point’ OLD s. v. 4; ‘turn of life’, ‘critical turn’) quosdam, ut initium virilis aetatis (cf. ‘*in hoc flexu aetatis ... fama adulescentis paululum haesit ad metas notitia nova eius mulieris*’ Cic. Cael. 75) vel senectutis (Cic. de or. 1, 1).

69-70 *quis modus argento, quid fas optare, quid asper / utile nummus habet, argento*: ‘pecuniae’. vide 2, 11 adn. (*argenti*). ‘*quis habendi divitias modus sit*’ Schol. cf. ‘*virtus quaerendae finem re scire modumque*’ Lucil. 1331 M.

quid fas optare: vota ad humanam vitam pertinentia dicit (de hac re vide sat. 2 passim)³. cf. 5, 109 (*es modicus voti*).

fas: ‘aequum, iustum, licet’, cf. ThL 6, 291, 52 sqq.

asper ... nummus: ‘non detritus’, cf. ThL 2, 809, 22 i. e. ‘recens’. asper tactu nummus est qui recenter signatus, nondum tritus ideoque iusti ponderis⁴. etiam; at quorsum haec? nescio, nisi quod ita ludere liceat: nova pecunia domi potissimum asservabatur neque ex loculis promebatur nisi nimia necessitate urgente; ad usum vero cottidianum detriti potius nummi mandabantur. ideo apud divites asperi nummi in nullo usu

¹ vide OLD s. v. 14-15.

² cf. Cic. Cael. loc. infra mem.

³ ‘*quid non adeptus est [sc. Scipio], quod homini fas esset optare?*’ Cic. Lael. 11.

⁴ ‘*exegit [sc. Nero] ingenti fastidio et acerbitate nummum asperum, argentum pustulatum, aurum ad obrussam*’ Suet. Ner. 44, 2; ‘*nec voles quod debeo <nisi> in aspero et probro accipere*’ Sen. epist. 19, 10.

fuerunt. dicit igitur Persius, si forte magnae divitiae tibi contingant, scias iis uti (ut puta: temporibus amicorum tuorum subvenias etc.). vel simplicius: asperum dicit novum qui oculos splendore delectat manusque contrectantes ipsa asperitate capit atque delectat, sensu: nummos esse non ad spectandum contrectandumque sed ad usum vitae. vel simplicissime, pro perpetuo epitheto omnis rei signatae¹.

nummus: cf. chol. 12 (*nummi*) adn.

70-71 *patriae carisque propinquis / quantum largiri deceat,*
 '[sc. virtus est] *commoda praeterea patriae prima putare, / deinde parentum, tertia iam postremaque nostra*' Lucil. 1337 sq. M.

carisque propinquis: eadem formula utitur Horatius in sat. 1, 1, 83.

largiri: 'large tribuere', rarissimum vocabulum, quod ante Persium nemo, postea vero certa fide Ambrosius tantum (serm. 42, 1) adhibuisse videtur, v. ThLL 5, 2, 323, 30 sqq.

deceat: variat coniunctivo indicativum (*quid sumus ... quid habet ... quantum deceat*), ut infra v. 73 *quod multa fidelia putet* et v. 76 *quod prima nondum defecerit orca* vide 1, 128 adn.

71-72 *quem te deus esse / iussit et humana qua parte locatus es in re.*

quem te deus esse / iussit: 'quas partes agere iussit te deus'; 'ad quam conditionem natus sis, ut sua sorte contentus, munera eius impleas'. aliud est quam *quid sumus* v. 67; ibi enim quaestio de natura (Stoicorum illa φύσις) humana ponebatur, hic vero in relationes (σχήσεις) quaerit.

deus: singulari numero apud Persium nusquam nisi in 6, 62 invenias.

humana ... in re: κοσμόπολις Stoicorum loquitur. scire nos oportet, quid humani generis societati debeamus.

locatus: τεταγμένος inter homines².

73-76 superiora omnibus dicta erant, his verbis discipulum quoque alloquitur: 'noli sapientiae studium opum desiderio, quas causidici ac-

¹ cf. 'tertia dona facit geminos ex aere lebetas / cymbiaque argento perfecta atque aspera signis' (Aen. 5, 266 sq., cf. 9, 263), ubi *aspera signis* pro 'figuris eminentibus caelata'.

² cf. 'etiam si premeris et infesta vi urgere, cedere tamen turpe est: adsignatum a natura locum tuere. quaeris, quis hic sit locus? viri.' Sen. dial. 2, 19, 4; 'perdidit arma, locum virtutis deseruit, qui / semper in augenda festinat et obruitur re' Hor. epist. 1, 16, 67 sq.

quirere solent, conturbare.’ rem vero exprimit per satiricam imaginem esculentorum a clientibus¹ acceptis.

‘disce nec invidias

- 1) quod [sc. apud aliquem patronum] multa fidelia putet in locuplete penu defensis pinguibus Umbris,
- 2) <quod sint ei> et piper, et pernae (Marsi monumenta clientis),
- 3) quod maena nondum defecerit prima orca.’

73-74 *disce nec invidias quod multa fidelia putet / in locuplete penu defensis pinguibus Umbris,*

disce nec invidias: v. Ind. s. v. ‘variatio’.

disce: cf. v. 66 adn.

nec: KS 1, 192 sq.

invidias: invidia enim cum sapientia non convenit. de constructione cf. OLD s. v. 1d; LHS 579. interpretes² vero qui hoc verbum sensu ‘recuses, repugnes, nolis (sc. discere)’ accipiunt³, latininitatis rationem minus curare videntur; neque enuntiata per *quod* tale monstrum umquam produxerunt, cf. ThL 7, 2, 194, 52 sqq.

multa: singulari numero more poetico pro plurali utitur (vide Ind.)

quod multa fidelia putet: i. e. quod multas fidelias salsamentorum aliquis habeat causicus. tales quidem lautitiae ridiculae sunt; attamen solent exquisita etiam salsamenta gravem odorem exhalare⁴. et illud fortasse auditur: ‘quod tam multa esculenta in fidelibus habeat, ut, cum omnia comesse nequeat, putrescant’.

¹ causicis enim munera a clientibus deferri solebant, cf. e. g. Iuv. 7, 119 sqq.

² qui quidem frustra advocant exempla, quae nihil ad rem, ut ‘his te quoque iungere, Caesar, / invideo’ Lucan. 2, 550 sq.

³ quod si fieri posset quod fieri nequit, cetera sic construant necesse est: ‘disce nec invidias (sc. discere)

- 1) quod multa fidelia putet in locuplete penu defensis pinguibus Umbris,
- 2) <quod sint tibi> et piper, et pernae (Marsi monumenta clientis),
- 3) quod maena nondum defecerit prima orca.’

ut sententia fiat: ‘disce neque ideo desistas discere quod, cum sis advocatus, satis superque a clientibus tuis esculentorum habeas.’

⁴ cf. ‘quod pingui miscere mero muriaque decebit / non alia quam qua Byzantia putuit orca’ Hor. sat. 2, 4, 65 sq. ‘“putidum” non putre sed odoris mali’ Non. p. 161, 15 M.

fidelia: vide v. 22 adn.

penu: i. e. in cella patroni penuaria.

defensis ... Umbris: quos defendit in iudicio, quorum causas agit.

pinguibus Umbris: Umbri, ut Etrusci, pingues propter terrae opulentiam¹ plerumque erant (sicut imagines eorum hodieque in museis docent) et habebantur².

Umbris: (potuit poeta et se ipsum aliquatenus respicere, qui patronus Tuscos suos defenderet (vide v. 28 (*Tusco*) adn.); sed nihil certi habemus).

75 *et piper, et pernae (Marsi monumenta cluentis)*,
pergit penuarias opes cauidici describere.

et etc.: cave 'putet' suppleas!

piper etc.: piper ad omnes potest referri clientes, pernae autem ad Marsos.

piper: piper vile admodum fuit, cf. 6, 21.

pernae: vulgaris cibus, cf. Hor. 2, 2, 117; Iuv. 7, 119.

Marsi: Marsus cliens pernam patrono suo affert. Marsorum gens pristina morum simplicitate nota, cf. Iuv. 3, 168 sqq.; 14, 179 sq.

monumenta: monumenta proprie dicuntur quaecumque res ad memoriam continuandam. itaque haec 'monumenta' clientes patrono mittunt ut excitent memoriam sui³ atque illum officii admoneant. ceterum lepide pernas monumenta vocat; sunt enim magnae atque ponderosae, tum ipsa suspensione (nam suspensae in cella penuaria servabantur) videlicet conspicuae.

cluentis: vetus forma ironiam auget et bene assonat *monumentis*.

76 *maenaque quod prima nondum defecerit orca*.

sensus: quod tantam salsamentorum copiam habeat, ut ne primam (nam plures orcas habet, reliquis adhuc intactis) quidem orcam consumpserit.

maena: vile 'salsamenti genus est ex pisce minuto' Schol.

orca: vide v. 50 adn.

¹ 'opulenta Etruriae arva' Liv. 9, 36, 11; Athen. 12, 526 f – 527 a.

² 'pinguis Tyrrhenus' Verg. geo. 2, 193; Catull. 39, 11.

³ cf. 'tibi omnia sua praeter animam tradidit nec sibi quicquam paternum ne monumenti quidem causa reservavit' Cic. Rosc. Am. 146; 'equitibus Campanis civitas Romana data, monumentoque ut esset, aeneam tabulam in aede Castoris Romae fixerunt' Liv. 8, 11, 16. 'monumenta sunt munera, quae memoriam efficiunt, eo, quod memoriae inhaerent, qui ea dant, aut quia mentem moneant' Schol.

77-87 hic, inducta centurionis persona, exprimit Persius opinionem eorum, qui ignorantia sua contenti, omnem animi culturam respuunt. vv. 78-85 sunt verba centurionis philosophos de negotio deicientis.

77-78 *hic aliquis de gente hircosa centurionum / dicat:*

gente ... centurionum: centuriones, ut sunt milites, stulti. cf. 5, 189-191.

hircosa: gravem odorem dicit. centuriones hircum olere solent quia cultum corporis neglegunt. sordidi tales deridentur in 1, 127 sq.

centurionum: haec vox cum a sublimi poesi prorsus abhorreat, in versu apud saturae tantum scriptores invenitur (Hor. sat.; Lucil. Iuv.) et Mart. cf. 5, 189 (*centuriones*) adn.

78 *‘quod satis est, sapio mihi.*

‘hoc est, sufficit mihi naturalis sensus nullaque ex philosophia eruditione delector’ Schol. dicit igitur: ‘in tantum sapio, quam mihi sufficiat’¹, tum: mea sapientia contentus sum, amo romanum vivendi modum, non egeo peregrina sapientia. (sed et in illud fortasse luditur: ‘meo odore contentus sum’, nam ‘sapere’ interdum ‘olere’ significat²; odorem autem centurionum iam scimus foedissimum esse!)

78-79 *non ego curo / esse quod Arcesilas aerumnosique Solones*

duo sapientium nomina centurio affert in quae casu homo ignorantissimus incidit, et dicit nolle se eorum similem esse.

aerumnosi: ‘miselli, calamitosi’. forte vocabulum. cum contemptu dictum. aerumnosos philosophos dicit quia hominibus imperitis atque robore corporis stolide tumentibus omnes qui assiduis cogitationibus operam dant, infelices tristes atque curis onerati videntur. ‘aerumnosi’ vocabulum vulgari sermone frequentatum fuisse videtur, sicut sunt multa vocabula in *-osus* desinentia³, cf. Trimalchionis verba: *‘in capricorno aerumnosi, quibus*

¹ cf. *‘quod satis est cui contigit, nihil amplius optet’* Hor. epist 1, 2, 46.

² cf. e. g. *‘meliora ... unguenta sunt quae terram, quam quae crocum sapiunt’* Plin. nat. 17, 38. nec non Pers. 1, 10 sq.; 6, 38.

³ cf. A. Marbach, *Wortbildung, Wortwahl und Wortbedeutung als Mittel der Charakterisierung bei Petron*, Diss. Gießen 1931, p. 40; W. Heraeus, *Die Sprache des Petronius und die Glossen*. Progr. (Offenbach) 1899, p. 13.

*prae mala sua cornua nascuntur*¹ Petron. 39, 12. quid autem sit aerumna¹ iam alibi² docui allatis Ciceronis verbis, cui verbum hoc *tristissimum* videbatur³.

Arcesilas ... Solones: hoc in contemptum Graecorum dicit. cf. 1, 127.

Solones: plurali numero contemptus interdum exprimitur, cf. 1, 34.

ceterum in propria nomina lex mihi quaedam constituta esse videtur, ut, quando apud auctores singularis plurali numero miscetur, singulari numero recentior persona⁴ designetur. e. g. *Vergilius et Saserna, Solonesque et Catones* Colum. 4, 11, 1; *Aemilianos / et Curios iam dimidios umerosque minorem / Corvinum et Galbam* etc. Iuv. 8, 3 sqq. hanc quidem legem nihil curat centurio, curat tamen Persius, qui eum loqui facit.

80 *obstipo capite et figentes lumine terram,*

obstipo: 'inclinato'. 'quod tacita et intenta cogitatione quasi obstupidi videntur' Schol. haec capitis inclinatio centurioni nostro derisui est tamquam viro forti atque robusto indigna.

figentes lumine terram: 'terram intuentes', quasi eam oculis perforare velint, quod est mos quorundam philosophorum, ut Socratem accepimus solere immobilem et ore oculisque in eundem locum directis stare, cf. e. g. Gell. 2, 1, 2.

81 *murmura cum secum et rabiosa silentia rodunt*

murmura ... et ... silentia rodunt: in imagine de intentis cogitationibus quas maxillae movendo, dum philosophus secum murmurat⁵, quasi rodant.

murmura: clauso ore secum murmurare inepti etiam hominis est, cf. 5, 11 sq.

rabiosa silentia: acriter nescioquid meditantur.

silentia: cf. 4, 7 adn.

82 *atque exporrecto trutinantur verba labello,*

dum protensa labra meditantes movent, labris, quasi trutina, verba ponderare videntur.

¹ Quintiliano utique displicet hoc vocabulum ut nimis horridum atque antiquum: "'aerumna" [locus difficilis. 'aerumnosum' coniecit Zumpt] quid opus est, tamquam parum si <dolor> dicatur?' inst. 8, 3, 16 (at aliter Cicero sentiret, vide de or. 3, 153).

² vide 1, 78 adn.

³ Cic. de fin. 2, 118 et Madvig ad l.

⁴ quae interdum eadem notior fuit, cf. LHS 19.

⁵ cf. 'cogitationem murmure agitantes' Quint. inst. 10, 3, 15.

83 *aegroti veteris meditantēs somnia,*

‘vanas quasdam res meditant: dicas alicuius valetudinarii esse somnia¹, ut istud: "gigni etc."’

veteris: ‘aegroti, qui diuturno morbo implicatus est’². cf. 1, 97 (*vetus*) adn.

83-84 *gigni / de nihilo nihilum, in nihilum nil posse reverti.*

utitur notissima illa multorum philosophorum sententia³ centurio ut saepius repetito ‘nihili’ vocabulo risum audientium captet. simili modo movet repetitio risum in 1, 27.

85 *hoc est quod palles? cur quis non prandeat hoc est?’*

sensus fere est: ‘hiscene nugis discruciaris? haec est causa cur non prandear?’

palles: de pallore nimis studiis contracto cf. ad 1, 26; 124 et chol. 4⁴.

non prandeat: certe, stolido isti militi, maximum est ut omnibus diebus prandeat. studiosi vero sapientiae prandium aliquando praetermittebant, sobrietate ingenium acuentes.

86-87 *his populus ridet, multumque torosa iuventus / ingeminat tremulos naso crispante cachinnos.*

verba poetae.

his populus ridet: ‘id est de talibus verbis’ Schol.

his: ablativus q. d. causae⁵ potius quam dativus.

multum: sc. *ingeminat*. vide 1, 132 adn.

torosa: cf. 5, 95 (*alto*) adn.

¹ cf. ‘nemo aegrotus quicquam somniat tam infandum, quod non aliquis dicat philosophus’ Varro Men. 122; ‘exposui fere non philosophorum iudicia, sed delirantium somnia’ Cic. deor. nat. 1, 42; ‘aegri somnia’ Hor. ars 7.

² eodem sensu ‘aeger *vetus*’ Iuv. 9, 16 i. e. ‘qui iam diu aegrotavit’; ‘*veteribus aegris*’ Plin. nat. 23, 48; cf. ‘*veteres ... clientes*’ Iuv. 1, 133 i. e. ‘qui iam diu clientes fuerunt’; ‘*veterem convivam*’ Petron. 33, 8; ‘*vetere quartana*’ Cels. 3, 16, 2.

³ quae est Democriti, Epicuri, Aristotelis, Anaxagorae, Empedoclis, Zenonis, Chrysippi et al., vide Kißel, p. 464.

⁴ ceterum excipit quodammodo hoc verbum Persius in v. 95 sq., ibi enim quasi respondeatur centurioni aliisque qui putant studium philosophiae nihil ad vivendum conferre: si non vis pallere prae sapientiae studio, prae morbo pallebis, cf. Hor. epist. 1, 2, 34.

⁵ cf. Hor. sat. 2, 8, 83.

iuventus: 'milites'. cf. e. g. Lucan. 2, 46; Iuv. 2, 155; OLD s. v. 1b.

ingeminat ... cachinnos: iterum iterumque dat risum.

tremulos ... cachinnos: quia risus vibrante sono efferuntur.

naso crispante: 'naso corrugato'.

naso: cf. 1, 33 (*nare*) adn.

88-106 haec paenultima saturae pars iam in versu 63 quodam modo praenuntiabatur¹. qui recte vivendi praecepta omni cura adhibita non sequitur, in cassum laborat. similis est enim aegrotanti de quo hisce versibus narratur: is levi adhuc aegrotatione affectus medicum consulit atque iussa eius initio quidem exsequitur (vv. 90-91), tum, tertiana se laborare credens (re vera autem quartana implicitus), cum tertio demum die nihil adversi passus esset, quarto die hydrops v. 95 (cuius species, si curiosius inquiris, ἀσκίτης vocatur) supervenit², at ille cibum contra medici monitum confidens sumpsit atque balneo usus est (v. 98)³. eodem die subita morbi accessione, quam cor hominis sustinere non potuit, moritur (v. 102).

ac ne illud quidem neglegendum est, quod mihi in hac narratione ad extremum proposueram: istum aegrotum non omnino incautum fuisse (nam et vini, eiusque boni, paulum tantum hausit (*modice sitiente lagoena* v. 92), et deinde vinum calida aqua permixtum bibit); at oportuit non aliqua sed perfecta perseverantia uti. haec incontinentia ad iuvenem nostrum, quem initio saturae cognovimus spectat, qui non prorsus ab studio sapientiae abhorret (nam studet quomodocumque: v. 10 sq.; 53-57), sed in proposito non perseverat. nihil nimirum proficit, qui vitia sua non radicitus evellere studet, sed intermittit tantum.

88-89 '*inspice, nescio quid trepidat mihi pectus et aegris / faucibus exsuperat gravis halitus, inspice sodes*'

haec dicit aegrotus quidam medicum consulens. cf. vv. 107-108.

inspice ... inspice: primum 'inspice' minus (cf. *nescio quid* adn.), alterum 'inspice' iam plus inquietudinis habet. ceterum cf. Wills, *Repetition*, p. 92.

¹ cf. praeterea vv. 83: 88-106, deinde vv. 85: 94 sqq., 98, tum vv. 85: 98.

² Cels. 3, 21, 2 et ib. 8; Hippocr. epidem. 1, 11.

³ quae facere non debuerat: cf. '*expectandus est dies tertius; et ubi accessionis tempus praeteriit, cibus dandus est, sed exiguus, quia quartana quoque timeri potest; et die quarto demum, si corpus integrum est, eo cum fiducia utendum*' Cels. 3, 5, 2.

inspice: inspicere (ἐπισκοπέω) medicorum est¹.

nescio quid: 'aliquid'. haec formula levitatem rei exprimit, cf. OLD s. v. 'nescio' 5b. cf. 5, 12 (*nescio quid*) adn.

trepidat: dicit pectus sibi (cordis aestuatione) tumultuari.

exsuperat: intransitive: '(cum labore) escendit'. graviter atque ad epicam paene maiestatem dictum, cf. '*exsuperant flammae*' Verg. Aen. 2, 759.

aegris / faucibus: 'exasperatis'. dolorem faucium dicit.

gravis halitus: 'male olens' Schol. graveolentiam halitus dicit² (quod ei fortasse propter vini intemperantiam (cf. v. 3) accidit³).

sodes: temperat imperativum blandimento⁴. vocabulum sermoni cotidiano proprium⁵.

90 *qui dicit medico, iussus requiescere,*

qui dicit: sc. aeger, qui versibus 88-89 locutus est.

iussus: sc. a medico. iubere medicorum est⁶, sicut iussa medicorum praescripta⁷ sunt.

requiescere: cf. '*omnium optima sunt quies et abstinentia*' Cels. 3, 2, 5; '*initia morborum quies curat*' Sen. dial. 5, 92, 2.

90-93 postquam aeger ille tertia nocte sensit venas aequabiliter pulsare, credidit se convaluisse ideoque balneum parat et vinum poscit.

90-91 *postquam / tertia compositas vidit nox currere venas,*

compositas ... venas: 'venas ad moderatum sibi que constantem numerum pulsari'⁸.

currere: de venarum pulsu⁹.

¹ vide ThLL, 7, 1, 1952, 75-84, 1953, 1-5. '*inspectum volnus*' Liv. 1, 41, 5; '*ungulam inspicio*' Col. 6, 12, 1.

² cf. eo sensu '*gravem ... halitum*' Plin. nat. 8, 46; '*gravitatem halitus facit*' ib. 30, 44.

³ cf. '*postero die ex ore halitus cadi ac rerum omnium oblivio*' Plin. nat. 14, 142; ib. 11, 278; '*ne gravis hesterno fragres ... vino*' Mart. 1, 87, 1.

⁴ cf. Donat. Ter. Andr. 85.

⁵ Hofmann, *Lateinische Umgangssprache*, p. 133 sq.

⁶ '*quod iussi dari bibere*' Ter. Andr. 484 et Donat ad l.; '[medici] mihi iubent saepe anatinam parari' Petron. 56, 3.

⁷ cf. '*me miserum, quod non medicorum iussa ministro*' Ov. Her. 20, 133.

⁸ cf. '*gradibusque sonare compositis*' Verg. geo. 3, 192.

⁹ cf. '*venae ... moventur*' Cic. fat. 15; '[venae] lentiores celerioresve sunt' Cels. 3, 6, 5.

92-93 *de maiore domo modice sitiente lagoena / lenia loturo sibi Surrentina rogabit.*

petit ab aliquo divite ac nobili amico, ut sibi vini generosi vas parvum mittat¹.

modice sitiente: ‘modice capaci, parva’ (sc. quae non multum ‘bibit’, ut plena fiat), audacter dictum, cum per enallagen aegrotantis sitis ad lagoenam transferatur. (aliter: ‘bene plena’², iocose dictum: nam secundum medicorum praecepta³ ipse modice⁴ tantum bibere debebat. sed haec interpretatio mihi minus probatur).

lenia: a sapore⁵.

Surrentina: Surrentinum vinum, quod auctore Plinio, optime conveniens convalescentibus propter tenuitatem (cf. ‘lenia’) salubritatemque⁶. cf. ‘vinum quoque utile est austerum, sed quam tenuissimum’ Cels. 3, 21, 8.

rogabit: ‘petet’, cf. OLD s. v. 2. periculum sibi praestat cum ultro poscat vinum. itaque et omnis culpa in ipsum tantum, non in alterum recidit.

94-97 sermocinantur poeta (cave haec verba medico assignes) et aeger (cf. 2, 17 sqq.), quorum alterna responsio.

94-95 ‘heus bone, tu palles.’ ‘nihil est.’ ‘videas tamen istuc / quidquid id est: surgit tacite tibi lutea pellis.’

poeta incipit, aeger respondet.

heus: vide 2, 17 adn.

bone: familiaris allocutio (cf. ὦ γαθέ, ὦ δαιμόνιε, ὦ ἥδιστε), cui levis quaedam ironia inest. cf. 6, 43.

palles: vide 85 (*palles*) adn.

¹ usu enim apud Romanos receptum erat, vinum bonum aegrotantibus amicis ultro etiam mittere. cf. Iuv. 5, 32; Mart. 2, 40.

² nam lagoenae, quae non multum sitit, non multum vini usque ad collum deest (e contrario: sitiens lagoena est quae multum vini bibere potest, i. e. non plena).

³ cf. ‘vinum modice ... datum’ Cels. 5, 26, 30.

⁴ ex v. 100 (*vina*) liquet, eum multum vini bibisse, quod de parva lagoena fieri non potuit.

⁵ ceterum *leni* vino opponitur *asperum*, cf. ‘vinum ait [sc. Aristoteles], quod tum biberet, non esse id ex validudine sua, sed insalubre esse atque asperum’ Gell. 13, 5, 5.

⁶ ‘convalescentibus maxime probata propter tenuitatem salubritatemque’ Plin. nat. 14, 64; 23, 35.

quidquid id est: cf. 6, 64.

surgit: tumet enim hydropico cutis (cf. v. 63).

tacite: 'occulte, sensim ac sine sensu'¹.

lutea: 'hydropicis luteus color est id est subcroceus' Schol.

pellis: 'cutis'. ex cottidiani sermonis usu familiarius loquitur (cf. francogallice *peau*, italice *pelle*), cum alias cutis deformis significetur².

96-97 'at tu deterius palles, ne sis mihi tutor; / iam pridem hunc sepeli, tu restas.' 'perge, tacebo.'

incipit stomachari aegrotus: 'i, cura te ipsum, ego mei iuris sum atque disciplina tua non egeo.'

at: haec particula interdum exprimit indignationem. "'at" principium increpationi aptum' Donat. Ter. Andr. 666, ThLL 2, 995, 1 sqq.

deterius: 'peius'. cf. 4, 21.

ne sis mihi tutor: tutore non egeo.

iam pridem hunc sepeli: haec locutio proverbii³ locum obtinet, cf. 'tutor, qui pupillum tuetur, hoc est intuetur, de quo consuetudine vulgari: "quid me mones? et tutorem et paedagogum olim obrui!"' Isid. orig. 10, 264; 'quid tu istuc curas? an mihi tutor additu's?' Plaut. Vid. 23.

sepeli: 'sepelivi'. cf. *subit* 4, 12.

restas: sc. sepeliendus. acerba cavillatio.

perge: sc. facere. fac quidquid vis.

tacebo: quidquid facis, nihil amplius obsto.

98-99 cf. vv. 88-89. at nunc non curat aegrotus morbi notas.

98 *turgidus hic epulis atque albo ventre lavatur,*

turgidus ... epulis: 'distentus epulis' i. e. 'plenus ciborum'.

¹ cf. 'tacitum ne pusula virus / texerit occulto sub vulnere' Calp. ecl. 5, 74 sq.; 'velut tabes tacitis concepta medullis' Petron. 119, 54. cf. praeterea 'tacite subit ille supremus / virginitatis amor' (sensu 'ita ut alii non notarent') Stat. Theb. 2, 232 sq.

² 'deformem pro cute pellem' Iuv. 10, 192; vide OLD s. v. 1b. cum notione maciei ThLL 10, 1004, 3 sqq. cf. praeterea Pers. 4, 14.

³ Otto, *Sprichwörter*, p. 352 sq. (nr. 1807).

albo: 'pallido'. albus color eorum est qui vino atque cibis nimis indulgent¹.
lavatur: balneum aegris periculosum esse solet.

99 *guttare sulphureas lente exhalante mefites.*

exhalante: cf. 'exhalas tum acidus ex pectore ructus' Lucil. 136 M.

lente: 'aegre'. lentum (i. e. longis intervallis) anhelitum ducit.

sulphureas ... mefites: putidum odorem² stomachi dicit³.

100-102 *repentina febris accessione aegrotus tremorem corporis patitur (propter quod poculum ei ex manibus excutitur), tum distortis labris crepant nudati dentes, postremo excidunt esculenta ex labris iam morte solutis.* cf. 'occultam febrem sub tempus edendi / dissimules, donec manibus tremor incidat unctis' Hor. epist. 1, 16, 22 sq.

100-101 *sed tremor inter vina subit calidumque trientem / excutit e manibus, dentes crepuere relecti,*

inter vina: vide 1, 30 (*inter pocula*) adn.

calidum: calidum potissimum vinum bibit cum valetudinis⁴ tum voluptatis⁵ causa.

trientem: poculum quattuor cyathos vel tertiam sextarii partem continens (i. e. 0, 180 l.).

excutit: sc. tremor. cf. v. 115.

dentes ... relecti: solent enim labra eorum diducta esse quos febris vehementer corripit.

¹ cf. 'ingluvie albus' Sulp. sat. 36; 'vides, ut pallidus omnis / cena desurgat dubia?' Hor. sat. 2, 2, 76 sq.; 'pinguem vitii albumque' ib. 21; 'crescit indulgens sibi dirus hydrops, / nec sitim pellit, nisi causa morbi / fugerit venis et aquosus albo / corpore languor' Hor. carm. 2, 2, 13-16, ubi non tam λευκοφλεγματία quam 'vitiosum corpus' (vitiis pallens), intellegitur.

² ut fortius loquar: iam mortem exhalat, cf. 'saevamque exhalat opaca mefitim' Verg. Aen. 7, 84.

³ cf. 'mefitis proprie est terrae putor, qui de aquis nascitur sulphuratis' Serv. Aen. 7, 84.

⁴ Cels. 1, 8, 1; 3, 7, 1.

⁵ cf. 'noli stomachare. suadeo caldum bibas. mori undust. vale.' Carm. epigr. 118, 2 Bücheler; 'sudorem quem moverunt potionibus crebris et ferventibus' Sen. epist. 122, 6 (hic locus tamen non undique ad Persi sensum quadrat).

102 *uncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris.*

uncta: non tantum 'pinguia', sed etiam 'optima'¹.

tunc: 'deinde'.

pulmentaria: pulmentaria in universum dicuntur obsonia quae cum pane aut cum pulte eduntur²; interdum (ut h. l.) ponuntur pro quibusvis 'delicatis, gratis cibis'³.

103-106 praeparatio ad funus (vv. 103-105) et ipsum funus (vv. 105-106) describitur.

103 *hinc tuba, candelae,*

tubarum clangor refertur ad sollemnem mortui conclamationem. apud Romanos more receptum fuit statim post mortem cornicines arcessere, ut sonent⁴; praeterea qui aderant, defuncti nomen clamabant⁵. ad caput et ad pedes mortui candelabra collocabantur⁶.

tuba: funerea tuba, quae divitum (nam pauperes ad tibiae sonum eferebantur) funeribus adhiberi solebant, cf. e. g. Ov. her. 12, 140.

103-105 *tandemque beatulus alto / compositus lecto crassisque lutatus amomis / in portam rigidas calces extendit;*

beatulus: hapax. festiva ironia mortuum istum contrario (defunctos enim 'misellos' potius diceres⁷) nomine ludens *beatulum* appellat⁸. ceterum dicuntur alias felices, beati, μακάριοι et sim.⁹

¹ cf. Pers. 4, 17; 6, 16; 'captus es unctiore mensa' Mart. 5, 44, 7; Hor. epist. 1, 15, 44.

² Cato. agr. 58; Varro L. L. 5, 108.

³ cf. Hor. sat. 2, 2, 20; Sen. epist. 87, 3; Colum. 8, 10, 5; Iuv. 7, 185.

⁴ vide Petron. 78, 5 sq.

⁵ 'mortui conclamantur' Serv. Aen. 6, 218.

⁶ vide H. Blümner, *Die Römischen Privataltertümer*. München ³1911, p. 486, fig. 75.

⁷ 'cum alicuius defuncti recordaris, misellum vocas eum' Tert. de testim. animae 4; 'servo suo misello' (de mortuo) Petron. 65, 10; Catull. 3, 16; Apul. met. 8, 1; 'heic situs est misellus Beimus' CIL 1, 2525.

⁸ cf. 1, 22 (*auriculis*) adn.

⁹ 'felix o Meliboe, vale!' Nemes. 1, 64; 'Anatolium quaesivit ... quem cum beatum fuisse Sallustius respondisset praefectus, intellexit occisum' Amm. Marc. 25, 3, 21. at credo graecam Sallustii vocem Ammianum (qui et ipse graecus fuit) latine tantum vertisse, cf. 'beatulus: non quia μάκαρες et μακάριοι dicuntur mortui, non est enim

compositus lecto: lecto funebri collocatus.

crassisque lutatus amomis: 'multis oblitus unguentis' Schol. magna unguentorum vi adeo crasse inunctus, ut luto perlitus videretur. mortui unguentis illinebantur quominus astantes taetro odore offenderent.

crassisque: cf. 6, 40 (*crasso*) adn.

lutatus: lutare est proprie luto oblinere, hic vero faceta hyperbole (fortasse ex sermone cottidiano petita, cf. OLD s. v. b) utitur Persius.

in portam rigidas calces extendit: mortui versis ad ianuam pedibus ponuntur, pedibus quoque efferuntur¹.

rigidas: 'duras'². dura enim membra cadaverum sunt³.

105-106 *at illum / hesterni capite induto subiere Quirites*.

at illum: notandum est 'at illum' epicam quandam gravitatem interdum sonare⁴, hoc vero loco per ironiam dicitur⁵.

at: copulative (non adversative, ut plerumque fit) usurpatur⁶.

hesterni ... Quirites: quia pridie testamento⁷ mortui manumissi⁸ atque ex servis cives Romani facti⁹. iocatur poeta in novellos istos Quirites.

Romanae consuetudinis' Schol.; vide tamen ThL 2, 1913, 72-94. cf. Aesch. Pers. 633; Theocr. 2, 70; E. Rhode, *Psyche*. Leipzig⁴1907, vol. 1, p. 308.

¹ cf. 'ritus naturae hominem capite gigni, mos est pedibus efferri' Plin. nat. 7, 46.

² cf. 'rigidum et praeter modum frigidum significat et durum' Paul. Fest. 347, 9 L.

³ cf. Lucr. 6, 1196.

⁴ vide supra, praeterea cf. 'at illum / sub pedibus Styx atra videt Manesque profundi' Verg. geo. 1, 242 sq.; 'at ille / fronte ferit terram' Verg. Aen. 10, 348 sq.: geo. 4, 513; Iuv. 3, 264.

⁵ cf. 'pepedi / diffisa nate ficus: at illae currere in urbem' Hor. sat. 1, 8, 46 sqq.; 'at illi dextra iacebat / belua' Iuv. 4, 120 sq. (cf. Cic. Att. 7, 21, 2).

⁶ cf. 'haec ait et liquidum ambrosiae defundit odorem, / quo totum nati corpus perduxit; at illi / dulcis compositis spiravit crinibus aura' Verg. geo. 4, 415 sqq. (tum cf.: 'vidit / forte casam, parvasque fores pulsavit: at inde / prodit anus' Ov. met. 5, 447 sqq.)

⁷ testamentum autem non heri sed iam pridem factum fuisse, vix est ut lectorem moneam.

⁸ cf. 'bene elatus est, vitali [i. e. mortuali] lecto, stragulis bonis. planctus est optime: manu misit aliquot' Petron. 42, 6.

⁹ cf. 'testamento data libertas competit, pure quidem data statim, quam adita fuerit hereditas vel ab uno ex heredibus; si in diem autem libertas data est, vel sub condicione, tunc competit libertas, cum dies venerit, vel condicio extiterit' Marcian. dig. 40, 4, 23, 1.

capite induto: quia manumissi pilleati incedebant in funere. pilleus libertatis fuit signum. at fortasse isti manumissi plus capiebant laetitiae propter libertatem morte domini adeptam quam luctus propter funus.

subiere: sc. *illum* (i. e. lectum eius funebrem¹), sc. ut corpus eius efferrent. liberti, non propinqui, lectum funebrem portant, quod satis insolens (nisi quod nullos propinquos habebat) fuisse videtur².

107-118 verba ‘*tange etc. ... frigent*’ iuveni desidioso tribuenda sunt, qui poetae propter fabellam versibus 88-106 narratam irascitur, nihil scilicet eam ad se pertinere arbitratus. dicit enim poetae: ‘quid mihi medicum agis? ego quidem sanus sum. explora si vis.’ at ille respondit: ‘sit sane. sed nonne multis vitiis laboras? non potes inter sanos haberi, quod vel ira qua nunc fervescis, satis testatur.’

107-109 iuvenis desidiosus loquitur.

107-108 ‘*tange, miser, venas et pone in pectore dextram: / nil calet hic;*

tange: venas tangere medicorum est³.

miser: iuvenis regerit convicium redditque poetae voces eius (vide vv. 15; 66; 103). versibus 15 et 66 haec vox ad contemptum propter animae miseriam spectat, hic vero convicium tantum exprimit, quasi dicat: abi hinc cum misera ista tua fabula.

pone in pectore dextram: sc. ut scias, an praecordia inflammata sint⁴.

nil calet hic: ‘non calent mihi (sc. prae morbo) praecordia.’ cf. ‘*trepidat mihi pectus*’ v. 88; ‘*calido sub pectore mascula bilis / intumuit*’ 5, 144.

¹ cf. ‘*ingenti subiere feretro*’ Verg. Aen. 6, 222.

² nam manumissi fere ‘*incedebant ante funus*’ Schol.

³ cf. ‘*temptat salientem pollice venam*’ Ov. her. 20, 139.

⁴ cf. ‘*mali etiam morbi testimonium ... praecordia inflammata, dolentia, dura, tumida, intenta ... periculosissimum tamen est si venae quoque ibi vehementer agitantur*’ Cels. 2, 4, 3; ‘*ac protinus quidem scire est, non febricare eum, cuius venae naturaliter ordinatae sunt, teporque talis est, qualis esse sani solet: non protinus autem sub calore motuque febrem esse concipere, sed ita: ... si calor et in fronte est et ex imis praecordiis oritur*’ id. 3, 6, 7.

108-109 *summosque pedes attinge manusque: / non frigent.*
'digitorum summitates sive in manibus sive in pedibus si frigidae fuerint, infirmitatem insinuant' Schol.¹

non frigent: sc. pedes atque manus.

109-118 poeta respondet.

109-111 *visa est si forte pecunia, sive / candida vicini subrisit molle puella, / cor tibi rite salit?*

visa est si forte pecunia: 'si forte tibi lucri occasio oblata est' (nam 5, 111 huc pertinere non videtur).

si ... sive: KS 2, 434.

pecunia: cf. 2, 11; 52-54; 4, 47; chol. 12 (*nummi*) adn.

candida: quae pulchritudine animum tuum percutit. cf. 4, 20.

vicini ... puella: 'vicini tui amica'.

subrisit molle: vide Ind. ('accusativus obiecti interni').

subrisit: sc. tibi.

molle: dictum de puella quae voluptatem veneriam promittere videtur².

rite: 'ordinate, solito more'³.

111-114 si minus delicato cibo tibi apposito velimus inspicere fauces tuas, nonne apparebit inesse tibi quasi quoddam ulcus occultum, quod talis cibus offendit? itaque non es inter sanos numerandus. cf. 4, 44 sqq.

111-112 *positum est argente catino / durum holus et populi cribro decussa farina:* age videamus, quid si vilior tibi cibus apponatur.

positum: 'appositum'⁴. cf. 1, 53.

argente catino: frigidum cibum homini praesertim delicato fastidium movere posse, nota res est (cf. 1, 53).

¹ cf. Cels. 2, 6, 7.

² cf. 'qualia [sc. oscula] non fratri tulerit germana severo, / sed tulerit cupido mollis amica viro' Ov. am. 2, 5, 26; 'risit et argutis quiddam promisit ocellis' ib. 3, 2, 83.

³ 'ritus mos vel consuetudo; rite autem significat bene ac recte' Paul. Fest. 337, 4 sq. L; 'quod fit rite, id ratum ac rectum est' Varr. L. L. 7, 88.

⁴ eodem sensu cf. 'ponebant igitur Tusco farrata catino' Iuv. 11, 108.

durum holus: festive durum holus (i. e. e. g. beta. vide v. 114) proponitur delicato iuveni, qui molle holus¹ sumere assuetus est.

populi cribro: cribrum magnis foraminibus instructum dicit.

populi: 'plebis', 'populi minuti'.

decussa: 'cribro colata'.

farina: ex qua puls aut panis fit.

113-114 *temptemus fauces: tenero latet ulcus in ore / putre quod haut deceat plebeia radere beta.*

temptemus: 'inspiciamus, exploremus' (quod et medici facere solent²). vide v. 107 (*tange*) adn.

tenero: 'molli, effeminato' (cf. 1, 107 '*teneras ... auriculas*' adn.) et quasi puerili³ (ironice loquitur, reminiscitur enim vv. 16-17).

latet ulcus: quod cerni non potest.

putre: 'molle, nimis delicatum', cf. 5, 58 adn.

plebeia: vilis enim et (si sine condimentis sumatur) insipidus cibus beta est. '*fatuae, fabrorum prandia, betae*' Mart. 13, 13, 1.

radere: imagine adhibita de ingrato sapore: 'offendere'⁴. cf. 1, 107 adn. ceterum beta cocta tenerrima est et insuper prope sine sapore, itaque proprie fauces 'radere' non potest. (Persius vero, cum aliud sine imagine aliud imagine adhibita audiri velit, iocatur in pravam mentem delicati istius cuius fauces re tenerrima offenduntur).

beta: beta candida (*Beta vulgaris* L.)⁵

115 *alges, cum excussit membris timor albus aristas ...*

auditur: dixisti te non frigere (v. 109); atqui nonne alges, quotienscumque timore afficeris?

¹ quomodo 'molle holus' facias, docet Apic. 3, 15. cf. André, *L'alimentation*, p. 28 adn. 173.

² cf. '*alii sunt qui res imitatione significant, ut si aegrum temptantis venas medici similitudine aut citharoedum formatis ad modum percutientis nervos manibus ostendas*' Quint. 11, 3, 88: '*existimans [sc. Tiberius] temptatas ab eo [sc. medico] venas*' Suet. Tib. 72.

³ de *tenero* sensu 'puerilis' (q. d. cum quadam reprehensione) vide e. g. Plin. ep. 2, 14, 12.

⁴ nam quod inter acres cibos beta numeratur apud Cels. 2, 22, 2, huc non spectat.

⁵ André, *L'alimentation*, p. 30 sq.

excussit etc.: i. e. horrore pili eriguntur. metaphora ducta ab agro qui horret aristas, cf. *in corpore pili, ut arista in spica hordei, horrent* Varro ling. lat. 6, 45.

excussit: 'erexit', cf. ThL 5, 1311, 14 sqq. cf. 1, 118 (*excusso*) adn.

albus: quia timor cutem pallidam reddit.

aristas: insolenter¹ pro pilis corporis cohorrescentibus.

116-118 at nunc video te valde contra me irasci atque insanire. evici igitur te procul dubio insanum esse.

116-117 *nunc face supposita fervescit sanguis et ira / scintillant oculi,*

supposita: sc. 'tamquam supposita'.

fervescit: spectat ad 'nil calet' v. 108.

scintillant oculi: cf. v. 8 adn. nota gradationem (vide Plautum loc. mem. ad v. 8): primum virent oculi, deinde crescente insania scintillant.

117-118 *dicisque facisque quod ipse / non sani esse hominis non sanus iuret Orestes.*

non sani: v. 46.

Orestes: notissimum exemplum insaniae Orestem elegit².

¹ nam praeter Schol. ad l. ('*aristas ... pro pilis posuit*') Plinii tantum locus exstat: '*circa caput alligata* [sc. holci arista] *vel circa lacertum educit e corpore aristas*' nat. 27, 90. v. ThL 2, 580, 46 sqq.

² cf. Otto, *Sprichwörter*, p. 258 (nr. 1308). cf. '*huius autem ipsius* [sc. generis insaniae] *species duae sunt: nam quidam imaginibus, non mente falluntur, quales insanientem Aiacem vel Orestem percepisse poetae ferunt: quidam animo desipiunt.*' Cels. 3, 18, 19. iure itaque iuvenis noster insanior Oreste habetur, quia non imaginibus sed mente fallitur.

SATURA IV

DE EIS QUI APPETUNT HONORES

Argumentum est quam sint ridiculi qui rem publicam suscipiunt administrandam sui impotentes. cf. Schol. ad v. 1: *'hic de iis dicit, qui honoris cupidi supra modum aetatis suae publici moderaminis gubernacula quaerunt suscipere; quod significat per Alcibiadem, qui relictus a patre sub tutela Periclis prae nobilitate et divitiis puer rem publicam Atheniensem administravit.'* in hanc Persi saturam ex Platonis *Alcibiade I* nonnulla manasse videntur¹.

1-22 Socrates loquens inducitur. Alcibiades nusquam respondit, sed respondens interdum fingitur (vv. 7-8; 20).

1 *'Rem populi tractas?'*

haec Socrates dicere fingitur. *'sensus: cum puer es, possis rem publicam administrare?'* Schol.

1-2 (*barbatum haec crede magistrum / dicere, sorbitio tollit quem dira cicuta*)

'hoc est: puta Socratem loqui cum Alcibiade suo; qui Socrates in carcere cicutam bibit' Schol.

barbatum ... magistrum: dictum pro 'gravi magistro', 'philosopho'. philosophi enim fere omnes barbam promittebant².

¹ Plat. Alc. 105ab, cf. 114bd: v. 6 sqq.; 105bc: v. 1; 106c – 109c: v. 3; 109bc: vv. 8-13 etc.

² cf. e. g. Hor. sat. 2, 3, 35; Plin. epist. 1, 10, 6; *'barbatus ... magistros'* Iuv. 14, 12.

barbatum: convenienter Socrates philosophus inducitur qui barbatus imberbem Alcibiadem alloquitur prudens imprudentem.

haec: spectat non solum ad v. 1 sed etiam ad quae sequuntur usque ad v. 22.

sorbitio ... dira cicutae: pro: 'sorbitio dirae cicutae'.

sorbitio: 'haustus'. active dictum.

tollit: 'de medio tollit, necat'. praesenti historico utitur quo signatius brevem rei praeteritae mentionem faciat. vide Ind. ('praesens ...').

quem: Socratem. pronomem relativum saepius praesens historicum inducit¹.

dira: 'atrox, saeva', praevalente vi nocendi saepius de venenis dicitur cf. ThL 5, 1, 1270, 74 sqq.

3 'quo fretus? dic hoc, magni pupille Pericli.

quo fretus?: cf. ὅτω ποτὲ πιστεύων Plat. Alc. I 123c; τί οὖν ποτ' ἔστιν ὅτω πιστεύει τὸ μειράκιον; ib. 123e.

pupille Pericli: 'merito dicit 'pupille Pericli' quia sub tutela Pericli avunculi sui debebat' Schol. per 'pupilli' vocem (cui *magni* quodammodo opponitur), quae emphatice dicitur, vult Alcibiadem inhabilem rei publicae administrandae significare.

Pericli: vide Ind. ('genetivus').

4-5 *scilicet ingenium et rerum prudentia velox / ante pilos venit, dicenda tacendave calles.*

scilicet: ironice haec et quae sequuntur. cf. 1, 15 (*scilicet*) adn.

ingenium: sc. maturum (nam qui in rebus agendis 'callet', ingenio contentus esse non potest, sed debet maturum atque exercitatum ingenium habere). ingenium quidem, sicut est naturalis mentis facultas, vel pueri atque infantes habere possunt, sed id ipsum ingenium pueris firmum atque exercitatum esse non potest². cf. chol. 10 (*ingenique largitor*) adn.

rerum prudentia: quae nulla esse potest sine usu rerum.

¹ cf. Verg. Aen. 2, 274-275; 9, 266; 'amator Originis ille, qui patrium mimae donat fundumque laremque' Hor. sat. 1, 2, 55-56.

² cf. 'ingenium exercetur multiplici variaque materia et animus contemplatione recti praviue formatur, et multa inde cognitio rerum venit' Quint. inst. 2, 4, 20.

velox: ‘*velox: velociter. nomen pro adverbio*’ (Serv. Aen. 5, 444). sensu: ‘celeriter facta’, ‘velociter acquisita’, cf. ‘*velox* [i. e. celeriter initum] *consilium sequitur poenitentia*’ Publ. Syr. V 35, OLD s. v. 3.

ante pilos: ‘ante barbam’. Alcibiades enim adulescentulus admodum vixdum pueritiam egressus inducitur.

dicenda tacendave: loco dicere atque ubi prosit tacere, prudentis viri est. cf. ‘*qui dicta loquive tacereve posset*’ Enn. ann. 285 Sk.

calles: ‘peritus es’. callere aliquid significat ‘alicuius rei peritum esse’. callere dicuntur ei, qui experientiam alicuius rei habent¹.

6 *ergo ubi commota fervet plebecula bile,*

sensus: ‘igitur cum plebs in seditionem versa turbas miscet’.

ergo: interdum hac coniunctione res quam factam futuramve esse constat ironice proponitur, cf. ThlL 5, 2, 770, 26 sqq.

fervet: ‘fervere’ dicitur de quavis vehementiore commotione; hic ad indignationem² plebis transfertur.

plebecula: ‘populus minutus’. per festivum contemptum dicitur. e. g. apud Cic. (fam. 16, 8, 2) *plebeculae urbanae* opponuntur *viri boni*.

bile: iecur est sedes perturbationum animi. cf. 5, 144 sq.

7-8 *fert animus calidae fecisse silentia turbae / maiestate manus.*

haec verba, ut sint per irrisionem elocuta, cum epica tamen quadam maiestate (cf. Verg. Aen. 1, 148-153) proferuntur. et est sensus: ‘tumultuantem populum vis dextrae tuae auctoritate sedare.’ et illud notandum: dextrae auctoritatem Alcibiadem curare, at veram illam auctoritatem, quae in animo consistit, non item.

fert animus: sc. te. ‘impellit te animus’ i. e. ‘vis, cupis’.

calidae ... turbae: ‘*id est fervore iracundiae excitatae*’ Schol.

fecisse: infinitivum perf. ponit ut sententia plus ponderis habeat. vide Ind. (‘infinitivus’).

silentia: pluraliter dixit Persius, ut magnum vastumque silentium, tum imperantis maiestatem exprimeret.

¹ *callere* proprie ‘callum ducere, obdurescere’ est (cf. ‘*in illis rebus exercitatus animus callere iam debet*’ Cic. fam 4, 5, 2), nam et ‘*callidus dicitur, qui callum sibi usu artis induxerit*’ Donat. Ter. Adolph. 418.

² cf. ‘*fervens difficili bile tumet iecur*’ Hor. carm. 1, 13, 4; Pers. 3, 116.

maiestate manus: gestus oratorius intellegitur: extensa atque porrecta manus silentium inducit. 'quia quasi magna et profutura hominibus locuturi tacere iubent moventes manus' Schol.

8-9 *quid deinde loquere? "Quirites, / hoc" puta "non iustum est, illud male, rectius illud."*

'quid ergo dices? nonne, exempli gratia (= *puta*), haec: "Quirites, hoc est non iustum, illud male, illud rectius?"' in similitudinem veri fingit Socrates, quibus de rebus Alcibiades contionaturus sit, cuius contionem in epitomen cogit.

deinde: ironiam exprimit ut in 5, 143 (*deinde*) adn.

Quirites: audacter sane Quirites dicit, cum proprie cives Romani sint. sed Persius Athenas corruptis Romanorum moribus ita immiscet, ut festiva quaedam φανταστικῆς species inde oriatur.

puta: 'exempli causa'. '*puta, nempe, adverbium est*' Schol. qui imperativus ubi adverbii vice fungitur, ultimam syllabam corripit (vide Ind. s. l. 'prosodiaca quaedam notabilia: correptio iambica q. d.').

10-13 'potes sagaciter vitia discernere eaque damnare.'

10-11 *scis etenim iustum gemina suspendere lance / ancipitis librae*, sensus: potes libra recte pensare iustumque pondus lancibus imponere. i. e. subtiliter de recto iudicare potes.

etenim: h. l. ironice dicitur. ceterum vide 3, 48 (*etenim*) adn.

gemina ... lance: 'geminis lancibus'. vide Ind. ('singularis numerus').

suspendere: nam pondera lancibus suspenduntur.

ancipitis: libra anceps dicitur non tantum quia duplicem (quippe quae duas lances habeat) naturam habet, sed etiam quia prae agitatione non facile consistit, modo in dextram modo in sinistram partem movetur (nam et rectum iudicium res difficilis est).

11-12 *rectum discernis ubi inter / curva subit vel cum fallit pede regula varo*, sensus: 'rectum curvis implicitum sagaciter dignoscis etiamsi prava regula fallit' i. e. 'solus scilicet quid rectum sit scis.'

discernis: cf. 5, 105.

curva: vide 3, 52 (*curvos*) adn.

subit: pro: 'subiit' (vide Ind. ('perfectum: formae contractae')) sensu: 'latuit, se abscondidit'.

vel: 'etiam'. vide 3, 29 adn.

pede: regula duas extremitates habet, quarum altera caput altera pes dici potest¹.

regula: proprie instrumentum dicitur, cuius auxilio recta linea discerni aut duci potest.

varo: 'inflexo, obtorto'. vitium regulae designat, propter quod instrumentum ad rectam lineam non accomodatur.

13 *et potis es nigrum vitio praefigere theta.*

sensus: 'scilicet vitia acriter notas'.

potis es: 'potes'.

nigrum: quia triste est condemnationis (vide infra) signum; '*infelix littera theta*' (Schol.). cf. 5, 185.

theta: condemnationis littera (θῆτα ἀπὸ τοῦ θανάτου Schol.), ea littera iudices condemnatos mori praecipiebant (Schol.)², grammatici locos auctorum suspectos designabant aut omnino exulari iubebant³, ea denique littera in albis militum⁴ titulisque sepulcrorum inscribatur⁵. quid horum Persius potissimum respexerit, scire non magnopere refert, cum generaliter de insectatione vitiorum loquatur.

14-16 *deposita ironia, aperte agit Socrates: cum re vera nihil horum (quae in vv. 4-13 enumerantur) meritorum habeas et extrinsecus tantum pulcher sis, abstine prorsus a foro donec introrsum melior fias.*

14-16 *quin tu igitur, summa nequiquam pelle decorus, / ante diem blando caudam iactare popello / desinis,*

quin ... desinis: hoc fere dicit: 'desine'. 'quin' (= 'cur non') imperandi vim interdum habet. cf. 2, 71.

igitur: simili aliquatenus transitu utitur in 2, 21.

summa ... pelle decorus: corporis tenus superficie pulcher, i. e. externa tantum specie pulcher.

¹ cf. OLD s. v. 'pes' 12b.

² cf. 5, 108 (*notasti*) adn.

³ cf. Hor. ars 446 sq.; GL. 7, 536, 18.

⁴ cf. Mart. 7, 37, 2.

⁵ CIL 6, 21158, 22058; 11, 1660; Isid. orig. 1, 24, 1; G. R. Watson, *Theta nigrum*, in: JRS, 42, 1952, 56-62.

nequiquam: sc. quia introrsum vitiosus es.

pelle: 'cute'. '*pelle decorus*' oxymoron quoddam est (nam pellis saepe cutis macie confecta dicitur: cf. 3, 95 '*pellis*' adn.), sed hic ex usu familiaris sermonis loquitur.

decorus: cf. '*detrahere et pellem, nitidus qua quique per ora / cederet, introrsum turpis*' Hor. sat. 2, 1, 64 sq.; '*introrsum turpem, speciosum pelle decora*' Hor. epist. 1, 16, 45.

ante diem: 'ante tempus' i. e. 'ante aetatem maturam' (cf. *ante pilos* v. 5).

blando: 'blandienti', act. vi. plebecula, quae te propter externa tua bona adulatur.

caudam iactare: 'gloriarī', 'se iactare'. magno cum fastu atque ostentatione gloriaris. imago fortasse a pavone caudam pendente sumpta.

popello: contemptim dicitur, cf. 6, 50; Hor. epist. 1, 7, 65.

16 *Anticyras melior sorbere meracas?*

'cui melius (sc. quam populum quid sit iustum etc. docere) conveniret bibere merum veratrum (i. e. suam ipsius insaniam praesentissima medicina expellere).'

Anticyras: metonymice: 'multum elleborum'. elleborum mederi insanientibus, nota res est cf. 1, 51. *Anticyra* nomen trium¹ urbium, quarum duae (altera in Phocide ad sinum Corinthiacum altera in Pthiotide ad Maliacum sinum) propter ellebori proventum celebres habebantur². '*merito pluraliter Anticyras dixit, ut appareat eius tam magnae insaniae unam sufficere non posse.*' Schol.

melior sorbere: graeca constructio (cf. e. g. δίκαιός εἰμι ποιεῖν τοῦτο), poetis usitata. vide Ind. ('infinitivus: infinitivus adiectivo additur').

sorbere: Socrates tamquam medicus loquitur, nam medici praecipiunt sorbitiones. luditur in *sorbendi* verbum versibus 2; 16; 32. at quam inter se differunt eae sorbitiones!

meracas: 'meras, non mixtas'. purum, non dilutum elleborum bibendum, quo vis eius valentior sit³.

¹ huc iocatur fortasse Horatius: '*tribus Anticyris caput insanabile*' ars 300. vide tamen L. Lerat, *Antikyra de Locride*, RPh 19, 1945, 12-18, qui contendit duas tantum eius nominis urbes fuisse.

² cf. '*nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem*' Hor. sat. 2, 3, 83.

³ cf. '*expulit elleboro morbum bitemque meraco*' Hor. epist. 2, 2, 137.

17 *quae tibi summa boni est?*

‘adhuc hic sermo Socratis est ad Alcibiadem, et quaerit, quid summum bonum aestimet’ Schol.

summa boni: ludens fortasse in v. 14 (*summa ... pelle*) ironice *summam boni* dicit et non ‘summum bonum’. ‘summum bonum’ alioqui nimis scholastice sonaret; *summa* autem liquidius quam *summum* rem, ut est caput Alcibiadis idque genus hominum qui omnia ad externa potius bona referant, exprimit certam atque principalem (cf. ‘res summa’).

17-22 Socrates dicit: ‘estne tibi summa boni in eo, ut cibo vulgari usque ad satietatem vescaris atque nihil agas, cuticulam sole curando?’ (vv. 17-18. haec est enim summa votorum plebeculae, atque quaevis plebeia anus (v. 19) hoc sibi optet). probe quidem scit Socrates, id votum Alcibiadi, ut qui magnificis tantum coenis ducatur atque solem fugere soleat, minime placitum. at philosophus nihilo setius contendit nobilem istum pulchrumque Alcibiadem non multum differre a quavis plebeia anicula: nam Alcibiades nihilo minus quam illa quisquilias tantum popello venditare callet.

17-18 *uncta vixisse patella / semper et adsiduo curata cuticula sole?*

uncta ... patella: ‘patina cibus repleta’, cf. 6, 16 (*cenare sine uncto*) adn. iungendum cum *vixisse*.

vixisse: non ‘vivere’ sed ‘vixisse’ dicit Socrates quia inf. perf. melius senum votum exprimit peractam iam vitam respicientium.

adsiduo curata cuticula sole: iungendum cum *vixisse*. sole *assiduo* (i. e. per totos dies) uti solebant senes atque anus, quo corpus senectute rigens calefiat¹.

cuticula: dicitur de cute senectute debilitata, cf. ‘*nostra bibat vernum contracta cuticula solem*’ (ubi sensus est: nobis iam senibus utilis insolatio) Juv. 11, 203.

19 *expecta: haut aliud respondeat haec anus.*

‘mane dum, hic in macello aniculam holitricem si interrogemus, quid optimum in vita iudicet: certe idem censet quam tu’.

expecta: ‘mane paullulum’. dicit ex usu cottidiani sermonis.

¹ ‘*aprici senes*’ Pers. 5, 179; Plin. epist. 3, 1, 8; Cic. Cato 57.

haec: δεικτικῶς, finguntur enim Socrates et Alcibiades Athenis in foro colloqui.

anus: anus de infima plebe, infra v. 21 *Baucis* nominata. 'poteratne magis fastum retundere insolentis iuvenis, quam cum illum assimilat aniculae olitrici?' Casaubonus.

19-20 *i nunc* / "*Dinomaches ego sum*" *suffla* "*sum candidus*."

i nunc: nota ironiae formula¹, qua per irrisionem et dissimulationem conceditur id quod irridetur vel improbatur aut omnino fieri non posse putatur.

Dinomaches ego sum: 'sum filius *Dinomaches*'. hoc significat: 'quid mihi, filio nobilissimae mulieris, anum plebeiam citas, quacum nihil commune habeo?' vide v. 21 (*Baucis*) adn.

suffla: 'dic inflatus superbia'. *suffla* hic verbi dicendi vice fungitur, cf. v. 35 (*despuat*) adn. '*suffla*: id est extende te et intumesce nobilitate, quod *Cliniae* et *Dinomaches* filius sis.' Schol.

candidus: candidus is dicitur qui pulchritudine animos spectantium percutit², vide 3, 110. h. l. de cutis quoque colore agitur, ut audiatur: 'apricari non soleo' atque: 'quid mihi cum illis (senibus), qui insolari solent?' (vide v. 18).

20-21 *esto*, / *dum ne deterius sapiat pannucia Baucis*,

'sit sane; dummodo consentias te non plus quam *pannucia Baucis* sapere'.

esto: εἶεν. vide 2, 42. sensus est: 'concedo te esse et divitem et nobilem et candidum' (hoc spectat ad v. 20).

dum ne: 'dummodo ne'. per *dum ne* terminus ostenditur ultra quem sententia procedi non potest vel sine quo conditio omnino non valet. de *dum ne* in sententiis conditionalibus vide KS 2, 447; LHS 616.

deterius: 'peius'. cf. 3, 96.

sapiat: 'sit sollers, callida'.

pannucia: 'pannosa veste induta', ut pauperes solent. cf. '*pannosus ... ac sordidus*' Apul. met. 4, 9, 6; '*pannis horridis obsita*' id. 3, 8, 1, cf. Pers. 1, 54 (*horridulum*) adn. vel, quod minus placet, 'suffarcinata (sc. vestibus)'³.

¹ cf. Hor. epist. 1, 6, 17 sq.; 7, 71, 2, 2, 76; Petron. 115, 14.

² apte Servius: '*candidum ... id est quadam nitenti luce perfusum*' geo. 3, 82.

³ '*proprium anibus subfarcinatas esse, ut Persius "pannucia Baucis" et Plautus [Pseud. 659] "doliarem, claudam, crassam"*' Donat. Ter. Andr. 770.

(sunt qui intellegant: 'rugosa'¹, praeter rem; quod mihi vel propter otiosum epitheton minus probatur: omnes enim anus rugosae sunt).

Baucis: nomen fictum². ponitur pro qualibet turpi (opponitur enim *candido* Alcibiadi) ex plebe (consilio igitur versu 20 *Dinomachen* perillustrem feminam dixit) anicula. hoc nomen Persius fortasse ex Graeca quadam comoedia, ubi Alcibiades et Baucis partes agunt, mutuatus est.

22 *cum bene discincto cantaverit ocima verna*.

sensus: 'cum Baucis prospere sua holera vendiderit discincto verna'.

bene ... cantaverit: i. e. 'cantando efficaciter vendiderit'.

discincto: 'petulanti, dissoluto'. vide 3, 31 adn.

cantaverit: 'cantando praedicaverit' i. e. 'laudaverit cum vocis modulatione sua holera'³, ut hodie etiam solent mercatores in macello quasi cantando allicere quibus vendant.

ocima: herbae odoriferae genus (*Ocimum basilicum* L.) admodum vile⁴. sane quam notandum est Chrysippum philosophum, cuius Persius magnus admirator extitit (vide 'Vitam Persi'), ocimum prorsus inutile atque nocens iudicavisse⁵.

vernae: 'procaci homuncioni'. verna (proprie: servi ex ancillis domi nati, a dominis ceteris mitius tractabantur) propter morum licentiam noti erant⁶. ceterum non necesse est de servis cogitare: quemvis nequam (nam per opprobrium dicitur, cf. OLD s. v. 2a) hominem ex plebe h. l. fingas oportet.

23-41 relicta Socratis persona cum Alcibiade colloquentis, poeta suo nomine pergit. praecipuum huius partis propositum est, ut communem

¹ cf. 'celerrime in rugas marcescunt pannucea [sc. mala]' Plin. nat. 15, 52.

² aptum nomen blandienti aniculae inditum, cf. βαυκίζειν θρόπτεσθαι Anecd. Graec. 225 Bekker. (at nescio an melius a βαυκαλάω ('lallare') traxeris: *cantat* enim ista anus).

³ cf. 'iam biberari varias exclamationes et botularium et crustularium et omne popinarum institores mercem sua quadam et insignita modulatione vendentis' Sen. epist. 56, 2.

⁴ nam 'nihil ocimo fecundius' Plin. nat. 19, 120, cf. Theophr. hist. plant. 7, 3, 4.

⁵ 'ocimum quoque Chrysippus graviter increpuit inutile stomacho, urinae, oculorum quoque claritati, praeterea insaniam facere et lethargos et iocineris vitia' Plin. nat. 20, 119.

⁶ 'vernasque procaces' Hor. sat. 2, 6, 66; 'cogita filiorum nos modestia delectari, verularum licentia' Sen. dial. 1, 1, 6.

hominum errorem ostendat, quo nostra vitia ignoramus, in aliorum acerba severitate inquirimus.

23 *ut nemo in sese temptat descendere,*

'id est, ut nemo intrinsecus se considerat, nemo vult sese experiri' Schol.

ut nemo: exclamatio cum indignatione proferenda.

in sese ... descendere: sensu: 'se ipsum perspicere atque cognoscere'. spectat hoc ad Delphicum illud γνῶθι σεαυτὸν, cf. 1, 7 (*nec te quaesiveris extra*) adn.

23-24 *nemo, / sed praecedenti spectatur mantica tergo!*

sensus: 'nemo vult in se descendere: non nostra sed aliorum vitia consideramus'. haec spectant ad fabellam Aesopiam: humeris hominis manticam impositam esse, cuius unam partem ante pectus, alteram e tergo suspensam, illam alienis vitiis plenam, in hac vero, quam post tergum portamus, nostra vitia asservari; unde fit, ut aliena vitia in oculis habeamus, nostra videre non possimus (vide e. g. Aesopi fabulam 439 Halm; Phaedr. 4, 10). Persius in suum usum fabellam convertit atque immutat ita, ut praecedentium vitia a sequentibus cerni faciat.

praecedenti: ablativi forma rarior, h. l. metri quadam necessitate (quia ultima syllaba ante caesuram cadit) fulciri videtur, vide Ind. ('ablativus').

spectatur: 'diligenter observatur, existimatur', cf. Donat. Ter. Eun. 565, 1; 565, 2.

25-42 nexus sententiarum: primum poeta, aut certe is qui loquitur, convicio impugnat Vettidium quendam (vv. 25-32), deinde ipse opprobriis contunditur (vv. 33-41): alternatim enim nos opprobria dare atque accipere (cf. '*caedimus inque vicem etc.*' v. 42).

25-32 duo inducuntur: unus (qui dicit '*nostin etc.*') vehementer invehitur in Vettidium quendam, alter (qui dicit v. 25 '*cuius?*' et v. 27 '*hunc ais ...*') vix tempus ad respondendum habet. cf. '*hoc (sc. vv. 25-32) aut poeta loquitur aut ille, quem aliena vitia culpantem inducit, et dicit alii: ... "nostin Vettidi praedia?" et ille: "cuius?" et poeta: "dives arat Curibus, quantum non miluus errat." et ille: "hunc ais?" et poeta: "hunc"*'. Schol. ad v. 26.

25-26 *quaesieris 'nostin Vettidi praedia?' / 'cuius?'*

'si rogaveris aliquem, an norit Vettidi praedia, respondebit: "*cuius?*"'

quaesieris: 'si quaesieris'. vide Ind. ('coniunctivus: si deficit').

Vettidi: 'quendam dicit in Sabinis possidentem praedia non pauca' Schol. qui interloquitur ex longinquo incipit Vettidium increpare, hominem fortasse probum sed rei familiaris nimis attentum, quem tamen nigris coloribus sequentibus versibus depingit.

26 '*dives arat Curibus quantum non miluus errat.*'

dives: sc. Vettidius.

arat: 'colit', 'excultos agros possidet'. nam *arare* dicuntur qui agros habent, quibus colendis vitam sustinent aut rem quaerunt, cf. OLD s. v. 1b. sed et illud auditur: 'quamvis¹ dives sit, ipse tamen multum laborat'.

Curibus: 'in Sabinis terris'². Cures memorat parvum sed nobilissimum³ Sabinorum oppidum Numae regis patriam eo fortasse consilio quod, cum Sabini severi haberentur (cf. Iuv. 3, 167 sq.), priscam moderationem redolenti exemplo novos hominum delicatorum mores (vide vv. 35-41) opponere voluit Persius. ceterum *Cures* grande aliquid⁴ (vide infra adn. ad 'errat') sonare videntur.

quantum non miluus errat: dicit Vettidium magna latifundia habere. cf. 'quod dici solet secundum proverbium: *quantum milvi volant*', quia milvi multum volant. vel ὑπερβολικῶς ex proverbio tantam dicit regionem, quantam volans milvus circumire non possit' Schol. vide Otto, *Sprichwörter*, p. 223 (nr. 1116).

miluus: antiquitus⁵ trisyllabice semper pronuntiabatur. primum certum disyllabicae pronuntiationis exemplum est Iuv. 9, 55. nam [Ov.] hal. 95 et Mart. 9, 54, 10 (locus misere vexatus a librariis) minus curaveris⁶.

errat: 'pererrat' i. e. 'volans circumit' Schol. *errandi* verbum transitivo sensu in sublimi tantum poesi usurpatur¹.

¹ cf. 'oderit campum patiens [i. e. quamvis patiens] pulveris atque solis' Hor. *carm.* 1, 8, 4.

² cf. 'sic voluere Cures [i. e. Sabini]' Ov. *fast.* 6, 216.

³ vide Verg. *Aen.* 6, 811 sq.: '*Curibus parvis et paupere terra / missus in imperium magnum.*'

⁴ cf. e. g. '*Curibus vetustis*' Stat. *silv.* 4, 5, 56 et *Statius, Silvae IV.* Ed. ... by K. M. Coleman. Oxford 1988, p. 172.

⁵ vide Lachmann ad *Lucr.* p. 379, cf. *ThLL* 8, 985, 44 sqq.

⁶ cf. praeterea Ov. *met.* 2, 716 (ubi *codd.* aliquot veram lectionem adulterant).

27 *'hunc ais ...'*

non concludit sententiam quia non sinit eum ultra proloqui iste, qui Vettidium iam mordicus tenet:

27 *'hunc dis iratis genioque sinistro,*

increpat Vettidium tamquam hominem sordide miserum utpote deos inimicos atque adversum genium (sc. eius) habentem (vel dis inimicis atque adverso genio natum²).

hunc: sc. inquam.

genioque: cf. 2, 3 adn. '*genius est deus, cuius in tutela ut quisque natus est vivit*' Censorin. de die nat. 3, 1³.

sinistro: 'adverso, non propitio' (cf. 2, 11 (*dextro*) adn.): quia genio numquam indulget, vide 5, 151 adn. '*sinistro: quasi sibi sinistro, quod dives esuriat et sale et caepe vescatur; quod et Terentius ait [Phorm. 44]: "suum defraudans genium comparsit miser"*' Schol.

28-32 Compitalium festo servi praecipua libertate gaudere et meliorem cibum comedere solebant. sed Vettidium ne tum quidem solita eius avaritia deserit.

28 *qui, quandoque iugum pertusa ad compita figit,*

quandoque: 'si quando'.

pertusa: 'multoties perforata' (cf. ThL 10, 1, 1824, 42): quia per multos annos clavos in aediculam figebat ad iugum suspendendum (nam Compitalibus rustici finitis laboribus instrumenta sua in compitis suspendebant atque ibi epulabantur). convenienter avarus describitur qui sacellum vetustate⁴ confectum numquam reficit.

compita: 'aediculas Larum Compitalium'. '*compita sunt loca in quadriuis, quasi turres, ubi sacrificia finita agricultura rustici celebrabant*' Schol.

figit: iugum suspendebatur clavis in murum actis.

¹ cf. Verg. 3, 690 sq.; Ov. fast. 3, 655; 4, 573; Val. Fl. 4, 447.

² vide Otto, *Sprichwörter*, p. 110 (nr. 519); Häußler, *Nachträge*, p. 4.

³ vide Brink ad Hor. epist. 2, 2, 187 sqq. (p. 441-444).

⁴ similiter '*pertusa ... laena*' Iuv. 5, 131 de laena pauperis vetustate confecta dicitur.

29 *seriolae veterem metuens deradere limum*

seriolae: vinariam seriolam dicit. vide 2, 11 (*seria*) adn. deminutivum vasis exiguitatem tum contemptum exprimit (vas enim *vappam* potius quam vinum continet).

veterem: quia ob avaritiam vas vini diu asservaverat.

metuens: aegre deradit limum. metuit deradere limum quia, ut est homo avarus, invitus vas vinarium aperit. cf. 6, 21 (*sacrum*) adn.

deradere limum: relinit seriolam. removet limum, ut os vasis aperiat. cf. '*limum pro luto posuit, quo dolia oblinuntur*' Schol.

30 *ingemit "hoc bene sit"*

Vettidius loquens inducitur.

ingemit: avarus tristi voce exclamat tamquam rem magni sumptus aggreddatur. ridicule sane *bona verba* ('*hoc bene sit*') *ingemens* profert.

'*hoc bene sit*': KS 1, 10. sunt verba sollemnia in sacris atque in conviviis. in utramque rem luditur: Vettidius vinum prolibat, tum cum vilissimum vinum bibit, vult eo contentus esse.

30-31 *tunicatum cum sale mordens / cepe, et farratam pueris plaudentibus ollam* non est zeugma (quod esset: *mordens cepe, et farratam ... ollam*), ordo autem verborum sic se habet: '*mordens cepe, et pueris plaudentibus* (sc. *farratam ollam*) sorbet pannosam faecem morientis aceti'.

tunicatum: 'cum extremis tunicis, cum pelle'. comedit vilem infimae plebis cibum¹ cepe idque ne tunicis² quidem rudioribus purgatum³.

mordens: opus est morsu quia extremae tunicae cartilaginosae sunt.

cepe: de forma vide ThL 3, 846, 45 sqq., Kühner-Holzweissig, p. 480 sq.

farratam ... ollam: pro: puls e farre facta in olla. vide 2, 75 (*farre*) adn.

pueris: 'servis'.

¹ cf. Varro Men. 63; Plu. quaest. conv. 4, 4, 3 (669 b).

² tunicae dicuntur pro quibusvis involucris, cortice etc., cf. '*tunicae frumento plures, hordeum maxime nudum*' Plin. nat. 18, 61; OLD s. v. 3; LSJ χιτών IV 1. '*bulborum tunicae*' Stat. silv. 4, 30.

³ cum tunicis aliquid comesse, magnae paupertatis signum, cf. '*tunicam mihi malo lupini / quam si me toto laudet vicinia pago / exigui ruris paucissima farra secantem*' Iuv. 14, 153.

plaudentibus: ‘cum plausu excipientibus’. cum acc. (*farratam ... ollam*) iungitur. παρὰ προσδοκίαν dixit, nam potius ‘plangentibus’ vel sim. expectaveris (cf. Iuv. 1, 146). quamvis vili atque tenui cibo, exsultant tamen pueri qui profestis diebus fortasse deteriores cibos comedebant!

32 *pannosam faecem morientis sorbet aceti!*¹

pannosam: mucidam ex dolii fundo faecem bibit, in qua liquor spissior factus est, ut in multorum pannorum tabulatim natantium speciem coaguletur. iocatur in v. 21 (*pannucia*).

morientis: ‘deficientis, expirantis’: vappae isti vetustate corruptae odor omnis saporque ita evanuit, ut vel ipso aceto insipidius esset. (quod adnotaverim, iocatur fortasse in Socratem (nec non in v. 16), qui propter diram sorbitionem mortuus est (v. 2), at Vettidius ipse sorbitionem suam vetustate conficit atque enecat!)

sorbet: ‘avide bibit’.

aceti: ‘vilissimi vini’.

33-41 Vettidium propter sordidam avaritiam impugnasti (vv. 25-32). at contra, cum ipse delicate vivas, adest qui te impugnet.

33 *at si unctus cesses et figas in cute solem,*

at: alterum exemplum inducitur (vv. 33-41). nexus sententiarum: tu qui in alium propter sordidam avaritiam convicium ingeris (exemplum respicitur vv. 23-32) et ipse propter effeminatam desidiam convicio afficeris; sic alterna vice convicia ingeruntur, vide v. 42 sq.

unctus: i. e. oleo inunctus.

cesses: sc. in balneis publicis (vide v. 39 *palaestritae*). ‘*cessare: otiari ac iucunde vivere*’ Comm. Cruq. in Hor. epist. 2, 2, 183. cf. ThL 3, 959, 1 sqq.; 51.

figas in cute solem: ‘apriceris’. *figendi* verbum de solis radiis ferientibus inventum, non est quod magnopere miremur, cum alias ‘*ictus*’ (vide ThL 7, 1, 166, 29-35) vel adeo ‘*lucida tela diei*’ (Lucr. 1, 147) legantur. melius tamen huc Pers. 5, 27 (*quantum mihi te sinuoso in pectore fixi*) attuleris ut sensus fiat: ‘penitus in cutem solem recipere’¹.

¹ cf. ‘*cute combibere solem*’ Mart. 10, 12, 7; Iuv. 11, 203.

34 *est prope te ignotus cubito qui tangat*

cf. *'aliquis cubito stantem prope tangens / inquiet'* Hor. sat. 2, 5, 42 sq.

cubito qui tangat: quod admonentes facere solent. cf. ThL 4, 1275, 40 sqq.

cubito: quomodo iacentem stans cubito tangere possit, non assequor. itaque aut iacentem ignotum istum putes (quod nolim credere) aut Perisium neglegentiolem.

tangat: 'pulset'.

34-35 *et acre / despuat*:

pravitatem tuam excretur. *'vehementer te abominetur'*. vide Ind. (*'accusativus obiecti interni'*).

despuat: hic verbum dicendi est, cf. v. 20 (*suffla*).

35 *'hi mores!*

'o, mores, qui nunc¹ sunt!'. haec et quae sequuntur indignabundus dicit. vide *'o mores'* 1, 26 (cf. 2, 62) et Ind. (*'nominativus exclamationis'*).

35-36 *penemque arcanaque lumbi / runcantem populo marcentis pandere vulvas!*

arcanaque lumbi: *'pudenda'*, *'velandae corporis partes (i. e. anterior pars, quae circa penem et posterior, quae est podex)'*. cf. *'arcanum dicitur secretum vel absconditum'*. Non. p. 32, 5 M.

runcantem: *'runcantem: depilantem. runcari enim proprie segetes vel herbae dicuntur, cum extirpantur'* Schol². abominatur ignotus iste nostrum ut cinaedum: nam qui depilantur, pedicari solent, vide e. g. Mart. 6, 56.

marcentis pandere vulvas: acc. cum inf. in exclamatione sine verbo regenti. de hac exclamandi ratione vide KS 1, 719 sqq.; LHS 366.

marcentis: *'flaccidae'*. innuit, pathicum istum iam non esse amplius in flore³ aetatis.

pandere: i. e. diductum et quasi apertum culum exhibere populo, quod idem fere est atque libidini omnium se offerre.

¹ cf. *'hi mores'* Cic. Q. fr. 1, 11.

² cf. *'segetes runcari, <id est [add. Keil, recte ut videtur]> herbam e segetibus expurgari'* Varro r. r. 1, 30.

³ marcere enim proprie de floribus dicitur, ThL 8, 372, 34 sqq.

vulvas: nove et tamen apte¹ dictum de culo viri qui muliebria patitur². cf. ‘*vulvas vero pro natibus posuit multo audacius, nam feminarum loca vulvae sunt*’ Schol. pluralis numerus indignationem exprimit, cf. LHS 16.

37-38 *tum, cum maxillis balanatum gausape pectas, / inguinibus quare detonsus gurgulio extat?*

‘cum pexam magna cum cura barbam habeas³, quam in maxillis tuis velut gausape unguentatam nutrias, cur inguina detonsa habes?’, ‘cum facies virum te testetur, cur pars virilis non idem?’

maxillis: ‘in mento et in genis’.

balanatum: ‘myrobalano inunctum’.

gausape: est proprie linteum villosum et vestimenti genus longiore munitum villo, sed hic ‘promissam barbam’ designat⁴.

pectas: ‘diligenter curas’. cf. 1, 15 (*pexus*) adn.

detonsus gurgulio: ‘depilatus penis’. *gurgulio*⁵ est proprie vermiculus valde vorax atque insatiabilis⁶, frumento inimicus. hinc ad membrum virile translatio, dicit enim: ‘penis tuus improbus est atque insatiabilis libidinis’. et illud dicit: ‘cur, cum omnes herbas nocentes (i. e. pilos in pudendis, cf. v. 41 *filix*) eiecisses (cf. v. 36 *runcantem*), gurgulioni nocentissimo pepercisti?’⁷.

extat: in conspectu omnium.

¹ propter *pandere*. itaque non est opus coniecturis. prave Richter ‘bulbos’ coniecit, quae res, ut cetera sileam, ne *gurgulioni* quidem in v. 38 respondet.

² cf. ‘*vulva vocata quasi valva, id est ianua ventris, vel quod semen recipiat ...*’ Isid. orig. 11, 1, 137. simili ratione inductus est Housman (v. ap. crit.) ut pro ‘vulvas’ conieceret ‘valvas’ (sc. per quas populus (sensu obsc.) quasi intret?).

³ iuvenes delicati barbam alere solebant. vide Cic. Cael. 33; Ov. ars 1, 518; Sen. epist. 114, 21; 115, 2; Mart. 8, 47.

⁴ et in illud fortasse iocatur: ‘cum in mento gausape habeas, cur non gausapatum ventrale induas?’ talia enim ventralia illo tempore in usum venire coeperunt, cf. ‘*gausapae patris mei memoria coepere, amphimalla nostra sicut villosa etiam ventralia*’ Plin. nat. 8, 193.

⁵ Otto Keller, *Die antike Tierwelt*. Leipzig 1913, vol. 2, p. 413.

⁶ cf. ‘*Varro ait hoc nomen per antistoechon dictum, quasi gurgulio, quoniam paene nihil est nisi guttur*’ Serv. geo. 1, 186.

⁷ curiosius inquit Eilhardus Lubinus (Amstelodami 1595) ad l.: ‘*Persius respicit ad curculionem vermem ..., qui se contrahens et extendens, membri virilis formam repraesentat.*’ sed vereor ne ipse, dum haec refero, nimis curiosus ac nugax sim.

39-41 *'sensus est: licet athletae aut certe tonsores capillos tuos circa corporis pudenda semper evellant, fieri tamen non potest, ut evulsi non iterum crescant, quemadmodum filix herba, quae multas radices mittit; et licet aratro vellantur, non tamen eius radices funditus extirpantur. et bene ait "plantaria" permanens in metaphora, pro quo superius dixit "runcantem"'* Schol.

39 *quinque palaestritae licet haec plantaria vellant quinque: satis magnum numerum dicit¹.*

palaestritae: qui sunt homines utique robusti².

plantaria: 'plantas' i. e. pilos, quibus obscenae corporis partes consitae sunt, ut ager plantis.

vellant: proprie³ dictum idemque apte: nam et herbae velli dicuntur, v. OLD s. v. 2a.

40 *elixasque nates labefactent forcipe adunca,*

elixasque: 'assiduis balneis paene coctas'. depilatio fiebat post lavationem in caldario. cf. 'elixum, quidquid ex aqua mollitur vel decoquitur' Non. p. 48, 17 M. vide tamen Schol.: 'elixasque: id est psilothro demollitas'.

labefactent: cf. 'et labefacta movens robustus iugera fossor.' Verg. geo. 2, 264.

forcipe: fortiter dictum pro volsella ad pilos evellendos destinata.

41 *non tamen ista filix ullo mansuescit aratro.'*

non ... ullo ... aratro: nullo instrumento. auditur et obscenus sensus: 'quamvis multi nates tuas arent⁴, nihil tamen proficiunt (i. e. es libidinis insatiabilis)'.

filix: pro 'area filicibus vestita'. filix est herba agris maxime inimica, quae simplici aratione extirpari nequit⁵.

mansuescit: cf. 'nec mansuescit arando [sc. tellus]' Verg. geo. 2, 239.

¹ ceterum cf. *'quinque diebus / nil erat in oculis'* Hor. sat. 1, 3, 16 sq.; epist. 1, 7, 1; Gai. 2, 11, 8; Iuv. 11, 206; Headlam-Knox ad Herod. 5, 60.

² cf. *'nudum nec a decem palaestritis despoliari posse'* Apul. met. 1, 15.

³ *'ut non solum tonderetur diligenter ac raderetur, sed velleretur etiam'* Suet. Iul. 45, 2, vide OLD s. v. 1b.

⁴ 'arare' enim interdum idem est quod 'pedicare', cf. *'fundum alienum arat [sensu venereo], incultum familiarem deserit'* Plaut. Asin. 874; cf. J. N. Adams, *The Latin sexual vocabulary*. London 1982, p. 154.

⁵ quia *'radices ... eius sibi invicem sunt nexae et avulsae renascuntur'* Serv. geo. 2, 189.

42-52 primum paucis verbis complectitur Persius quae iam dixerat: 'haec est nimirum condicio vivendi: in alios opprobriis invehimur, et nos illis invicem ad vituperandum praebemus (vv. 42-43)'. deinde transit ad eos qui quidem publica opprobria non patiuntur, sed perinde in rebus externis occupati sunt ideoque vel peius se habent illis, de quibus in vv. 25-41 egerat. quare unum restat: descende in te ipsum.

42 sqq. occupat responsum: i nunc, dic mihi: 'quid faciamus? haec est vivendi condicio: invicem se laedunt homines'. iam scio ista: concedo, bene est. sed tu, qui propter astutiam et divitias tuas hanc communem condicionem effugisti (nemo enim in te publice invehitur), num meliore condicione frueris? nullus te quidem laesit: at ipse occultum vulnus habes.

42-43 '*caedimus inque vicem praebemus crura sagittis. / vivitur hoc pacto; sic novimus.*'

caedimus inque vicem praebemus crura sagittis: est sententia proverbialis, cf. '*caedimur et totidem plagis consumimur hostem*' Hor. epist. 2, 2, 97. quod nexum sententiarum spectat, cf. v. 33 (*at*) adn.

caedimus: caedendi verbum, quantum sciam, proprie de sagittis non dicitur (sed de gladiis, saxis, verberibus, pugnis sim. ThL 3, 58, 50 sqq.). sensus itaque est: alios gravioribus¹ plagis conficimus, et nos ipsos ad leviora dumtaxat vulnera (sicut sunt sagittarum in cruribus) praebemus.

praebemus crura sagittis: nam superiores corporis partes lorica et scutum a vulneribus tegunt.

crura: observandum est: crurum vulnera leviora esse, quam *ilium* (vide v. 43). dicit enim: qui alios vituperant non tam nocent, quam illi qui sui nescientes sunt.

sic novimus: 'talem esse vitam ex usu eius cottidiano didicimus.'

43-45 *ilia subter / caecum vulnus habes, sed lato balteus auro / praetegit.* sensus: vitiis occultis laboras, quae dissimulas. '*ita et nos vitia nostra aliquo dignitatis velamine vel praetextu divitiarum celamus*' Schol. de sententia cf. '*stultorum incurata pudor malus ulcera celat*' Hor. epist. 1, 16, 24.

ilia subter: in ima ventris parte², loco periculoso (cf. 5, 4 *inguine* adn.), quo mortiferum vulnus habes. per metaphoram *ilia* intimi animi recessus dicuntur.

¹ cf. '*caedi interdum occidi, interdum verberari significat*' Serv. geo. 4, 284.

² '*ipsa autem ilia inter coxas et pubem imo ventre posita sunt*' Cels. 4, 1, 13.

subter: adverbium attributive positum. cf. 3, 41. vide KS 1, 572. de positione (post substantivum) vide KS 1, 586.

caecum: 'latens, occultum', quod nemo potest videre (cf. 'surdaque' 5, 28 adn.). *caeca* etenim libidinum vulnera dicuntur¹. cf. 3, 113.

habes: 'habet' interdum de gravi vulnere dicitur, cf. 'si quis a Iove percussus non leve vulnus habet' Ov. Pont. 1, 7, 50 et: "'hoc habet": id est letali percussus est vulnere etc.' Serv. Aen. 12, 296; 'habere ... dicitur, qui percussus est. proprie de gladiatoribus dicitur "habet"' Donat. Ter. And. 83. cf. OLD s. v. 16b; d.

lato balteus auro: lato balteus per hypallagen pro: *latus balteus; balteus autem auratus est*².

praetegit: 'tegit, occultat' sc. vulnus.

45-46 *ut mavis, da verba et decipe nervos, / si potes.*

ut mavis: 'si tibi videtur', 'si hoc praefers'.

da verba: 'falle'. cf. 3, 19 adn.

decipe nervos, / si potes: 'dissimula debilitatem (nam *caecum vulnus* vires tuas exhaust) tuam, si quidem potes'. cf. 'qui vulnus accepit, dissimulat, et aliorum visus vel suspiciones illudit' Schol.

nervos: 'vires'. cf. 2, 41.

46-47 'sit sane. sed tu dixisti (vv. 25-41) de iis qui opprobria patiuntur. at me omnes laudant.'

46-47 'egregium cum me vicinia dicat, / non credam?'

'nonne credam egregium me virum esse, cum omnes homines quibuscum vivo hoc praedicent?'. cf. 'si bonus et honestus vulgo videar, non credam, aut iudicio populi fidem non habeam?' Schol. cf. Hor. epist. 1, 16, 21 sqq. (cf. v. 43-45 adn.).

vicinia: cavillatur gloriolam eius, qui in vicinia tantum notus.

non credam?: cf. 3, 109.

ad ea respondit, quae sequuntur:

47 *viso si palles, inprobe, nummo,*

'si pallestis spe lucelli oblata'. cf. 3, 109. hoc innuit: cum egregius videaris, re vera turpi pecuniae cupidine laboras.

¹ cf. e. g. 'caecum pectora vulnus habent' (de amore) Ov. her. 4, 20.

² cf. 'lato quam circum amplectitur auro / balteus' Verg. Aen. 5, 312 sq.

palles: quod vitiosorum hominum est. cf. 5, 15; 55.

inprobe: improbus dicitur qui non imperat libidini suae.

nummo: cf. chol. 12 (*nummi*) adn.

48 *si facis, in penem quidquid tibi venit,*

‘si facis quidquid libido te iusserit’, i. e. ‘si effrenatae libidinis es’. festive dictum ad normam locutionis ‘facio quidquid in mentem venit’.

facis: *faciendi* verbum de rebus venereis dicitur, vide e. g. Petron. 87, 9.

48-49 *amarum / si puteal multa cautus vibice flagellas,*

sensus: ‘si faenerator a debitoribus magnam pecuniam (i. e. usuram aut ipsam sortem) severe exigit’.

amarum (sc. *puteal*) ... *flagellas*: cf. ‘qui amara suggilatione non caruit’ Val. Max. 6, 9, 12.

amarum: triste atque amarum est debitoribus *puteal*, quia prae faeneratoribus metum habent¹. cf. ‘*amarum non solum ex sapore² triste, sed ex quamque causa terribile et infensum*’ Non. p. 466, 18 sq. M.³ etenim, ut aiunt iureconsulti⁴, ‘amare’ id est severe pecunia a debitoribus exigitur.

puteal: respicitur *puteal Libonis*, cf. ‘*generatores ad puteal Scribonii Libonis, quod est in porticu Iulia ad Fabianum arcum, consistere solebant*’ Schol. hoc loco dictum in imagine pro arca vasta et alta cuius operculo cautiones et pecunia a debitoribus exactae quasi premantur (ut *putealis*⁵ similitudo stet) quae tam amplas opes continet ut tamquam in puteum divitiae mitantur qui fundo careat et tamen plena usque ad operculum est.

multa cautus vibice: quia pecuniam callidis multisque cautionibus (cf. Hor. sat. 2, 3, 70) diligenter obstrictam identidem severe exigit. singulari numero more poetico pro plurali utitur (vide Ind. (‘singularis numerus’)).

¹ cf. ‘*qui puteal Ianumque timet celeresque Kalendas, / torqueat hunc aeris mutua summa sui.*’ Ov. rem. 561 sq.

² ceterum luditur in amaram (propter usuram) talis putei aquam (i. e. pecuniam). cf. ‘*si deerit fluens unda, putealis quaeratur in vicino, quae sit haustus profundum, non amari saporis aut salsi*’ Colum. 1, 5, 1.

³ similiter Iuv. 2, 30 ‘*leges ... amaras*’ i. e. leges infensas adulteris.

⁴ cf. ‘*ne id, quod affirmaverit venditor, amare ab eo exigatur*’ Gai. dig. 21, 1, 18 pr.; ‘*et sane non amare, nec tanquam inter infestos ius prohibita donationis tractandum est, sed ut inter coniunctos maximo affectu et solam inopiam timentes*’ Paul. ib. 24, 1, 28, 2.

⁵ *puteal* ‘*id est quo puteus operitur*’ Pompon. dig. 19, 1, 14.

cautus: est vocabulum artis, proprium est enim faeneratoribus *cavere*. vide supra.

flagellas: 'premis'. ac ne illa quidem exempla prorsus negligenda sunt, quae cum aliud agi videantur, proposito tamen conducunt: 'et cuius laxas arca flagellat opes' Mart. 2, 30, 4; 'pretia rerum ... non ignoramus alia aliis locis esse et omnibus paene mutari annis, prout ... aliquis praevalens maniceps annonam flagellet' Plin. nat. 33, 164: 'flagellare annonam'¹ ii dicuntur qui multas merces emunt et horreis clausas tenent, coercent (ut pretia earum augeantur)². simili ratione: 'flagellare arcam' idem est quod 'magnam pecuniam in arca coercitam tenere', cf. 'ex opibus tantis, quas gravis arca premit' Mart. 3, 41 (40), 2; 'non tibi sepositas infelix strangulat arca / divitias' Stat. silv. 2, 2, 150 sq.; 'mutua cum peterem sestertia quinque, negasti, / non caperet nummos cum gravis arca tuos.' Mart. 10, 15 (14), 4. ex quibus exemplis satis apparere crediderim 'flagellare puteal' idem valere atque 'strangulare, premere puteal (i. e. debitores)'.
 qui vident acutius, eis hunc insigniter vexatum ac prope conclamatum versum sanandum relinquo. mihi, si verum fatemur, tenebrae sunt³.

50 *nequiquam populo bibulas donaveris aures.*

bibulas: 'laudum sitientes'. cupidissime ista audis, vacuis auribus sorbes.

donaveris: 'dederis, praebueris'.

51 *respue quod non es, tollat sua munera Cerdo.*

respue quod non es: 'reice laudes, quas non meruisti'.

tollat: recipiat vulgus dona sua, auferat suas laudes.

sua munera: sc. blanda verba, adulationes.

¹ quod ad imaginem attinet, cf. e. g. 'quem [sc. populum] gravis urebat [urgebat Cludius] ... *annona*' Vell. 2, 77, 1.

² vide H. Zehnacker ad Plin. nat. 33, 164 (editio 'Belles Lettres', p. 235): 'Flagellare signifie ici 'faire tenir à l'étroit, resserrer.' ... Il faut comprendre qu'un accapareur stocke tout le blé, *annona* ayant son sens concret'.

³ itaque in varias coniecturas difflo, ut de forensibus contentionibus (cf. e. g. Pers. 5, 137) hic agi putaverim, sensu: 'si reos (vel sim.) astutis argumentis insequeris', cf. 'orator ... hac ipsa exercitatione communi istos quidem verberabit neque se ab eis contemni ... sinet' Cic. de or. 3, 79, cf. OLD s. v. 'verbero' 1b; s. v. 'verber' 3b.

Cerdo: nomen (cf. ‘*Baucis*’, v. 21) ἀπὸ τοῦ κέρδους dictum¹ quod datur maxime artificibus, qui operam suam lucri causa locare solent². hic vero plebeia turba intellegitur.

52 *tecum habita: noris quam sit tibi curta supellex.*

‘mane apud temet ipsum: scies quam multa tibi desint ad virtutem et sapientiam’. imago a vita domestica (cf. (‘*habita*’, ‘*supellex*’) sumpta: ‘*translatio ab angusta re familiari ad inopiam virtutum*’ Schol. atque haec latiore sensu. angustiore vero respicit etiam initium saturae, hoc enim dicit: ‘cum non possis tecum vivere et nescias quid rectum sit (cf. vv. 9 sq.), noli externa (sc. ‘*res populi*’ v. 1) curare’.

tecum habita: ‘tecum morare’, i. e. ‘tranquille ac sapienter tecum versare’, proverbialiter dicitur³. cf. ‘*ne te quaesieris extra*’ 1, 7.

habita: vide Ind. (‘imperativus in apodosi condicionalis sententiae’).

noris: videbis.

curta: ‘non sufficiens, mutila’.

¹ latine Lucro (cf. Fest. 56 M.; Petron. 60, 8).

² cf. Mart. 3, 16, 59, 1; 99, 1.

³ cf. ‘*secum esse, secumque, ut dicitur, vivere*’ Cic. Cato 49.

SATURA V

DE VERA LIBERTATE

Prioris partis (vv. 1-72) propositum est, ut Cornuto stoico praeceptoris suo gratum animum testetur. quod quidem pulchra ratione facit: ostendit enim quam multum illi debeat. altera parte (vv. 73-191) intimam animi de vera libertate sententiam ad stoicorum paradoxon *neminem praeter sapientem liberum esse* profert.

1-29 grande atque ex alto sumptum saturae initium facit Persius (vv. 1-4, deinde interpellatus pergit: vv. 19-29): ‘ut poetae rem magnam scripturi centum voces ora et linguas sibi poscunt (vv. 1-4), ita ego, ut praeceptoris mei laudes digne proferam, eadem posco (vv. 19-29)’ – hac sententia nondum finita, loquentem poetam Cornutus interpellat: mirari se quid tam grande tamque absonum a Persi genere loquendi exordium sibi velit (vv. 5-18).

1-2 *Vatibus hic mos est, centum sibi poscere voces, / centum ora et linguas optare in carmina centum,*
notum est poetas epicos plures sibi linguas, ora vel voces ad res grandes canendas saepe optare: e. g. Hom. Il. 2, 489; Verg. geo. 2, 43 = Aen. 6, 625; Ov. met. 8, 533 sq.; Stat. Theb. 12, 797 sq.; Val. Fl. 6, 36 sq.; Sil. 4, 525 sq.
vatibus: hoc nomen honorificum dissimulata festivitate adhibet Persius.
hic: cf. v. 26 (*hic*).

in carmina: ‘ad carmina componenda’. cf. ‘non mihi respondent veteres in carmina vires’ Ov. her. 15, 197; ‘te mihi materiem felicem in carmina praebe’ Ov. am. 1, 3, 19.

in: finali sensu accipe (‘for the needs or purposes of’ OLD s. v. 22).

3-4 *fabula seu maesto ponatur hianda tragoedo, / volnera seu Parthi ducentis ab inguine ferrum.*

‘sive poetae accingantur ad tragoediam horridi argumenti componendam sive ad carmen epicum incitatissimum de bellis Parthicis’.

maesto ... tragoedo: tragoedi maesto cultu instructi inducebantur (cf. *pullatis* v. 19).

ponatur: (sc. a poeta) sensu ‘componatur’ simul et ‘apponatur’ (quasi ‘cibus apponatur’. cf. 1, 53; 3, 111; 6, 23. vide ‘*offas*’ v. 5; ‘*olla ... cenanda*’ v. 8-9).

hianda: ‘magna oris diductione pronuntianda’. auditur et illud: ‘comedenda (sc. tragoedo)’. cf. v. 6 (*niti*) adn. spectat ad larvarum, quibus tragoedi utebantur, oris late patentis diductionem; hinc ad grandiloquentiam translatio. ceterum tragico isti hiatu opponitur modicum os (‘*ore teres modico*’ v. 15) Persi.

ducentis: ‘educentis’. Parthum militem morientem describit, qui telum quo vulneratus est, ab inguine extrahere conatur.

inguine: quo loco periculosissimum vulnus accepit. cf. 4, 43 sq. (*ilia subter / caecum vulnus*) adn.

5-18 Cornutus loquitur. miratur, cur Persius, cum antea numquam in saturis magniloquentiam affectaverit, tam tumidum initium sumat.

5 ‘*quorsum haec?*

cf. ‘*quorsum hoc tam ex alto prohoemium?*’ Fro. amic. 1, 1, 2 (p. 170 van den Hout).

5-6 *aut quantas robusti carminis offas / ingeris, ut par sit centeno gutture niti?*

sententia: ‘numne habes tam multos cibos, ut eis centum gutturibus quae poposceras (vv. 1-2) affatim comedendos obicias?’

robusti: ‘alimentosi’¹. imago a magna copia cibi cui multa vis (i. e. multum alimenti) inest petita. carmen autem heroicum aut tragoedia ideo robusti generis sunt quia inest iis magna quaedam vis poetica.

¹ cf. ‘*ex feris, quo maius quodque animal eo robustior ex eo cibus est*’ Cels. 2, 18, 7.

offas: imago ducta fortasse a belua immani et rabida multorum capitum¹, cui offae obiciendae sunt ut latrare desinat (Verg. Aen. 6, 420 sq.); cf. 'nunc "offa latrantium", qua, si in os canis iacitur, satiatus ilico conpescitur et silescit' Isid. orig. 20, 2, 26. cf. praeterea: 'tace lingua, dabo panem' Petron. 69, 3².

ingeris: 'multum affers' sc. gutturibus. ingerendi verbum de magna esculentorum vel poculentorum copia usurpatur, vide OLD s. v. 1c.

centeno gutture: 'centum gutturibus'. vide Ind. ('numeralia: distributiva pro cardinalibus').

niti: ridicule sane invertit imaginem (vv. 1 sq.) Cornutus, quasi guttura quae poeta sibi poposcerat, non ad carmina proferenda, sed ad ea devoranda essent. cf. v. 3 (*hianda*) adn.

7 *grande locuturi nebulas Helicone legunto*,

grande locuturi: 'grandia (i. e. magniloqua, cf. 3, 45) verba locuturi'.

grande: cf. 1, 14 *grande aliquid*.

locuturi: participium loco substantivi. v. KS 1, 223.

nebulas: imago tracta ab re inani, specie tantum magna.

Helicone: cf. prol. 2-4.

legunto: cf. '[sc. ne] dum vitat humum, nubis et inania captet' Hor. ars 230.

8-9 *si quibus aut Procnes aut si quibus olla Thyestae / fervebit saepe insulso cenanda Glyconi*.

si quibus etc. *fervebit*: 'si qui tumidas tragoedias componunt'.

si quibus aut ... aut si quibus: pleonasmus pro: 'si quibus aut ... aut' vel 'aut ... aut si quibus'.

Procnes aut ... olla Thyestae: sunt celeberrima fabularum argumenta, quae tamen eo consilio potissimum selegit, ut in epulandi imagine persistat.

olla ... cenanda: festive pro: 'Thyestae partes in fabula agenda'. cenare ollam dicitur pro 'avide devorare totam ollam' simili ratione ut '*patinas cenabat*' Hor. epist. 1, 15, 34 et '*fercula ... cenavit*' Iuv. 1, 94 sq.

olla: in olla Procne Ityn filium suum, et Atreus filios Thyestis quasi in sacrificio³ coxit.

¹ cf. (de Cerbero) 'quid mirum, ubi illis carminibus stupens / demittit atras belua centiceps / auris' Hor. 2, 13, 33-35.

² Otto, *Sprichwörter*, p. 263 (nr. 1332); Call. fr. 75, 4 Pf.

³ 'in sacrificiis exta in olla coquuntur' Varr. L. 5, 98; '... olla ubi exta coquerentur' Liv. 41, 15, 2.

fervebit ... cenanda: vide 3, 46 (*laudanda*) adn.

fervebit: 'coquetur, ebulliet'. significatio in tragoediarum sermonem concitatum atque vehementem.

insulso: insulsus dicitur quia malus actor fatue agit. per iocum invertit rem: 'insulsus actor cenat ollam' pro 'ollam insulsam cenat actor': utrumque auditur. ridicule insulsus actor dulci isti atque festivo (γλυκύς) Glyconis nomini non respondet. v. praeterea (*Glyconi*) adn.

Glyconi: cf. '*Glycon tragoedus populo mire placuit et ideo a Nerone commissus est, datis Vergilio tragoedo, domino eius, pro parte dimidia, quam possidebat, sestertiorum trecentis milibus. hic fuit staturae longae, fusci corporis, labio inferiori demisso, antequam subornaretur deformis*' Schol.

10-13 'nec stilum inflatum habes neque confusa meditaris neque tumida atque inania loqueris' (solito more tres imagines inducit, cf. 4, 10-13).

10-11 *tu neque anhelanti, coquitur dum massa camino, / folle premis ventos*, sententia: 'tu non sequeris verbosum atque inflatum scribendi genus', cf. Hor. sat. 1, 4, 17-21.

anhelanti ... folle: 'magna spiranti folle'. vide 1, 14 adn.

massa: vide 2, 67 adn.

premis ventos: facis ut follis ventum (i. e. flatum acceptum) <rursus> emittat. *premis* pro 'exprimis', vide Ind. ('simplex verbum pro composito'). cf. '*ventosa istaec et enormis loquacitas Athenas ex Asia commigravit*' Petron. 2, 7.

11-12 *nec clauso murmure raucus / nescio quid tecum grave cornicaris inepte,*

clauso murmure: quod fit clauso ore, cum vox tumidis buccis repercussa murmur¹ resonet. murmurare ridiculum videri potest, cf. 3, 81.

raucus: obtusum et ingratum² sonum edens.

nescio quid: quia obscure atque non articulate loqueris. formula quae rei levitatem saepius exprimit, v. 3, 88 (*nescio quid*) adn.

tecum ... cornicaris: more cornicis tecum (cf. Verg. geo. 1, 389 cit. infra) loqueris. per '*tecum*' vult etiam 'apud te, solus' significari, cf. 1, 13 sq. adn.

¹ nam et murmur magnum esse potest, vide Verg. Aen. 1, 55: '*magno cum murmure*'; '*fit clauso gurgite murmur*' ib. 11, 298.

² cf. '*vexatus totiens rauci Theseide Cordi*' Juv. 1, 2. ceterum Serv. geo. 1, 388 *raucae* voci *puram* ('voce tenui ac purissima') quodammodo opponit.

grave: luditur cum in gravem i. e. infuscatum sonum (sunt enim *raucae cornices* Lucr. 6, 751 sq.) atque habitum quodammodo tumidum cornicum¹, qui speciem prae se ferunt quasi rem seriam assidua cogitatione versent, tum in hominis grandiloquentiam.

inepte: vel propter inanem garrulitatem, cf. '*raucaeque garrulitas studiumque inmane loquendi*' Ov. met. 5, 678.

13 *nec scloppo tumidas intendis rumpere buccas.*

'nec inani sono gaudes'.

scloppo: '*sclopo dixit μεταφορικῶς, a ludentibus pueris, qui buccas inflatas subito aperiant et totum simul flatum cum sonitu fundunt*' Schol.

tumidas: 'inflatas'. iocatur in tragicum tumorem².

intendis: vide 2, 49 (*intendit*) adn.

rumpere: rumpere saepius dicitur pro tam magna vi aliquid implendo distendere, ut rumpi videatur. cf. 3, 27.

14 *verba togae sequeris iunctura callidus acri,*

verba togae sequeris: sensus: 'sed tu, o Persi, tumida illa vanorum poetarum fugis, et *verba togae* (i. e. qualia in sermone cotidiano decent Romanos³) ad imitandum tibi proponis'.

verba togae: iis opponuntur *pullatae nugae*, nam pulla vestis plebeculae est (v. 19 adn.)⁴. (*verba togae* tamquam romana bene opponuntur graecisanti tumori. praeterea sunt quasi 'pacia verba', proelia enim Persius non describit, cf. *volnera seu Parthi ducentis ab inguine ferrum* v. 4).

sequeris: 'studiose sectaris'.

iunctura ... acri: (abl. limit.). verborum ingeniosa collocatio, quae fortes sensus efficit. aliter intellegitur in 1, 64 sq.; 92, ubi iuncturae ad aures po-

¹ cf. '*tum cornix plena pluuiam vocat improba voce / et sola in sicca secum spatiat harena.*' Verg. geo. 1, 388 sq.

² '*tumido ore*' Hor. ars 94; '*illud quoque inter Terentianas virtutes mirabile, quod eius fabulae eo sunt temperamento, ut neque extumescant ad tragicam celsitudinem neque abiciantur ad mimicam vilitatem*' Euanth. de fab. 3, 5 (Wessner); '*versus sunt hi Caecili ... consarcinantis verba tragici tumoris*' Gell. 2, 23, 21.

³ cf. '*togae oblitus*' Hor. carm. 3, 5, 10 sq.; '*Latia carmina digna toga*' Mart. 7, 63, 2.

⁴ cf. '*visa quondam pro contione pullatorum turba indignabundus [sc. Augustus] et clamitans: en "Romanos, rerum dominos, gentemque togatam"* [Verg. Aen. 1, 282]' Suet. Aug. 40, 5; cf. ib. 44.

tius quam ad sensus spectant. nempe virilibus his acribusque Persianis iuncturis opponuntur insipidae illae atque per levia fluitantes iuncturae malorum poetarum, qui res grandes (e. g. 1, 68; 5, 7) sensu vero carentes¹ dicunt.

callidus: vide 1, 118 (*callidus*) adn. cum haec Persius scriberet, Horatius ei obversabatur: ‘*dixeris egregie, notum si callida verbum / reddiderit iunctura novum.*’ ars. 47 sq.

acri: ad ingenii vigorem in iuncturis componendis refertur.

15 ore teres modico,

‘es temperato scitoque genere loquendi praeditus’. opp. ‘*hianda*’ v. 3.

teres: de elocutione neque humili neque tumida. apud Dion. Hal. de Demosth. 18 τὰ στρογγύλα opponuntur τοῖς πλατέσιν et μακροῖς. cf. ‘*ore rotundo / ... loqui*’ Hor. ars 323 sq. *teres* proprie dicitur pulchrum membrum humani corporis, quod a macie tantundem distat quam ab obesitate.

15-16 pallentis radere mores / doctus

pallentis: ‘*pravos*’. pallent enim mali homines prae vitiis animi et corporis, vide 4, 47 (*palles*) adn.; ‘*en pallor seniumque! o mores!*’ 1, 26.

radere: ‘*infestare, perstringere*’, vide 1, 107 adn.

doctus: *radere* cum *doctus* et *defigere* (v. 16) iungendum; vide Ind. (‘*in-finitivus adiectivo additur*’).

16 et ingenuo culpam defigere ludo.

ingenuo ... ludo: (dativ.). ludum dicit non insulsum, h. e. qualis liberum hominem decet, cf. ‘*non hic qui in crepidas Graiorum ludere gestit*’ 1, 127. saturae *ingenuo ... ludo* opponuntur pullatae nugae (v. 19) tragoediarum.

ingenuo: cf. ‘*ipsumque genus iocandi non profusum nec immodestum, sed ingenuum et facetum esse debet. ... duplex omnino est iocandi genus: unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscaenum, alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum*’ Cic. off. 1, 103 sq.; Aristot. NE 4, 14, 1128.

culpam defigere: culpam (i. e. malorum morum descriptionem) in ingenuum ludum (i. e. in saturas) inserere. *defigere*: ‘*fortiter assignare*’, ‘*to attach, affix*’ OLD s. v. 2.

¹ nam ‘*acris*’ vocabulum potius ad sensus spectare vel ex Sen. epist. 100, 10 colligere licet: ‘*sit aliquid oratorie acre, tragice grande, comice exile*’.

ludo: de ludicro poesis genere. Lucil. 1039 sq.; Hor. sat. 1, 10, 37; ib. 4, 138; Pers. 1, 117.

17 *hinc trahe quae dicis*

ex hac tua consuetudine (sc. quae describitur vv. 10-16) sume dicendi materiam.

trahe: cf. v. 28.

17-18 *mensasque relinque Mycenis / cum capite et pedibus plebeiaque prandia noris.*

i. e. 'desine grandia loqui'.

mensasque ... cum capite et pedibus: de Thyestae fabula cogitandum.

Mycenis: (abl. loci potius quam dativ.) ubi Atreus fratri filios eius ad epulandum apposuit.

plebeiaque prandia noris: 'plebeias res inspice: ex his rebus argumenta pete.' 'sis in dicendo simplex, non tumidus.'

noris: coniunctiv. iussivus.

19-29 'certe ego nugas dicere non paro. immo rem magnam proferre volo: quam multum tibi, Cornute, debeam, tibi narrare velim (vv. 21 sqq.).'

19-20 *non equidem hoc studeo, pullatis ut mihi nugis / pagina turgescat*

pullatis ... nugis: 'pullatas ... nugas tragoediarum ait propter tristes fabulas, et quod maxime pulla veste, id est lugubri, tragoedi utebantur' Schol. cf. 'maesto ... tragoedo' v. 3. auditur et: 'vilibus nugis', quales sordidae plebis, quae vestem pullam induere solebat, similes (Calp. ecl. 7, 26 sq.; Plin. epist. 7, 17, 9), vide v. 14 adn.

nugis: contemptim de inanibus versibus. cf. 'nugaeque canorae' Hor. ars 322; OLD s. v. 3b.

pagina: i. e. pagina conscripta, 'carmen' (cf. 'lasciva est nobis pagina, vita proba' Mart. 1, 5, 8). vide OLD s. v. 1c: 'a piece of writing'.

turgescat: apte de tumido atque verboso carmine.

20 *dare pondus idonea fumo.*

levissima carmina, digna quae crementur. carmina adeo nullius ponderis (i. e. nullius momenti), ut fumo tantum, levissimae rei, pondus addere possint.

dare ... idonea (sc. pagina): vide Ind. (s. l. 'infinitivus: infinitivus adiectivo additur').

21 *secreti loquimur.*

procul a plebe. 'at te solum, Cornute, non ad populum atque theatrum pertinent, quae dico'.

secreti: pro adv. 'secreto'. scribitur et '*secrete*' (vide app. crit.); ea res verane an falsa sit in tam gravi codicum dissensu, iudicatu difficilis; εὐφρονότερον utique '*secreti*' videtur. ceterum adv. 'secrete' ante Tertulianum non invenitur.

21-22 *tibi nunc hortante Camena / excutienda damus praecordia,*

sensus: 'cepit me poeticus impetus aperiendi tibi, Cornute, intimos meos affectus'.

hortante: notandum est, Persium ipso instinctu Musarum i. e. sublimes impetu, non ultro accessit Musis (solent enim poetae Musas invocare, quod Persius minime facit. cf. chol. 1 sqq.) canere.

camena: camenam dicit quia versibus agit, ut poeta (ideo tam poeticum exordium sumpsit v. 1 sqq.) isque Romanus (cf. v. 14 '*verba togae*' adn.); tum quod '*Camenae ... sint castae mentis praesides*' Fest. 38, 12 sq. L.

excutienda: 'exploranda, examinanda', vide 1, 49 adn.

praecordia: 1, 117 adn. sincere aperit intimos affectus suos Cornuto¹.

22-23 *quantaque nostrae / pars tua sit, Cornute, animae,*

sensus: 'quam magna pars animae meae tua sit' i. e. 'quam multum tibi debeam'.

Cornute: 'ad Annaeum Cornutum philosophum, egregium virum, quia eius auditor fuit, loquitur' Schol. plura de Cornuto vide in 'Vita Persi'.

23-24 *tibi, dulcis amice, / ostendisse iuvat.*

dulcis amice: cf. v. 109 adn.

ostendisse: forma infinitivi perf. sententiarum gravitati maxime convenit, vide 1, 42 adn.

ostendisse iuvat: de inf. perf. ante verbum vide Ind. (s. v. 'infinitivus').

¹ 'ego ubi quem ex praecordiis ecfero versum' Lucil. 590; 'condita cum verax aperit praecordia Liber' Hor. sat. 1, 4, 89.

24-25 *pulsa, dinoscere cautus / quid solidum crepet et pictae tectoria linguae.*
 ‘examina animum meum, tu, qui verum a falso discernere potes’. imago ducta ab iis qui parietem percutiunt atque ex qualitate sonitus discernunt sitne paries e solido lapide factus an tectorio tantum exornatus: ‘pulsa, dinoscere cautus quid sit solidum et quid sit tectorium tantum pictae linguae.’ i. e. ‘examina, potes enim discernere quid sit in verbis hominum vere ex imo pectore profectum, quidve sit falsum atque ad aspectum tantum speciosum¹.’ nam paries opere tectorio expolitus pulchram quidem speciem praebet, sed intus indecorus manet.

pulsa: pulsare non tantum de eis dicitur qui ictibus inconditis aliquid feriunt, sed de eis quoque qui arte aliquid percutiunt, ut *pulsare tympanum, lyram* (OLD s. v. 4), *pulsare murum* (sc. ariete Vitr. 10, 13, 1; 10, 13, 2; 10, 16, 12; OLD s. v. 6); *pulsare terram* (sc. pedibus, de saltantibus, cf. Enn. ann. fr. 1 Sk.; Hor. carm. 1, 37, 2; sc. manibus, de precantibus Val. Fl. 7, 312; Stat. Theb. 1, 55), etc.; huc quoque locus Persi referendus: Cornutus certe arte agit.

dinoscere cautus: de adiectivo cum inf. vide Ind. (‘infinitivus: infinitivus adiectivo additur’).

solidum crepet: vide Ind. (‘accusativus obiecti interni’).

crepet: sensu ‘sonet, dicat’ adhibuit ex usu sermonis cotidiani, non sine festiva quadam ironia². (nam alias *crepare* non de eo sono, quem solidus paries percussus emittere debet, sed de surdo et rauco, qualis inanium potius parietum est, dicitur).

et pictae tectoria linguae: cf. ‘*id est, qui nosti hominum vitia, quae verbis celantur, invenire*’ Schol.

pictae: refertur quidem ad ‘*linguae*’, sed per enallagen spectat quoque ad ‘*tectoria*’, sensu: ‘*picta tectoria linguae*’. ceterum *picta oratio* designat genus dicendi instructum ornamentis quae ingenium ostendunt atque suavitatem tantum habent³.

26 *hic ego centenas ausim deponere fauces,*

hic: ‘*hac in re*’ (i. e. in pectore meo aperiendo, vv. 21-24). nunc demum respicit initium saturae, cf. v. 1 (*hic*).

¹ multi interpretes de adulatione cogitant, praeter rem.

² cf. e. g. ‘*si quid Stertinius veri crepat*’ Hor. sat. 2, 3, 33.

³ cf. Cic. or. 96; 39 (‘*depicta*’).

centenas ... fauces: respicit vv. 1 sqq. hic centenas sibi fauces poscit, ne vox exasperatis faucibus delassetur, et ut *pura* (v. 28) semper maneat¹.

centenas: vide Ind. ('numeralia: distributiva pro cardinalibus').

ausim: haec forma (vide Ind. 'coniunctivus: prisca forma') verecundiam deprecandi exprimit².

27 *ut, quantum mihi te sinuoso in pectore fixi,*

sensus: 'quam penitus te reconditissimis animi mei latebris recepi.'

te: Cornutum alloquitur.

sinuoso in pectore: quod multos intimos recessus latebrasque habet. cf. 2, 73 sq. (*sanctos ... recessus / mentis*) adn.

fixi: 'firmiter recepi'. cf. 4, 33 (*figas*) adn. praeterea vide Ind. s. v. 'indicativus'.

28 *voce traham pura, totumque hoc verba resignent*

traham: 'protraham', i. e. 'palam faciam, enarrabo'. dicitur de eis qui cum gravitate loquuntur, cf. '*imoque trahens de pectore vocem*' Verg. Aen. 1, 371. ceterum respicitur v. 17.

pura: claram (cf. 26 '*centenas ... fauces*' adn.) eandemque sinceram vocem dicit.

resignent: 'aperiant'. resignatur enim id quod ex abdito in apertum profertur, ut testamenta vel litterae sigillo solutae.

29 *quod latet arcana non enarrabile fibra.*

arcana ... fibra: 'intimo pectore, visceribus'. cf. v. 28 (*traham*) adn.

enarrabile: argumentum tam copiosum atque abditum ut enarratu esset difficile. potuisset quidem hoc totum narrare poeta si centum fauces haberet.

fibra: vide 1, 47 adn.

30-51 poeta, cum togam virilem sumpsisset atque ad suum arbitrium vivere coepisset, protinus se in Cornuti disciplinam dedit, quocum tanta concordia semper vixit, ut eodem sidere amborum vita regi iustissime

¹ procul sit illud: '*tamquam ... maior vis eloquentiae ingruat quam quae emitti faucibus possit*' Quint. 11, 3, 56.

² cf. 'bescheidene Behauptung' Kühner-Holzweissig, p. 795.

putaretur. cf. ‘*cum esset annorum XVI, amicitia coepit uti Annaei Cornuti, ita ut nusquam ab eo discederet; inductus aliquatenus in philosophiam est*’ Vita Persi, 4.

30-36 ‘statim ut pueritiam egressus sum (vv. 30-31) atque robustioris aetatis libertate uti coepi (vv. 32-35), totum me tibi ad educandum dedidi (v. 36)’.

30-31 *cum primum pavido custos mihi purpura cessit / bullaque subcinctis Laribus donata pependit,*

pavido: etenim Persius ‘*fuit ... verecundiae virginalis*’ Vita Persi, 6.

custos: custos vocatur toga praetexta, quod teneram aetatem atque ingenuitatem indicando reverendam facit eoque custodit, cf. ‘*ego vobis allego etiam sacrum praetextarum ... quo infirmitatem pueritiae sacram facimus ac venerabilem*’ Quint. decl. 340; *purpura* teste Plinio ‘*pro maiestate pueritiae est*’ nat. hist. 9, 127. cf. *praeterea*: ‘*togam praetextam his additam ut ex purpurae rubore ingenuitatis pudore regerentur [sc. ingenui pueri]*’ Macr. sat. 1, 6, 17.

purpura: togam praetextam dicit, quae ingenuorum puerorum vestis erat. ‘*praetexta puerilis est vestis qua usque ad sedecim¹ annos pueri utebantur*’ Schol.

cessit: ‘(repente) abiit, evanuit’.

bullaque: bulla est puerorum insigne e collo in pectus dependens sphaerae vel cordis figura, quod posita praetexta toga (i. e. egressa pueritia) Laribus consecrabatur.

subcinctis: Larum simulacra habitu iuvenum vestibus in altum succinctis repraesentabantur.

pendit: bulla Laribus consecrata (vide supra) in eorum aediculis appendebatur.

32-33 *cum blandi comites totaque inpune Subura / permisit sparsisse oculos iam candidus umbo*

cum blandi comites: supple: ‘fuerunt’. per *blandos comites* intelleguntur assentatores amici, parasiti et similes; nam asperi monitores, quales paedagogi fere esse solent, non aderant amplius.

¹ ita Persius ipse (vide ‘Vitam Persi’). atque interdum pueri XV, quin etiam XIV annos nati praetextam accipiebant.

comites: cf. 3, 7 adn. hoc autem loco comites etiam proprio sensu accipe: qui comitantur; sed non sicut asperi paedagogi.

totaque etc.: sensus: 'cum toga virilis dedit potestatem libidinibus indulgendi'. 'cum mihi iuventus concessit libere ambulare et sine correctione custodis, quae vellem aspicere.' Schol.

inpune: 'libere'¹ (cave intelligas: 'sine poena' vel 'sine metu poenae').

Subura: vicus Romae frequentissimus atque infamis illecebris plenus, ubi meretrices plurimae deversabantur atque cibaria aliaeque res venire solebant.

permisit sparsisse: vide Ind. s. v. 'infinitivus'.

sparsisse: i. e. vagos oculos 'huc illuc iecisse' (opp.: oculos cohibere). cf. 'tacito sparsit vaga lumina visu' Val. Fl. 6, 584; 'sparsoque per omnia visu' Stat. Theb. 5, 546.

iam: haec particula tempus a superiore mutatum notat: nunc togam virilem sumit, cum antea praetexta usus sit.

candidus umbo: per *candidum umbonem* toga virilis significatur, nam togae praetextae umbo purpureus est.

umbo: proprie significat illam togae partem, quae per pectus in rugas replicata it.

34-35 '*adulescentiam vel pueritiam dicit inter virtutes esse et vitia nutantem, ideo quod in ea positi nescientes erremus, dum ambigitur utrum ad virtutes an ad vitia declinare velimus*' Schol. cf. 3, 56-57 adn.

34 *cumque iter ambiguum est*

iter: i. e. cursus vitae.

ambiguum: dubium iter est, quod incertum adhuc quem cursum vitae² sequaris.

est: supra praeterito tempore usus est, hic per praesens tempus loquitur, ut in orationis progressu (*cum ... cessit ... pependit ... permisit ... est ... deducit*) sententiam (vv. 34-35), quae ad omnes adulescentes pertinet, efferat.

¹ cf. e. g. Cic. de. or. 1, 182; '*quae [sc. virtus] et semper et sola libera est, quaeque, etiamsi corpora capta sint armis aut constricta vinculis, tamen suum ius atque omnium rerum impunitam [h. e. plenissimam, non imminutam] libertatem tenere debeat.*' ib. 1, 226.

² cf. '*lumen admovet [sc. ethice], quo discernantur ambigua vitae*' Sen. nat. 1, pr. 2.

34 *et vitae nescius error*

‘et rerum inscitia’. errorem¹ dicit imprudentem, qui est nescius vitae.
error: ‘erratio, vagus discursus’.

35 *deducit trepidas ramosa in compita mentes,*

deducit ... ramosa in compita: quasi dicat: ‘deducit in errorem’.

deducit: cf. ‘*deducere*: *depravare, transvertere a recto*. M. Tullius in Hortensio [fr. 70 Müller = fr. 64 Grilli = p. 60, 1 Plasberg]: “*habet enim ipsa certam et definitam viam, et ex ea multis vitiis et erroribus depravata deducitur*” Non. p. 289, 18 sqq. M.²

trepidus ... mentes: ‘incertas mentes’, quae se incerto motu modo huc modo illuc festinanter (cf. 2, 54 (*praetrepidum*) adn.) coniciunt. ‘*alternare proposita facit et modo hoc modo illud iter cogitatione adprehendere*’ Schol.

ramosa in compita: ‘*ramosa in compita dicit plures vias habentia, ut in stemmate rami sparsi solent esse*’ Schol.

36 *me tibi supposui.*

‘in tuam potestatem me tradidi’³. recte Casaubonus ad l.: ‘*ridiculi sunt [sc. ei interpretes] qui ad suppositionem partus putant allusum: praecipua discipuli laus, ut magistro oboedientem se praebeat*’.

36-37 *teneros tu suscipis annos / Socratico, Cornute, sinu.*

‘tu, Cornute, teneram aetatem meam paterno studio excepisti ad rationem integritatemque Socratis’.

suscipis: praesens historicum. ‘*et bene hic "suscipis" dixit, propterea quod ait supra "supposui"*’ Schol.

¹ cf. ‘*velut silvis, ubi passim / palantis error certo de tramite pellit, / ille sinistrorsum, hic dextrorsum, unus utrique / error*’ Hor. sat. 2, 3, 48-51.

² cf. ‘*huc est mens deducta tua, mea Lesbia, culpa*’ Catull. 75, 1; ‘*innocens in periculum deducatur*’ Quint. 4, 2, 12. si forte *diducit* mavis, quod equidem non probarim, ita accipe: ‘*error diducit mentes in ramos (h. e. vias) compitorum*’, cf. ‘*vites in ramos diducere*’ Col. 5, 6, 36.

³ cf. ‘*caelestia corpora ... arbitrio formam supposuisse tuo*’ Ov. her. 16 (17), 120; ‘*manui et potestati suppositus*’ Ulp. dig. 1, 1, 4; ‘*suppositum iurisdictionis alicuius*’ id. dig. 2, 5, 1.

37-38 *tunc fallere sollers / adposita intortos extendit regula mores*

‘mox ut me excepisti, apposita mihi a te regula vivendi est; quae regula, sollers fallere, intortos meos mores extendit; et de vitae pravitate ad melioris vitae rectitudinem adduxisti.’ Schol.

fallere sollers ... regula: regula quae sollerter fallit mores qui emendantur, ita ut emendari se non sentiant. Cornutus enim id agebat, ut, molli emendandi ratione perite semper adhibita, Persius emendari se non animadverteret. ‘sapientes oportet recte cognoscere, ut ipsa emendatio lente ac sine tormento fiat, ne per asperitatem doctrinae in ipsis rudimentis non tolerantes impatienter ferant corrigi’ Schol. non rigida igitur fuit Cornuti disciplina, cf. ‘elige itaque Catonem; si hic tibi videtur nimis rigidus, elige remissioris animi virum Laelium. elige eum cuius tibi placuit et vita et oratio et ipse animum ante se ferens vultus; illum tibi semper ostende vel custodem vel exemplum. opus est, inquam, aliquo ad quem mores nostri se ipsi exigant: nisi ad regulam prava non corriges’ Sen. epist. 11, 10.

fallere sollers: sollers cum infinitivo, ut ‘sollers ... nosse’ 6, 24, v. Ind. (‘infinitivus: infinitivus adiectivo additur’).

sollers: ‘sollers ... qui habet peritiam’ Ps. Acro Hor. ars 407; cf. id. ad Hor. carm. 4, 8, 8.

adposita: et benigna fuit natura atque indoles Persi cui regulam apponere tantum (et non ad eam acerrime dirigere vel astringere) satis erat, ut ad eam accomodaretur.

intortos ... mores: ‘curvos, pravos’. cf. 3, 52.

extendit: ‘rectos facit’.

regula: regula lignum (fiebant etiam e ferro) est rectum quo fabri utuntur ad exigendas rectitudines. hic translate. Persium videtur Isidorus respexisse, cf. ‘alii dixerunt regulam dictam ... vel quod normam recte vivendi praebeat, vel quia distortum pravumque quid corrigat.’ orig. 6, 16, 1.

39 *et premitur ratione animus vincique laborat*

‘iam sub tua disciplina motus animi mei ratione domantur, animo non refragante’.

ratione: stoica ratione, philosophia, cf. v. 96.

animus: animus rationi opponitur, nam secundum stoicos ‘duplex est ... vis animorum atque naturae: una pars in appetitu posita est, quae est ὄρμη Graece, quae hominem huc et illuc rapit, altera in ratione¹, quae docet et explanat,

¹ cf. Plato rep. IV 431a.

quid faciendum fugiendumque sit. ita fit, ut ratio praesit, appetitus obtemperet
Cic. off. 1, 101.

vincique laborat: simili modo dictum in 2, 17. hic animus ipse rationi non refragatur, non recusat imperium rationis. cf. v. 38 (*adposita*) adn.

laborat: 'avet', 'magnopere studet'.

40 *artificemque tuo ducit sub pollice vultum.*

sensus: 'animus (sc. meus) sensim accipit vultum a tuo pollice scite formatum'. i. e. 'disciplina tua formatur animus meus'. imago a plastica arte petita, cf. '*exigite ut mores teneros ceu pollice ducat, / ut si quis cera vultum facit*' Iuv. 7, 237 sq.; cf. praeterea Pers. 3, 23 sq.

artificem ... vultum: vide Ind. s. v. 'attributum'.

artificemque: adiectivi vice fungitur: 'artificiosum', '*artificem vultum, per artem factum*' Schol.¹

ducit: 'sensim accipit'. cf. '*saxa ... coepere ducere formam*' Ov. met. 1, 400-402; '*ferrum ... rubiginem ducit*' Sen. contr. 2, 2, 8.

pollice: cuius praecipuae partes in plastica ratione sunt².

vultum: acute atque convenienter scripsit: expressius enim 'vultus' (qui est oris conformatio ex animi habitu orta) quam 'forma' aut 'facies' dicitur³.

41-44 post Cornuti laudes in universum, familiaritatem describit, quam cum illo contraxerat.

41 *tecum etenim longos memini consumere soles*

'memini me tecum transegisse dies integros'.

etenim: cf. 3, 48 (*etenim*) adn.

memini consumere (... / et ... *decerpere*): vide chol. 2-3 (*somniasse ... memini*) adn.

¹ cf. '*nudus Amor formam* [coni. Heinsius, codd: *formae*] *non amat artificem*' Prop. 1, 2, 8; '*artificis ... formae* [i. e. *formae artificiose confectae*]' Val. Fl. 6, 465.

² cf. Blümner, *Technologie*, 2, p. 118; '*nam pollex ... nec minus quam tota manus semper in officio est*' Macr. sat. 7, 13, 14.

³ cf. '*vultus et facies hoc distant. vultus est voluntas quae pro motu animi in facie ostenditur; facies ipsa oris species.*' Non. 427, 1 sqq. M.

42 et tecum primas epulis decerpere noctes.

‘et memini epulando initia noctium laete tecum transegisse.’

primas ... noctes: ‘pro primis partibus noctis posuit’ Schol. Cornutus et Persius non totas noctes epulando transigebant, quod faciunt helluones, sed primam tantum noctis partem cibis sumendis concedebant.

epulis: abl. instr. potius quam dat. fin. (nedum dat. commodi). *epulae* non nisi de cibis satis lautis dicuntur; noli igitur de cena nimis parca cogitare. hic tamen lautitia illa imprimis in sollemni quadam hilaritate consistit, quam amicitiae dulcedo parit.

decerpere: i. e. fruendo¹ transigere (sc. *primas noctes*). huic verbo inest quaedam iucunditatis (cf. ‘carpe diem’² Hor. carm. 1, 11, 8; ‘indulge genio, carpamus dulcia’ Pers. 5, 151) simul et delicatae moderationis (nam *decerpere* de eo dicitur qui non omnia sed optima quaeque consumit) notio.

43 unum opus et requiem pariter disponimus ambo

‘eadem studia eademque otia communi temporis ratione ordinamus’.

unum: ‘commune’, pertinet non tantum ad *opus* sed ἀπὸ κοινοῦ etiam ad *requiem*.

disponimus: ‘certo ordine (omne tempus) distribuimus’.

44 atque verecunda laxamus seria mensa.

verecunda ... mensa: est decens, honesta (cf. ‘honestis iocis ad mensam utimur, ut animus seriis remittatur’ Schol.), quam et a luxuria remotam esse decet.

45-51 ‘quidquid id (sc. sidus) est, certe est aliquod sidus a quo nostra fata pendeant quodque me tibi accomodat’. ceterum omnia ad exemplum loquitur, non ad fidem horoscopi; e. g. de Sagittario, sub quo ipse natus est die quarto mensis Decembr. (vide Vitam Persi), nihil omnino dicit.

45-46 *non equidem hoc dubites amborum foedere certo / consentire dies et ab uno sidere duci*:

‘non, credo, dubites (coni. potentialis), quin utriusque nostrum vita rata lege invicem congruat atque ab eodem sidere regatur.’

¹ cf. ThL 5, 1, 158, 67 sqq.

² i. e. ‘ita fruere, ut nullam eius (sc. diei) particulam omittas’.

*non equidem ... dubites: satis impersonaliter*¹ dicitur, quasi dicat: 'certe, credas, amborum certo foedere consentire dies etc.'

dies: 'tempora vitae'.

sidere: 'signo zodiaci'. vide q. s.

47-51 'nescio quod astrum me tibi temperat: vel Parca, (quae est) tenax veri, suspendit nostra tempora aequali Libra, seu hora, (quae est) nata fidelibus, dividit etc.' cf. Hor. carm. 2, 17, 17 sqq.

47-48 *nostra vel aequali suspendit tempora Libra / Parca tenax veri, vel ... (seu): insolenter* (cf. LHS 522) dictum pro: 'sive ... sive'.

aequali ... Libra: cf. 'in diversa eiusdem librae lance impositi aequale examen habuerunt. "aequali Libra", quia mensurae vice fungitur in aequinoctio; ut Vergilius [geo. 1, 208] "Libra die somnique pares ubi fecerit horas."' Schol.

suspendit: apte de Libra dicitur.

Libra: unum ex duodecim zodiaci signis.

tempora: sc. vitae. vide v. 46 (*dies*) adn.

Parca: quae fata hominum regit.

tenax veri: est enim Parca immutabilis² in veritate³ tuenda.

48-49 *seu nata fidelibus hora / dividit in Geminos concordia fata duorum*

nata fidelibus: 'destinata nobis fidelibus amicis gignendis'.

hora: fati hora, 'horoscopus'.

Geminos: 'sub Geminis ... nati in amicitis permanent, ut et ipsi concordissimi fratres sunt' Schol.

50 *Saturnumque gravem nostro Iove frangimus una:*

gravem: 'maleficum'.

nostro Iove: 'Iove utrique nostrum communi atque propitio'. 'Saturni stella malefica illis quorum natalem diem aspicit, Iovis autem benefica' Schol. benignus Iovis aspectus potest malignitatem Saturni avertere. 'et hoc dicit: si quid erat, quod malum geniturae meae signum Saturni inferret, prosperitate stellae Iovis est depulsum' Schol.

¹ cf. LHS 419; cf. Pers. 1, 5-7.

² cf. Ps. Acro Hor. carm. 2, 16, 39.

³ cf. 'veridicos Parcae coeperunt edere cantus' Catull. 64, 306; 321 sqq.; 'veraces cecinisse Parcae' Hor. carm. saec. 25; carm. 2, 16, 39.

nostro: cf. 'hic nostrum [i. e. propitium] placabo Iovem' Iuv. 12, 89; cf. id. 9, 137.

frangimus: maleficam vim Saturni infirmamus, quo fit ut Iuppiter, non Saturnus, dominus geniturae fiat.

una: pleonastice, nam in *nostro Iove* non tantum benignitatis (vide supra adn.: 'Iove utrique nostrum ... propitio') sed etiam coniunctionis ('Iove utrique nostrum communi') notio inest.

51 *nescio quod certe est quod me tibi temperat astrum.*

quod me tibi temperat astrum: astrum, quod me tibi aptat, secundum te mihi moderatur.

certe: non simpliciter 'vere, profecto' sed potius sensu: 'utcumque se habent ista (sc. 47-50), tamen est nescio quod etc.', vide OLD s. v. 2.

astrum: h. l. idem quod *sidus* (v. 46). ceterum nihil obstat quin et Iovis stella *sidus* vocetur¹.

52-72 homines cum variis studiis teneantur, animam non curant, propter quod sub finem vitae miseri fiunt (vv. 52-61). Cornutus contra philosophiae, quae sola ars miseriam vitae discutit, operam dat iuvenesque ea instruit (vv. 62-65). quid ii, qui ad praecepta sapientiae non vivunt, sed semper victuri tantum sunt? nimirum sapientiae studium minime procrastinandum est (vv. 66-72).

52-53 cf. 'ut Horatius: "quot capitum vivunt, totidem studiorum / milia" [sat. 2, 1, 27 sq.] et Terentius: "quot homines, tot sententiae" [Phorm. 454]' Schol. ad v. 52.

52 *mille hominum species et rerum discolor usus,*

mille hominum species: sc. sunt.

species: 'formae' (non: 'genera'). hoc ad ingenium atque externum hominum habitum spectat.

rerum ... usus: hoc pertinet ad externam vitae rationem.

discolor: 'varius'. color est externa vitae species atque condicio².

¹ cf. e. g. '*sidus triste ... Saturni*' Iuv. 6, 569 sq.

² cf. e. g. '*quisquis erit vitae ... color*' Hor. sat. 2, 1, 60.

53 *velle suum cuique est nec voto vivitur uno.*

i. e. 'sua cuique voluntas est neque omnes eadem cupiunt'.
velle: de infinitivo substantivato vide Ind. ('infinitivus').

54-55 *mercibus hic Italis mutat sub sole recenti / rugosum piper et pallentis grana cumini,*

cf. '*hic mutat merces surgente sole ad eum, quo / vespertina tepet regio, quin per mala praeceps / fertur uti pulvis collectus turbine, nequid / summa deperdat metuens aut ampliet ut rem*' Hor. sat. 1, 4, 29-32. primum describit vitam eorum qui divitias appetunt. piper atque cuminum omnis lautioris culinae solita condimenta sunt¹.

mercibus ... mutat ... piper: pro: 'merces mutat pipere'.

mutat: lucri causa, ut solet de mercatoribus dici². *mutat* cum acc. et abl. solita constructione, ut: '*uvam / furtiva mutat strigili*' Hor sat. 2, 7, 109 sq.; KS 1, 390.

sub sole recenti: 'sub oriente', i. e. 'in terris orientalibus'.

rugosum piper: piper Indicum.

rugosum: quippe siccatum³; cf. '*tostum* [sc. piper] *solibus colore rugisque mutatur*' Plin. nat. 12, 26. optimum piper ab Indis petebatur, nam Italico piperi, quod cetera Indico non multum cedebat, deerat tamen '*tosta illa maturitas ideoque et rugarum colorisque similitudo*' Plin. nat. 12, 29.

pallentis: quia bibentes pallidos reddit⁴. *pallens* vel *pallidus* vi activa (i. e. 'quod pallorem inducit') apud auctores saepius legitur, e. g. : '*pallentibus herbis*' Tib. 1, 8, 17; '*pallentia philtera*' Ov. ars 2, 105.

cumini: cuminum in Africa atque Cilicia maxime proveniebat.

56 *hic satur inriguo mavult turgescere somno,*

satur: post cibos opimos, '*cibo plenus*' Schol.

inriguo: irriguum somnum dicit propter vinum epotum. tali somno corpus irrigatur (cf. ThlL 7, 2, 419, 83 sq.) i. e. fovetur, alitur, recreatur, cf. ThlL 7, 2, 420, 28 sqq.; '*eo, quod somnus corpora irrigat, ut Vergilius ait* [Aen.

¹ cf. '*putes illum piper et cuminum non coniecisse*' Petron. 49, 5.

² cf. Hor. l. l.; Verg. ecl. 4, 39; Ov. trist. 1, 2, 76.

³ cf. '*mixta est rugosis carica palmis*' Ov. met. 8, 674.

⁴ cf. '*aiunt enim cuminum dilutum et potum pallidum facere*' Porph. ad Hor. epist. 1, 19, 17.

3, 511. sensum Vergili per iocum variat Persius] *somno irrigari corpora*
Schol.

turgescere: 'distentus fieri', cf. 1, 98 '*turgidus hic epulis*'.

57 *hic campo indulget*,

campo: campo Martio, ubi lusibus et exercitationibus corporis gaudet.

indulget: multum temporis cum oblectatione in campo Martio absumit. de '-ēt' vide Indicem ('prosodiaca quaedam notabilia': 'syllabae breves pro longis ante caesuram').

57 *hunc alea decoquit*,

decoquit: ludus aleae rem familiarem huius absumit, quasi coquendo minuat (cf. 1, 125 '*decoctius*' adn.).

57-58 *ille / in venerem putris*.

'libidine mollis, marcescens'.

in: finem significat, quo tendens libidinosus iste marcescit. cf. '*corpora segnes / in venerem solvunt*' Verg. geo. 4, 198 sq.

putris: ταικερός. putre translate id dicitur quod facile solvitur, molle atque flaccidum fit; itaque *in venerem putris* est qui in venerem solvitur i. e. in libidinem pronus fertur.

58-59 *sed cum lapidosa cheragra / fregerit articulos, veteris ramalia fagi*,
cf. '*illi iusta cheragra / contudit articulos*' Hor. sat. 2, 7, 15 sq.

lapidosa cheragra: '*chiragricorum articuli tubercula habent, quae lapidis duritiem exercent*' Schol.¹

fregerit: coni. vi iterativa. KS 2, 207 sq.

veteris ramalia fagi: appositum ad *articulos*. '*morbus ... digitos frangit et tortuosos facit, ut sint similes tortis ac veteribus ramis fagi*' Schol.

veteris: cf. 1, 97 (*vetus*) adn.

ramalia: cf. 1, 98 (*ramale*) adn.

¹ de usu *cheragrae* et *podagrae* vocabulorum apud poetas cf. M. Valerii Martialis *Epigrammaton liber primus*. Introduzione, testo, apparato critico e commento a cura di Mario Citroni. Firenze 1975, p. 300.

60-61 *tunc crassos transisse dies lucemque palustrem / et sibi iam seri vitam ingemuere relictam.*

ordo: 'tunc iam seri ingemuerunt (acc. c. inf.:) crassos dies (sc. vitae suae) transisse (1), lucem palustrem (sc. esse) (2), vitam sibi (= a se) relictam (sc. esse) (3)'.

tunc crassos transisse dies: 'per intemperantiam et libidinem dicit homines debiles fieri et sero vitiorum suorum paenitentiam velle agere: quae vitia emendare volentes ingemuerunt, quod iam transacta meliori vita fraudati sint' Schol.

crassos transisse dies: "'crassos dies" dicit, in quibus obtuse et sine ulla ratione vixerunt' Schol.

lucemque palustrem: 'obscuram, propter nebulam, quae de paludibus nascitur; sed hoc ad animi caecitatem transfertur' Schol. nam philosophia tantum clarum lucem vitae afferre potest. cf. 'virtutem videant intabescantque relictam' 1, 38.

et ... iam seri: 'sero' (vide KS 1, 236), cum iam nullus medendi locus esset.

sibi: dat. auct.

sibi ... vitam ingemuere relictam: 'acriter doluerunt se veram vitam non attigisse'.

ingemuere: "'ingemuere" autem bene expressit, quia tales senectus debiles excipit' Schol.

relictam: sc. relictam esse.

62-64 sensus fere est: 'at tu, o Cornute, longe aliam quam isti (de quibus vv. 52-61 dictum est) vitae rationem sequeris, qui nocte studes, die autem iuventutem honestis praeceptis instituis'. (fortasse non prorsus abs re fuerit ex re rustica imaginem – cuius quidem ratio non fronte sed quasi in recessu legentibus habenda est – petere: Cornutus, sicut bonus agricola noctu quaedam facit, ut paratius ad serendum vel ad aliud opus rusticum aggrediatur, cf. Verg. geo. 1, 292; 311 sqq.).

62 *at te nocturnis iuvat inpallescere chartis;*

nocturnis ... chartis: dativ.: cf. 3, 54.

iuvat inpallescere: de verbo *iuvandi* cum inf. cf. v. 24 'ostendisse iuvat'.

inpallescere: Cornutus quidem honesta de causa impallescit: pallorem¹ enim ex lucubrationibus trahit. at quam aliter isti, qui propter cuminum (vide 'pallentis ... cumini' v. 55) pallent!

¹ cf. 3, 85 (*palles*) adn.

63-64 *cultor enim iuvenum purgatas inseris aures / fruge Cleanthea.*

cultor: imago ex agri cultura sumpta: tamquam agricola, qui agrum colit, cuius officium est agrum a malis herbis purgare antequam sementem faciat, cf. '*cultura ... animi philosophia est; haec extrahit vitia radicitus et praeparat animos ad satus accipiendos eaque mandat is et, ut ita dicam, serit, quae adulta fructus uberrimos ferant*' Cic. Tusc. 2, 13.

iuvenum: fortius iungitur cum *aures* (quam cum *cultor* vel ἀπὸ κοινοῦ cum *cultor* et *aures*).

purgatas ... aures: 'aures ad philosophiam accipiendam (antea a te) praeparatas'.

inseriris aures fruge: constructio graecanica; usitatius dixeris: 'inseriris auribus frugem'. '*praeceptum auriculis ...instillare*' dixit Horatius (epist. 1, 8, 16).

inseriris: aliter aliquatenus Horatius: '*purgatam ... qui personet aurem*' epist. 1, 1, 7. de re autem cf. v. 86; 1, 126.

fruge Cleanthea: stoicam doctrinam significat. videtur Persius in Cornuti disciplina Cleanthem stoicum potissimum respexisse, quia Cleanthes Περί ἐλευθερίας opus conscripserat¹ (etenim in vera libertate argumentum huius saturae versatur) nec non ingenio poetico praeditus erat.

fruge: transl. 'bonis praeceptis moralis philosophiae'. ceterum *frux* metaphorice in bonam partem accipienda, cf. '*centuriae seniorum agitant expertia frugis*' Hor. ars 341, cf. praeterea quod saepius legitur: 'frugi bonae'.

64-65 *petite hinc, puerique senesque, / finem animo certum miserisque viatica canis.*

sensus: 'hinc petite omnes certum vitae finem atque adminicula contra mala senectutis'.

hinc: sc. ex philosophiae studio.

finem: cf. 3, 60.

animo: dativ.

viatica: cf. e. g.: ἐφόδιον ἀπὸ νεότητος εἰς γῆρας ἀναλαμβάνει σοφίαν (a Biante dictum) Diog. L. 1, 88. viaticum proprie dicitur omne quod ad iter (de itinere vitae cf. v. 34) faciendum necessarium est, hic vero ludit

¹ vide Diog. L. 7, 175.

in translatum sensum: dicit enim verum praesidium in philosophia esse, non in pecunia et rebus extraneis¹.

canis: sc. capillis, i. e. senectuti.

66-72 memoriter Persium reddidit Petrarca: 'tu ne tempori tuo desis, cura; porro cras istud quod suspensos tenet et inertes facit, quodque quasi venturum expectatur, iam praeteriit; nullus enim, praeter primum, dies non diei alterius cras fuerit. vis audire quid hic adolescens poeta quidam dicat? "*cras hoc fiet*" <...> *in axe secundo*.' quid igitur? an aetate Persius in-experta et acerba publicam caecitatem funditus introspectit, nostra id aetas maturior non videbit?' Petrarca, fam. rer. 23, 2, 19-20.²

66-69 versu 66 fingit Persius aliquem loquentem, qui semper differt ad praecepta philosophiae vivere, is dicit: 'cras incipiam.' Persius ei dif-fidens, respondet: 'crastino die eodem modo vives, quo hodie.' tum inter-locutor iam impatiens iraque accensus³: 'quid? tu quasi magnum aliquid, unius tantum diei spatium mihi concedis! ineptus es, cui tantula mora, nempe unus dies, longa dilatio esse videtur!' ad haec Persius, id ipsum unum crastinum diem de quo adversarius modo stomachabatur tacite concedens, ita callide argumentatur: '(istum crastinum diem, qui hodie instat, tibi concedo,) sed cum ad perendinum diem (*lux altera*) ventum est, iam unum 'cras' (*cras hesternum*) consumpsisti, et ecce iam aliud 'cras' (*ecce aliud cras*) instat: ita vitam procrastinando – nam semper 'cras' habes – frustra absumis.'

¹ cf. '*licet in philosophiam etiam sine viatico pervenire*' Sen. epist. 17, 7.

² aliter, nec minus egregie, Arturus Schopenhauer: 'Zu eben diesem Zwecke [sc. um das ganze Leben genießbar zu finden] sollten wir stets eingedenk seyn, daß der heutige Tag nur Ein Mal kommt und nimmer wieder. Aber wir wähen, er komme morgen wieder: morgen ist jedoch ein anderer Tag, der auch nur Ein Mal kommt. Wir aber vergessen, daß jeder Tag ein integrireder und daher unersetzlicher Theil des Lebens ist, und betrachten ihn vielmehr als unter demselben so enthalten, wie die Individuen unter dem Gemeinbegriff.' A. Schopenhauer, *Parerga und Paralipomena*, Berlin 1851, vol. 1, p. 397.

³ quem colorem non satis perspexit vir summus Aluredus Eduardus Housman, qui lectionem '*fiat*' (v. app. crit.) commendabat.

66-67 *'cras hoc fiet. idem cras fiet. quid? quasi magnum, / nempe diem donas!'*
quasi magnum: 'quasi magnam quandam rem'.
quasi: 'tamquam'. hoc sensu raro admodum apud poetas invenitur¹.
nempe: ironice dicitur, cf. 2, 70; 3, 1 adn.

67-68 *sed cum lux altera venit, / iam cras hesternum consumpsimus;*
lux: 'dies', cf. 6, 69.
altera: 'perendina'².
iam: de *iam* in periodis cf. ThlL 7, 1, 101, 80 sqq.; 102, 37.
cras: substantivum³, ut *aliud cras* infra.
consumpsimus: vide Ind. (s. l. 'pluralis q. d. sociativus').

68-69 *ecce aliud cras: / egerit hoc annos et semper paulum erit ultra.*
egerit: 'aufert, absumit' de totius vitae summa. cf. 'tota querellis / egeritur dies' Val. Fl. 8, 453 sq.
hoc: sc. cras.
annos: sc. vitae.
semper paulum erit ultra: i. e. semper crastinum diem habebimus, 'quia dum venerit cras, aliud superest, quod iterum differas' Schol.

70-72 *nam quamvis prope te, quamvis temone sub uno / vertentem sese frustra sectabere canthum, / cum rota posterior curras et in axe secundo.*
 metaphorice: si es posterior rota in raeda, etsi minimo intervallo seiunctus a prioribus rotis, numquam tamen ne exteriores quidem illarum partes (quae sunt canthi), assequi potes: ita crastino die semper interposito numquam perendinum diem (quo recte vivere incipere promittebas) contingis.'

et illud iam innuit poeta: 'curris quidem, sed cum sis fixus quasi rota in raeda, libertatem non habes'.

¹ 'Lucr.: ca 90 *quasi*: 10 *tamquam*; Cat. 1: 2; corp. Verg. 0: 1; corp. Tib. 0: 0; Prop. 0: 0; Hor. sat. epist. 0: 4; Ov. met. 3: 11; Ov. eleg. 8: 18; Sen. 0: 0; Luc. 1: 2; Val. 0: 0; Sil. 0: 0; Mart. 9: 16; Juv. 1: 18.' Axelson, *Unpoetische Wörter*, p. 89.

² cf. 'proximo, altero, tertio, denique reliquis consecutis diebus' Cic. Phil. 1, 32; LHS 208.

³ qui usus est apud auctores aureae atque argenteae latinitatis rarissimus: quod sciam invenitur ap. Attam com. 9 et Mart. tantum, deinde ap. grammaticos et auctores christianos, cf. ThlL 4, 1100, 72 sqq.

canthum: apte dicit canthum, qui est *exterior* rotae pars (est enim ferum, quo extrinsecus rotae curvatura vincitur atque praemunitur).

curras: 'volvaris'.

iam transit ad stoicorum illud ὅτι μόνος ὁ σοφὸς ἐλεύθερος. 'ad sapientiam hortaturus materiam hanc sibi delegit dicens solum liberum esse sapientem. constat Aristippum sic iuvenes solere ad studium sapientiae hortari.' Schol. ad v. 73.

73-75 *libertate opus est non hac: ut quisque Velina / Publius emeruit, scabiosum tesserula far / possidet.*

sensus: 'haec vilis libertas respuenda, cuius effectus est scabiosum far possidere, i. e. quod quisque homuncio (ut puta Publius ex tribu Velina) facile possidere potest propter quod civis Romanus factus est'. nam pauperibus civibus, qui in aliqua tribu Romana censebantur, tessera dabatur, qua exhibita frumentum ex granariis publicis gratis accipiebant.

opus est non hac: cf. 'haud mihi vita / est opus hac' Hor. sat. 2, 6, 115 sq.

ut quisque Velina / Publius etc.: haec verbi causa fingit.

ut: ut in sententia relativa, cf. LHS 634. ordo: *ut quisque ... emeruit, ... possidet*. auditur ironice et: 'quatenus emeruit, possidet'.

emeruit: sc. hanc libertatem¹, supplendum ex v. 73.

scabiosum: gurgulionibus vel situ corruptum. per hoc vilitatem rei significat².

tesserula: vocabulum deminutivum exprimit contemptum, cf. 1, 22 adn. et Ind. 'deminutivum'.

far: per contemptum³ frumentum publicum significat, de quo supra dixi.

75-76 *heu steriles veri quibus una Quiritem / vertigo facit.*

sensus est: alieni a vero sunt qui putant, servos per solam manumissionem vere liberos homines fieri.

heu: licet sit plerumque interiectio luctuosa⁴, interdum tamen – velut hoc loco – ad sententiam efficacius exprimendam sine doloris significa-

¹ cf. 'emerui libertatem' Phaedr. append. 18, 10.

² cf. 'vilis tessera' Iuv. 7, 174.

³ cf. e. g. 'bilibris farris sperasse libertatem se civium suorum emisse' Liv. 4, 15, 6.

⁴ 'heu: ... luctuosa vox' Serv. Aen. 3, 317. cf. H. Tränkle, *Die Sprachkunst des Properz und die Tradition der lateinischen Dichtersprache* (Hermes-Einzelschriften,

tionem ponitur cf. *'heu dementia ... existimantium ad superbiam se genitos!'* Plin. nat. 7, 3; *'heu mores, Fabrici nos pudet!'* ib. 33, 153¹.

steriles veri: 'id est ignari veritatis' Schol. *sterilis cum gen.: KS 1, 442; LHS 78.*

steriles: quodammodo opponere licet illas non steriles iuvenum aures vv. 63 sq.

quibus: dativus iudicantis. LHS 96.

Quiritem: 'liberum hominem'. 'Quiritem autem singulariter abusive dixit poetica licentia. nam sicut pater conscriptus non dicitur, ita nec Quiritem dicere possumus' Schol. non absimili modo ludit poeta in 3, 106 (*hesterni ... Quirites*) adn.

vertigo facit: 'quia quotiens manumittebant, eos alapa percussos circumagebant et liberos confirmabant' Schol. servus, qui manumittebatur, apud magistratum (consulem praetoremve vel proconsulem) populi Romani vindicta (virga) tangebatur, dominus autem eum *vertebat* (vide v. 78) et sic e manu emittebat.

76-77 *hic Dama est, non tresis agaso / vappa lippus et in tenui farragine mendax:*
hic: cf. hac v. 73.

Dama: pro quovis nequam servo. hic non est persona certa, sed nomen usitatum servorum (Δάμας vel Δαμᾶς tractum a Δαμάτωος, Δημήτωος). apud Horatium² nequam servorum solitum nomen.

non tresis: vilis homo, ne unius quidem sestertii.

agaso: 'agaso: servus iumentorum ministerio deputatus' Schol. tales servi vilissimi habebantur.

vappā lippus: vilitatem hominis ebriosis egregie depingit. cf.: 'est et natura vitium musto quibusdam in locis iterum sponte fervere, qua calamitate deperit sapor: vappae accipit nomen, probrosus etiam hominum, cum degeneravit animus.' Plin. nat. 14, 125.

lippus: cf. 2, 72 (lippa) adn. cf. 'vino ... copiosiore laeduntur ... oculi' Plin. nat. 23, 38.

vol. 15) Wiesbaden 1960, p. 150; P. Fedeli, *Il primo libro delle elegie*, Firenze 1980, p. 88 (ad Prop. 1, 1, 38); Hofmann, *Lateinische Umgangssprache*, p. 14; 187.

¹ cf. P. Fedeli, *Properzio. Elegie. Libro IV*, Bari 1965, p. 86.

² sat. 1, 6, 38; 2, 5, 18, 101; 7, 54.

et in tenui farragine mendax: etiam in parvis rebus furax; qui quadrupes, quorum cura ei commissa est pabulo fraudat, ut furto surreptam farraginem quam a se datam mentitur, lucelli causa vendat. vel quia vilem farraginem emit, quam ero maiore pretio se emisse simulat.

tenui: 'vili atque exigua'.

farragine: 'farrago appellatur id quod ex plurimis satis pabuli causa datur iumentis' Paul. Fest. p. 81 L.

78-79 *verterit hunc dominus – momento turbinis exit / Marcus Dama.*

sensus: 'si dominus hunc Damam liberum esse iusserit – ex Dama fit Marcus Dama, egregius scilicet civis'.

verterit: 'si verterit'. vide Ind. ('coniunctivus: si deficit'). de re vide v. 76 (*vertigo* facit) adn.

momento turbinis: quasi 'momento vertiginis', festive dictum pro: 'momento temporis'.

exit: signate pro: 'fit, evadit', quasi de opere aliquo facto dicat, cf. '*amphora coepit / institui: currente rota cur urceus exit?*' Hor. ars 21 sq. ironiam melius intelleges si adn. ad 1, 45 (*aptius exit*) legeris.

Marcus: Dama iste manumissione accipit praenomen Romanum.

79-81 *papae! Marco spondente recusas / credere tu nummos? Marco sub iudice palles? / Marcus dixit, ita est. adsigna Marce tabellas.*

cf. '*vir bonus est quis? / "qui consulta patrum, qui leges iuraque servat, / quo multae magnaecque secantur iudice lites, / quo res sponsore et quo causae teste tenentur." / sed videt hunc omnis domus et vicinia tota / introrsum turpem, speciosum pelle decora*' Hor. epist. 1, 16, 40-45.

papae: 'interiectio mira subito accipientis' Donat. Ter. Eun. 317.

Marco spondente etc. nummos?: sensus: 'si Marcus pro aliquo spondeat, tu recusas pecuniam illi credere et in fide Marci acquiescere?' nam si quis, cui tuto credi non posse videbatur, pecuniam mutuam petebat, ab eo aliquis civis Romanus adhibebatur qui solutum iri creditori promitteret, h. e. *sponderet*.

recusas credere: vide Ind. s. v. 'infinitivus'.

nummos: cf. chol. 12 (*nummi*) adn.

Marco sub iudice palles?: cum sit iudex integerrimus, tu nihilominus times, ne contra ius damneris?

palles: prae timore. vide 3, 43 (*palleat*) adn.

Marcus dixit, ita est: nimirum αὐτὸς ἔφη. Marcus iste modo mendax (v. 77) testis est fide dignus: ita sunt omnia, ut dicit. cf. ‘*est, iudices, ita ut dicitur*’ Cic. Verr. 2, 4, 117. vide Theophrastum de adulate: εἰ δὲ παύεται [sc. αὐτὸς λέγειν], Ὅρθῶς char. 2, 4.

adsigna Marce tabellas: ‘sigillum tuum, Marce, his tabellis appone’. ironice dicit Marcum dignum esse tabularum testamenti aut nuptialium tabularum etc. obsignatorem.

Marce: audito praenomine suo vanus iste Marcus Dama exsultat, quod familiariter vel etiam adulatorie se appellari videt sentitque frequenti illa pronominis repetitione se vere civem Romanum esse. cf. ‘*gaudent praenomine molles / auriculae*’ Hor. sat. 2, 5, 32 sq.; Petron. 30, 3; 50, 1; 53, 3.

82 *haec mera libertas, haec nobis pillea donant.*
cum amara ironia concludit praecedentes versus.

haec mera libertas: sc. est.

haec: nom. sg., cf. tamen 2, 68 (*haec*) adn.

mera: ‘nihil nisi’, ‘pura atque absoluta’. cf. Hofmann, *Lateinische Umgangssprache*, p. 89.

pillea: pilleum manumissi ut libertatis signum accipiebant, cf. 3, 105 sq.

83-85 ‘*an quisquam est alius liber, nisi ducere vitam / cui licet ut libuit? licet ut volo vivere: non sum / liberior Bruto?*’

hic respondet adversarius fictus syllogismo probans, se, cum de sua sententia vivat, plane liberum esse. ‘*propositio talis est syllogismi: alius liber non est, nisi si cui licet vitam secundum suam voluntatem producere; assumptio est haec: mihi autem licet vivere, ut volo; deinde infertur conclusio: sum ergo Bruto liberior*’ Schol.

ducere vitam: ‘vivere, agere vitam’.

cui licet ut libuit: hoc spectat ad stoicam libertatis definitionem: ‘*libertas est potestas vivendi ut velis*’ Cic. parad. 34.

libuit: perfectum, quia voluntas praecedit actionem.

Bruto: L. Iunius Brutus, qui populum Romanum a rege Tarquinio Superbo oppressum in libertatem vindicavit, homo liber κατὰ ἐξοχήν.

85-87 *mendose colligis (inquit / Stoicus hic aurem mordaci lotus aceto): / haec reliqua accipio, ‘licet’ illud et ‘ut volo’ tolle.*

ad verba adversarii respondet Persius. ‘*contradicit autem philosophicis propositionibus hic Persius, syllogismi dicens falsam esse collectionem, quod omnis,*

qui vivit, sicut vult, liber sit. hic autem secundum quod in assumptione superius dixit, quod voluntati suae serviens vivat, cum vitiis sibi dominantibus trahatur Schol.

mendose: ‘male’. cf. v. 106.

colligis: ‘syllogismum facis’.

Stoicus hic: iocose: ipse Persius.

hic: pronomen, non adv.

aurem mordaci lotus aceto: atque ideo omnia false (cf. *mendose*) sonantia statim acriter acuteque sentiens. gravius enim audientibus acetum in aures infundebatur, quo sordes aurium emollirentur sonitusque emendaretur. cf. Plin. nat. 20, 4; Cels. 6, 7, 7b. (cf. praeterea nostrum 1, 126). Persius, cui Cornutus doctrinam stoicam instillaverat, purgatas aures habet (vide v. 63: *iuvenum purgatas inseris aures*) ideoque quae in adversarii syllogismo secum pugnent, sentit.

mordaci: ‘acri, forti’.

accipio: ‘concedo, probō’.

‘*licet*’ *illud et ‘ut volo’ tolle*: assumptionem tuam, tibi licere vivere ut velis (vide v. 84), reice.

88-90 ‘*vindicta postquam meus a praetore recessi, / cur mihi non liceat, iussit quodcumque voluntas, / excepto siquid Masuri rubrica vetabit?*’

etiamnum responsat adversarius: postquam liber factus sum, cur mihi non liceat quidquid libeat facere, nisi si quid iure prohibetur?

vindicta: (abl. instr.) ‘virga’, qua caput manumittendi servi dicis causa percutiebatur, vide v. 76 (*vertigo facit*) adn.

meus: ‘liber, mei iuris, ipse mihi dominus’. v. ThL 8, 916, 33 sqq.

praetore: vide v. 76 (*vertigo facit*) adn.

Masuri: Masurius Sabinus, iuris consultus κατὰ ἐξοχήν.

rubrica: pro ‘leges’¹.

91-188 evincit Persius interlocutorem verae libertatis expertem esse docetque quis sit vere liber.

¹ proprie: tituli legum (nam rubrica est ‘minium, quo tituli legum annotabantur’ Schol.) quas Masurius adnotabat. cave intellegas: ‘leges Masurii’, nam Masurius leges adnotabat tantum, non ferebat.

91-92 *disce, sed ira cadat naso rugosaque sanna, / dum veteres avias tibi de pulmone revello.*

sensus: 'disce, inquit, et desine irasci, quo possim, dum subsannationem posueris, aniles fabulas, quas nutris, de tuis praecordiis extrahere' Schol.

disce, sed ira cadat: v. Ind. s. v. 'variatio'.

disce: cf. 3, 73.

naso: de naso irae sede vide 1, 109 (*de nare*) adn. cf. 1, 33 (*nare*) adn.

rugosa: propter nasum corrugatum irridentis atque aspernantis¹.

sanna: vide 1, 62 (*sannae*) adn.

dum: intra quod temporis spatium, ThLL 5, 1, 2203, 27 sqq.

veteres avias: (metonymice) 'diu conceptas, inveteratas (atque eo graves) easque vanas opiniones tuas'. cf. '*veteres avias dicit aut aniles inepitias aut inveteratam stultitiam*' Schol.

veteres: (per longum tempus) inveteratas'. cf. 1, 97 (*vetus*) adn.

de pulmone: 'de stultitia tua'. pulmonem dicit vanis opinionibus stolide intumescencia adversarii praecordia². minus recte intepreteris si fingas Persium adversarii malam mentem propugnare, quae per vocem ex pulmone producat³.

93-94 *non praetoris erat stultis dare tenuia rerum / officia atque usum rapi-
dae permittere vitae;*

'sensus est: officium est praetoris libertatem stultis, non sapientiam concedere' Schol.

praetoris: vide v. 88 et v. 76 (*vertigo facit*) adn.

stultis: sensu 'non sapientibus' vox stoica. cf. e. g. '*Stoici omnes homines insanos et stultos esse dicunt excepto sapiente*' Porph. ad Hor. sat. 2, 3, 32.

¹ cf. '*naribus labrisque ... derisus ... , contemptus, fastidium significari solet*' Quint. 11, 3, 80; '*corruget naris*' Hor. epist. 1, 5, 23.

² praeterea homo stupidus πλεύμων (i. e. pulmo marinus) vocabatur, cf. Epicur. fr. 236 Usener et H. Usener, *Glossarium Epicureum* edendum curaverunt M. Gigante et W. Schmid, Roma 1977, p. 547 sq. neque prorsus alienus est Plinii locus: '*stolide tument pulmonea [sc. mala]*' nat. 15, 52.

³ cf. '*a pulmonibus arteria usque ad os intimum pertinet, per quam vox principium a mente ducens percipitur et funditur*' Cic. nat. deor. 2, 149; cf. Zeno SVF 1, 148. cf. '*cor sapit et pulmo loquitur, fel commovet iras / splen ridere facit, cogit amare jecur*' Ebrardus (saec. XII) cit. in: *Menagiana*, Paris 1729, vol. 1, p. 175.

tenuia: 'subtilia', quae sine acuto subtilique iudicio non distinguuntur. tenuia tribus syllabis, ut fere fit, pronuntiandum. cf. 6, 24 (*tenuis ... salivas*).

rerum: pro: 'vitae'.

usum ... permittere vitae: 'permittere, ut uterentur vita'.

usum: cf. v. 52 (*rerum ... usus*) adn.

rapidae ... vitae: 'rapacis vitae'. stultos vita vehementer secum rapit, quasi ludibria flumen aut ventus.

95 *sambucam citius caloni aptaveris alto*.

sensus: facilius fuerit ut agrestis servus instrumentum musicum scienter tractet, quam recte vivendi rationem ineat stultus.

sambucam: est nobile instrumentum trigoni¹ forma, quattuor² (aut plurium) chordarum, peritis³ tantum musicis aptum.

citius: 'potius'.

caloni: cf. 'calones militum servi dicti, quia ligneas clavos gerebant, quae Graeci κᾶλα vocant' Paul. Fest. p. 54, 19 sq. L., cf. Porph. ad Hor. epist. 1, 14, 42; Non. p. 62, 13 sq. M. calones igitur apti sunt ad durum lignum ferendum ideoque minime idonei ad sambucam tractandum.

aptaveris: aptare alicui aliquid est 'aliquid alicui idoneum, conveniens facere'. cf. 1, 45 (*aptius*) adn. aliter v. 140.

alto: atque adeo stolido⁴; simili significato dicitur *ingens* v. 190; *torosus* 3, 86; *pinguis* 6, 77 adn. calones propter multi laboris necessitatem grandis staturae eligebantur.

96-97 *stat contra Ratio et secretam garrin in aurem, / ne liceat facere id quod quis vitiabit agendo*.

cf. 'resistit ratio, id est sapientia, ne alicui liceat illud facere quod agendo peius vitiosum efficiat' Schol.

stat contra: 'obstat, se opponit, resistit'. haec formula non tantum vim inferentis (ut Iuv. 3, 290) est, sed etiam monentis (ut h. l.) vel accusantis, cf. 'stat contra dicitque tibi tua pagina "fur es"' Mart. 1, 53, 12 nec non Iuv. 8, 138.

¹ cf. Vitruv. 6, 1, 5.

² Athen. 14, 633f.

³ cf. Aristot. pol. 8, 6 1341a 41 – 1341b 1.

⁴ nam praegrandes homines plerumque natura hebetiores sunt, cf. οἱ ἄγαν μεγάλοι βραδέεις etc. Arist. Physiogn. 6, 813b, 9 sq.; 'maiore corporis sarcina animus eliditur et minus agilis est' Sen. epist. 15, 2.

Ratio: cf. v. 39 (*ratione*) adn. de stoicorum ratione, quae prava prohibet cf. SVF 3, 323.

secretam ... aurem: auris dicitur secreta in qua res clam aliis deponuntur.

garrit: quasi summissa voce familiariter loquatur¹. vocabulum sermonis familiaris proprium, vide Hofmann, *Lateinische Umgangssprache*, p. 155.

liceat: cf. 'licet' v. 84.

98-114 syllogismo adversarii (vide vv. 83-85) Persius suum syllogismum obicit, cuius propositio est: *publica lex naturaue continet* etc. (vv. 98 sqq.), assumptio: *tibi recto vivere talo / ars dedit* etc. (vv. 104 sqq.), conclusio: *esto liberque* etc. (vv. 113-114).

98-99 *publica lex hominum naturaue continet hoc fas, / ut teneat vetitos inscitia debilis actus*.

publica lex hominum naturaue: leges hominum² et naturae. ceterum magis hoc universale quam *Masuri* tantum *rubrica* (v. 90).

fas: praeceptum universale.

ut etc.: ordo: 'ut debilis inscitia teneat vetitos actus', i. e. 'ut inscitia inhibeat vetitos actus'.

teneat: 'coerceat, remoretur' vetitas actiones.

inscitia: hoc vocabulum, cum desit apud iuris consultos, idem significat quod 'imperitia'. (adi, si vacet, interpretationes iuris consultorum ad legem Aquiliam in dig. 9, 2 ubi multa de damno per imperitiam commisso invenies. cf. e. g. 'imperitiam culpae adnumerandam ... puta si quis vitulos pasceudos vel sarcendum quid poliendumve conduxit, culpam eum praestare debere, et quod imperitia peccavit, culpam esse: quippe ut artifex ... conduxit' Cels. ap Ulp. dig. 19, 2, 9, 5).

debilis: quae ratione caret. ex mente stoicorum dicit, cf.: τὴν γὰρ ἄγνοιαν μεταπτωτικὴν εἶναι συγκατάθεσιν καὶ ἀσθενῆ Stob. 2, 7, 11m p. 111 W.

¹ cf. 'vicinus garrit [i. e. comiter sermone cottidiano narrat] anilis / ex re fabellas' Hor. sat. 2, 6, 77 sq.; cf. ib. 1, 10, 41.

² 'publica lex' apud Persium latius patet quam apud iuris consultos, cf. e. g. 'testamentum facere ... secundum legem publicam' Gai. 2, 104.

100-104 duobus exemplis confirmat quae supra dixerat. cf. *‘navem agere ignarus navis timet, habrotonum aegro / non audet nisi qui didicit dare’* Hor. epist. 2, 1, 114 sq.¹

100-101 *diluis elleborum, certo conpescere puncto / nescius examen: vetat hoc natura medendi.*

primum exemplum: damnat hominem medicinae ignarum qui medicamenta miscere audet.

diluis: ‘si diluis’, i. e. misces aqua vel aliquo liquore. hoc est medicorum. est enim ellebori medicina valde periculosa: nisi iuste diluas, hominem perdas.

elleborum: ellebori varius in medicina usus fuit, cf. e. g. 1, 51; 3, 63; 4, 16.

certo: ‘suo, definito’, quod scire debebas.

conpescere: ‘temperare’, debito puncto sistere.

examen: h. e. iugum staterae. cf. 1, 6 adn.

vetat hoc natura medendi: immo et leges latae hoc prohibent, cf. *‘quod per imperitiam commisit, imputari ei [sc. medico] debet’* Ulp. dig. 1, 18, 6, 7 – sed universaliores leges curat Persius.

natura medendi: ‘ratio atque indoles artis medicae’.

102-104 *navem si poscat sibi peronatus arator / Luciferi rudis: exclamet Melicerta perisse / frontem de rebus.*

alterum exemplum: ‘si arator siderum cursus nescius munus magistri navis subire velit, indignabitur Melicerta.’

peronatus: ‘peronibus calceatus’. pero est genus calciamenti rusticis² aptum, nautis non item.

Luciferi rudis: ‘qui ne stellae Veneris quidem cursum novit’ i. e. siderum rationis omnino ignarus. nauta vero sine siderum cursus notitia navem recte gubernare non potest.

Melicerta: deus nautarum patronus. *‘Melicertes deus marinus, Inus filius, in deorum numerum relatus, qui graece Παλαίμων, latine Portunus dicitur’* Schol.

¹ aliter atque Persius exemplis medicinae et gubernationis utitur Plato Rep. 341c-342e, aliter Stoici (vide Cic. fin. 3, 24-25 (quod inspicias velim, est enim operae pretium), ubi Epicurei (cf. ib. 1, 42) refelluntur).

² cf. *‘pero ... est rusticum calciamentum’* Serv. Aen. 7, 689.

perisse / frontem de rebus: pudorem omnino ubique perisse, 'impudentissime totam rerum naturam esse perversam' Casaub.

perisse / frontem: 'perisse pudorem' (Hor. epist. 2, 1, 80). 'perisse frontem: nullum esse pudorem. templum enim pudoris est frons' Schol.

104-105 *tibi recto vivere talo / ars dedit?*

haec sententia cum vv. 100-104 sic connectitur: arte opus est non solum ad medicinam exercendam vel ad navem regendam, sed etiam ad vitam recte instituendam.

*recto vivere talo: 'recte vivere'. recto talo ire idem est quod firmiter incedere¹ (nam τὰ ... μὲ ὀρθὰ τῶν σφυρῶν ... σφάλλει τὸ σῶμα Philostr. gymn. 35). huic imagini opponitur *inscitia debilis* (v. 98).*

ars: sapientia, quae est τέχνη τοῦ βίου. philosophiam artem vivendi esse tralatitium apud multos veteres philosophos (non tantum apud stoicos) fuit², his tamen qui sequuntur versibus stoicorum potissimum κατορθώματα respicit Persius.

dedit: i. e. docuit.

105-106 *et veri specimen dinoscere calles, / nequa subaerato mendosum tinniat auro?*

sic fere continuatur: ut nummularii (vel sim.) arte³ sua adulterinos nummos tinnitu dignoscunt, tu artem possides verum a falso discernendi?

veri specimen dinoscere: cf. 'pauci dinoscere possunt / vera bona atque illis multum diversa, remota / erroris nebula' Iuv. 10, 2 sqq.; Sen. epist. 45, 6-7. nempe difficile est tali homini veri specimen discernere, cui potius 'aurum atque ambitio specimen virtutis ... est' (Lucil. 1119 M).

specimen: 'exemplar atque indicium'.

dinoscere: cf. v. 24 sq.

calles: 'perfecte scis'. vide 4, 5 adn.

¹ cf. ὀρθῶ / ἔστασας ἐπὶ σφυρῶ Pind. Isth. 7, 12 sq.; ὀρθῶ δὲ βῆναι ποδί Eur. Hel. 1449; 'recto stet fabula talo' Hor. epist. 2, 1, 176; οὐκ ὀρθοποδοῦσιν πρὸς τὴν ἀλήθειαν τοῦ εὐαγγελίου Nov. Test. Gal. 2, 14 (cf. Häußler, *Nachträge*, p. 200 sq.).

² cf. e. g. SVF 2, 35; 3, 136; ib. 516; Cic. acad. 2, 23; fin. 1, 42.

³ cf. '... miscent aera falsae monetae ... igitur ars facta denarios probare ... et falsi denarii spectatur exemplar' Plin. nat. 33, 132.

nequa: (indefinitum adverbium) modali significatione dicitur ut idem sit quod: 'ne aliqua ratione'. de '*nequa*' ultima brevi, vide Indicem ('proso-
diaca ...').

subaerato: vocabulum expressum ad Graecum ὑπόχαλκος, cf. e. g. ὑπόχαλκον δέ σου τὸ χρυσίον Anon. ap. Suid. s. v. ὑπόχαλκον.

mendosum tinniat: vide Ind. ('accusativus obiecti interni'). cf. 3, 21; 5, 25.

mendosum: cf. v. 85 (*mendose*).

tinniat: nota res est, metalla quando pulsantur tinnitu dinosci¹.

107-108 *quaeque sequenda forent quaeque evitanda vicissim, / illa prius creta, mox haec carbone notasti?*

sensus: 'probe scis quae expetenda sint et quae respuenda? probas itaque ea quae sequenda sint, damnas quae respuenda?'

sequenda ... evitanda: cf. αἰρετὰ atque φευκτὰ stoicorum, Stob. 2, 7, 5i, p. 72 W, cf. e. g. 'quotiens quid fugiendum sit aut quid petendum voles scire, ad summum bonum, propositum totius vitae tuae, respice' Sen. epist. 82, 6.

vicissim: 'et contra', secundum vicissitudinem rerum.

illa: sc. quae sequenda sint.

prius ... mox: 'primum ... deinde', h. l. non temporis ordo exprimitur sed progressus narrationis atque rerum vicissitudo: 'vicissim, prout quaeque sequenda aut evitanda sunt, vel probas vel damnas'. cf. 6, 5 (*mox*) adn.

haec: sc. quae evitanda sint.

creta ... carbone notasti: est quasi proverbium², cf. 'sani ut creta, an carbone notati' Hor. sat. 2, 3, 246. cf. 2, 1 sq.; 4, 13.

notasti: similiter iudices, qui notas quasdam scripto apponebant quibus '*sequenda et vitanda aperte demonstrarent*' Isid. orig. 1, 23, 2. cf. 4, 13 (*theta*) adn.

109 *es modicus voti, presso lare, dulcis amicis?*

es modicus voti: 'moderata exoptas'. cf. 3, 69 (*quis modus argento, quid fas optare*).

¹ cf. ὑπόχαλκόν τε ἤχῳ φέρουσιν Philostr. vit. Ap. 3, 8; '*aerato sonitu galeae* [sc. tinniunt]' Enn. ann. 393 Sk.; '*nam sonis homines ut aera tinnitu dinoscimus*' Quint. inst. 11, 3, 31.

² Otto, *Sprichwörter*, p. 65 (nr. 299); Häußler, *Nachträge*, p. 264.

presso lare: ‘moderatā re familiari’.

dulcis amicis: is qualis esse solet, habes in Cic. amic. 66: ‘*accedat huc suavitas quaedam oportet sermonum atque morum, haudquaquam mediocre condimentum amicitiae. ... amicitia remissior esse debet et liberior et dulcior et ad omnem comitatem facilitatemque proclivior*’.

110 *iam nunc adstringas, iam nunc granaria laxes,*

sensus: ‘possisne sumptus tuos, prout res et tempus postulent, minuere et augere?’ ‘*scias, quando parsimonia opus sit, et quando large vivendum sit*’ Schol. hoc est enim sapientis, scire, quando potissimum (etenim in tempore utraque res facienda est: *iam nunc ... iam nunc*) pecuniae parcendum sit, quando largiendum. ceterum cf. e. g. ‘*quae (sc. liberalitas) ita temperanda est, ne nimia profusione inarescat*’ Plin. ep. 2, 4, 4.

iam nunc ... iam nunc: idem fere quod ‘modo ... modo’, sed contentius fortiusque dictum, colore: scis, quo *potissimum* tempore adstringas ...). ceterum v. ThlL 7, 1, 118, 60 sqq.; 77.

adstringas ... laxes: in hac orationis forma, qua aliquid fieri posse sub conditione (‘si sint tibi granaria ...’, ‘si nummum in luto invenias ...’), vide infra dicitur, coniunctivus potentialis iuste ponitur. noli igitur mirari, cur oratio ab indicativo modo (vide supra, ubi simpliciter interrogat, e. g. *notasti?, es modicus voti?*) desciverit.

adstringas: sc. granaria, i. e. ‘parcas opibus’.

granaria laxes: i. e. liberalitatem exerceas, aperiendo et quasi exponendo opes tuas, arcam, horrea etc. cf. *granaria ... emole* 6, 25.

111 *inque luto fixum possis transcendere nummum*

sensus: ‘potesne nummum luto inhaerentem aequo animo transgredi et non tollere?’ i. e. ‘caresne sordida avaritia?’ cf. ‘*paratus fuit quadrantem de stercore mordicus tollere*’ Petron. 43, 1. h. l. Horatium respexit: ‘*qui melior seruo, qui liberior sit avarus, / in triviis fixum cum se demittit ob assem, / non video*’ epist. 1, 16, 63-65.

possis: vide superiorem versum (*adstringas ... laxes*) adn.

nummum: cf. chol. 12 (*nummi*) adn.

112 *nec gluttu sorbere salivam Mercurialem?*

sensus: ‘inhiasne lucro?’ cf. ‘*cupidi pecuniae, cum lucrum vident, velut gulosi visis deliciis, salivam gluttunt*’ Schol.

gluttu: 'haustu'. vocabulum quod ante Augustinum praeter grammaticos apud Persium tantum invenitur, ThLL 6, 2120, 18.

sorbere: hoc verbum aviditatem bibendi (q. e. cupiditas devorandi lucri) exprimit, cf. 4, 32 (*sorbet*) adn.

salivam Mercurialem: pompaticae salivam Mercurialem dicit, quae lucri cupiditate movetur. Mercurium autem patronum lucri esse, nota res est, vide 2, 44 (*Mercuriumque*) adn.

113-114 '*haec mea sunt, teneo*' cum vere dixeris, esto / liberque ac sapiens praetoribus ac Iove dextro.

poeta concludit sub hac condicione: 'si vere dixeris te omnia animi bona quae modo enumeravi tenaciter possidere, tum pronuntiandus eris vere liber atque sapiens'.

liberque ac sapiens: nam '*negant Stoici quemquam liberum esse praeter sapientem*' Ps. Acro Hor. epist. 1, 19, 19. alludit ad stoicum illud solum sapientem esse liberum, et omnem stultum servum (e. g. Cic. parad. 33-41).

praetoribus: de re vide v. 88 et v. 76 (*vertigo facit*) adn.

Iove dextro: cf. '*Iove ... aequo: propitio. siquidem Iove irato fit, ut errent homines ac delirent*' Porph. ad Hor. epist. 2, 1, 68. fortasse respicit etiam Iovem liberatorem¹, stoicis reverendum, in cuius tutela libertas erat, cf. καὶ ἐλευθέριον [sc. τὸν Δία] προσαγορεύουσιν Cornut. de nat. deor. p. 9, 17 Lang. non male Schol.: '*Iovem ad libertatem animi, id est sapientiam, praetorem autem dixit ad eam libertatem quae servitutis caret condicione*'.

115-118 'si autem tu, cum antea aequae vitiosus ac nos fueris et nunc simulata fronte pristinum animum geris, quod supra te vere liberum esse concesseram, retracto.'

115 *sin tu, cum fueris nostrae paulo ante farinae*

nostrae ... farinae: 'eiusdem condicionis, qua et nos sumus', 'eiusdem generis'², i. e. 'non melior quam nos, qui non sumus homines sapientes'. nota modestiam poetae, qui se virum sapientem non putat, cumque de *no-bis* loquitur, significat tantum de iure liberos (cf. '*hoc nobis pillea donant*' v. 82).

¹ cf. Schol. Iuv. 5, 36; Tac. ann. 15, 64; 16, 35.

² metaphora a panibus ex eadem farina factis, cf. Otto, *Sprichwörter*, p. 132 (nr. 643); Häußler, *Nachträge*, p. 160.

116-117 *pelliculam veterem retines et fronte politus / astutam vapidō servas in pectore vulpem,*

pelliculam veterem retines: 'priorem tuum habitum retines', i. e. 'pristinam tuam pravitatem non exuis': nam vulpes mutat pilum¹ non pellem. ceterum de pellicula sensu 'intimus habitus, mores' cf.: '*sapientem undique submovent et intra cutem suam (= intra mores suos) cogunt*' Sen. epist. 9, 13; '*in propria non pelle quiessem*' (= proprium meum habitum non retinuissem) Hor. sat. 1, 6, 22. cf. praeterea '*ego te intus et in cute novi*' 3, 30. deminutivus innuit, indolem hominis pravam esse.

veterem: cf. 1, 97 (*vetus*) adn.; '*ad ingenium vetus vorsutum te recipis tuom?*' Plaut. asin. 255.

fronte politus: pro: 'fronte politā' i. e. 'simulatā sapientiā'. cf. '*ut in fronte ostentatio sit, intus veritas occultetur*' Cic. fin. 2, 77; '*Pompeius ... Scauro studet, sed utrum fronte an mente, dubitatur*' id. Att. 4, 15, 7.

astutam etc.: pro: 'astute in corrupto tuo animo vitia servas'.

vapidō: metaphora a vino corrupto, cf. 5, 78 (*vappa*) adn.

vulpem: hac imagine stoici etiam utebantur, cf. οἱ πλείους δ' ἡμῶν ἀλώπεκες καὶ ὡς ἐν ζώοις ἀτυχήματα. τί γάρ ἐστιν ἄλλο λοιδορός καὶ κακοήθης ἄνθρωπος ἢ ἀλώπηξ Epict. 1, 3, 7. cf. Otto, *Sprichwörter*, p. 379 (nr. 1939).

118 *quae dederam supra relego funemque reduco:*

dederam supra: 'antea concederam'. *supra* (i. e. versibus 113-114) autem concederat illud: '*esto / liberque ac sapiens praetoribus ac Iove dextro*'.

relego: 'recolligo, recipio', i. e. 'retracto', infectum facio quae concesseram, nego te vere liberum esse.

funemque reduco: 'funem² servitutis rursus tibi immitto', i. e. 'servum te esse declaro; in pristinum servitutis statum te revoco, reduco'¹.

¹ cf. '*proclamavit vulpem pilum mutare, non mores*' Suet. Vesp. 16; Otto, *Sprichwörter*, p. 379 (nr. 1940); Häußler, *Nachträge*, p. 230; 294. ceterum ex ore amici mei Francisci Messana Siculi, iuvenis rusticani sed plane festivissimi, Siculorum proverbium excepi: 'La volpe perde il pelo ma non il vizio'. idem proverbium invenitur in: Giuseppe Pittano, *Dizionario dei modi di dire, proverbi e locuzioni*. Bologna 1992, p. 131.

² cf. vincula servitutis, '*rupi iam vincula*' v. 158. cf. ital. *mettere la corda al collo a qualcuno*.

minus apposite interpretari videntur qui *'funemque reduco'* pro: *'muto sententiam'*² explicant. sunt qui de fune cogitent quo ducuntur animalia (ut puta boves, cf. Iuv. 12, 5), quae laxato fune liberius vagantur, intento autem atque manu recollecto vagandi libertatem amittunt³; sed *funem reducere* sensu *'astringere'* latinitas, quod sciam, non admittit.

119-120 *nil tibi concessit ratio; digitum exere, peccas, / et quid tam parvum est?*

'es rationis omnino expers, levissima quaeque actio tua vitiosa est.' stoici ne minimam quidem operam vel actionem stultos recte facere posse aiebant. cf. e. g. εἰ γὰρ οὐδὲ τὸν δάκτυλον ὡς ἔτυχε σαλεύειν τῷ σοφῷ ὁ λόγος ἐπιτρέπει, ὡς ὁμολογοῦσιν οἱ Στωϊκοί Clem. Alex. paed. 2, 10, 90 (= SVF 3, 730).

ratio: cf. v. 39 (*ratione*) adn.

digitum exere: digitum exerere vel digitum porrigere locutio proverbialis est quae ab ipsis stoicis dici solebat de actione minima, cf. Cic. fin. 3, 57; Plut. adv. stoic. 8, p. 1061 f.

exere, peccas: vide Ind. (*'imperativus: in apodosi condicionalis sententiae'*).

et quid tam parvum est?: sc. quam digitum exerere. sed friget hoc. itaque aut Persius minus eleganter dixit aut ego ineptus qui sensum non assequar. fortasse intellegendum est: quid est tam parvum, quod, nisi recte fit, te stultum esse non indicet?

120-122 *sed nullo ture litabis, / haereat in stultis brevis ut semuncia recti.*

stultos dicit nullo pretio impetrare posse, ut vel exiguam particulam recti in animo habeant. cf. *'stultus omnia vitia habet'* Sen. ben. 4, 27, 1; SVF 1, 216; 3, 657.

litabis: cf. 2, 75 (*litabo*) adn.

¹ cf. *'in servitutem reduci'* Cod. Iust. 6, 3, 2.

² licet aliquatenus conferendus esset Ciceronis in Hortensio locus: *'itaque tibi concedo, quod in duodecim scriptis solemus, ut calculum reducas, si te alicuius dati poenitet'* fr. 60 Müller = p. 43, 1 Plasberg.

³ cf. *'qui iam contento, iam laxo fune laborat'* (de insano) Hor. sat. 2, 7, 20 (ubi Kießling: *'wie ein Tier am Stricke, welches bald kurzgehalten wird, bald freieren Spielraum zu Bewegungen hat, um schließlich durch einen unsanften Ruck wieder zurückgerissen zu werden'*); *'tortum digna sequi potius quam ducere funem'* id. epist. 1, 10, 48.

haereat in stultis: cf. ‘denique quatenus excidi penitus vitium irae, / cetera item nequeunt stultis haerentia’ Hor. sat. 1, 3, 76 sq.

haereat: ‘firmiter) insideat’.

stultis: vide v. 93 (*stultis*) adn.

brevis: ‘exigua’, cf. ‘breve pondus’ Hor. sat. 2, 2, 37.

recti: ἀρετῆς.

122-123 *haec miscere nefas, nec cum sis cetera fossor, / tris tantum ad numeros satyrum moveare Bathylli.*

sensus: ut homo rusticus si perfectum saltatorem imitetur, inconditos tantum motus edat, ita homo stultus sapientiam assequi non potest.

haec miscere: sc. stultitiam cum recto.

cetera: ‘in ceteris’, ‘in reliqua vita’. cf. KS 1, 286 sq.

nefas: ἀδύνατον, siquidem contraria non miscentur.

tris tantum ad numeros: gestus tuos ad certum rhythmum (*ad numeros*) ne per brevissimum quidem temporis spatium (*tris tantum*: ne tres quidem motus rite perficias) congruenter alligare possis.

satyrum moveare: ‘satyrum saltatione exprimas’ (i. e. ita saltes ut satyrum, quem Bathyllus saltare solebat, imiteris et referas); ut graece dicimus: νομίμως ὀρχεῖσθαι Σάτυρον. vide Ind. (‘accusativus obiecti interni’). ceterum festive dixit Persius, cum fossor, homo ineptus, satyrum satyrorum modo (i. e. incondite, cf. Verg. ecl. 5, 73) saltare bene possit, sed Bathyllum, satyrum summa arte saltantem, non item.

Bathylli: ‘Bathyllus autem pantominus fuit Maecenatis libertus’ Schol. hic Bathyllus prae ceteris mire artem suam callebat, cf. Sen. contr. 3 praef. 16.

124 sqq. probat omnes stultos nihil arbitrio suo facere atque ideo servos esse et quidem multorum dominorum servos. cf. e. g. ἐλεύθερός ἐστιν ὁ ζῶν ὡς βούλεται, ὃν οὔτ’ ἀναγκάσαι ἔστιν οὔτε κωλύσαι οὔτε βιάσασθαι ... οὐδεὶς ἄρα τῶν φαύλων ζῆ ὡς βούλεται· οὐ τοίνυν οὐδ’ ἐλεύθερός ἐστιν. Epict. 4, 1, 1 et 3.

124 ‘liber ego’ unde datum hoc sumis, tot subdite rebus?

‘liber ego’: haec sunt verba poetae, qui adversarium illudit: quomodo te liberum esse putas, cum tot rebus servias?

unde datum hoc sumis: ‘unde datum (= concessum) est tibi, ut hoc (sc. te liberum esse) putes’.

125 *an dominum ignoras nisi quem vindicta relaxat?*

‘putasne nullum dominum esse nisi a quo vindicta praetoris te liberat?’
praeter exteriores enim dominos sunt etiam interiores (i. e. libidines).

dominum ... quem vindicta relaxat: sensu: ‘dominum, cuius imperium vindicta solvit’.

vindicta: vide v. 88 (*vindicta*) adn.

126-127 ‘*i puer et strigiles Crispini ad balnea defer*’ / – *si increpuit* – ‘*cessas nugator?*’: *servitium acre*.

sensus: ‘si dominus iubeat ut strigiles ad balnea Crispini feras atque insuper minaciter te obiurget, fatearis te acerba servitute teneri’. exemplum fingit quod servilem condicionem, variis servitutis incommodis repraesentatis, plane illustret; haec sunt enim servi erga dominum officia: ‘*poscit, dandum est; vocat, veniendum est; eiicit, abeundum est; minatur, extimescendum est.*’ Cic. parad. 36.

puer: ‘servus’. h. l. fortasse de tenerae aetatis servo cogitandum, nam *scutica* (v. 131) pueri potissimum verberabantur.

strigiles: veteres strigilibus post balneum sudatorium utebantur ad sordes aut humores in cute resiuduos deradendos.

Crispini: de hoc privatarum balnearum possessore (sive aedificatore) nihil comperti habemus.

defer: dominus iubet strigiles deferri ad balnea ubi loturus est. ceterum strigiles et ampullas ad balnea deferre solitum servorum officium fuit¹.

cessas nugator?: his verbis domini servos in officiis exsequendis tardiores² (qui cessatores etiam appellabantur) increpare solebant.

128-131 ‘tu quidem nullum extra te dominum habes, sed cum intus vitiosus sis, non minus servire videris quam qui iussu iurgiosi domini servilia ministrat’.

128-129 *te nihil impellit nec quicquam extrinsecus intrat / quod nervos agitet?*

nervos agitet: translatio ab ligneis hominum figuris (vulgo: marionettae) quae in theatro τῶν νευροσπαστῶν nervis (i. e. filis) agitantur. cf. ‘*nempe / tu, mihi qui imperitas aliis servis miser atque / ducers ut nervis alienis mobile lignum*’ Hor. sat. 2, 7, 80 sqq.; Plato leg. 1, 644e – 645b.

¹ cf. e. g. Petron. 91, 1.

² cf. ‘*nam cessat desidiosus, requiescit defessus*’ Donat. Ter. Eun. 405.

129-131 *sed si intus et in iecore aegro / nascuntur domini, qui tu inpunitior exis / atque hic quem ad strigilis scutica et metus egit erilis?*

cf. *'colligit non minus seruire eum qui vitio deditus est quam qui a domino ob segnitiam ministerii potest verberari. quo pacto te ergo seruum negas, cuius pectus animumque tot dominationes obsederunt i. e. avaritia cupiditas aliaeque res?'* Schol.

iecore: de iecore affectuum sede vide 1, 25 (*iecore*) adn.

domini: animi affectus dicit ut puta avaritiam (vv. 132 sqq.), luxuriam (vv. 142 sqq.), amorem (vv. 161 sqq.), ambitionem (vv. 176-179), superstitionem (vv. 179).

qui: adv.

inpunitior: 'liberior', cf. v. 32 (*inpune*) adn.

exis: fortius quam 'fis, es', cf. v. 78 (*exit*) adn.

atque: post comparativum (*inpunitior*), sensu: 'quam'.

hic: servus scilicet, qui sub domino est.

ad strigilis: sc. portandas. vide v. 126.

strigilis: vide v. 126.

scutica: qua pueri potissimum puniebantur¹, sive etiam provecioris aetatis servi ob levia delicta, cf. v. 126 (*puer*) adn².

metus ... erilis: metus domini.

132-153 prosopopoeia Avaritiae (vv. 132 sqq.) et Luxuriae (vv. 142 sqq.). cf. v. 130 (*domini*) adn.³

132-134 *mane piger stertis. 'surge' inquit Avaritia 'eia / surge.' negas. in-stat: 'surge' inquit. 'non queo.' 'surge.' / 'et quid agam?'*

'demonstraturus quae vitia intra pectus hominis dominantur inducit dormientem excitari ab Avaritia et ab ea obiurgari' Schol.

stertis: vide 3, 3 adn.

eia: est eius qui morae impatiens cessantem corripit et excitat, cf. *'heia interdum hortantis est'* Donat. Ter. Eun. 1065. et Skutsch ad Enn. ann. fr. 603 Sk.

¹ cf. *'anguilla est qua coercentur in scholis pueri, quae vulgo scutica dicitur'* Isid. orig. 5, 27, 15; *'ut impuberes (sc. servi) non torqueantur; terreri tantum solent et habena vel ferula caedi'* Ulp. dig. 29, 5, 1, 33.

² cf. *'ne scutica dignum horribili sectere flagello'* Hor. sat. 1, 3, 119.

³ non invenuste Persium imitatur Boileau sat. 8, 66 sq.

134-135 *‘rogat! en saperdas advehe Ponto, / castoreum, stuppas, hebenum, tus, lubrica Coa.*

incitat Avaritia desidem dormientem, ut merces ex longinquis terris lucri causa asportet.

rogat!: ‘ut solent irascentes, avertit orationem a secunda ad tertiam personam, ab ea qua loquebatur ad aliam’ Donat. Ter. Andr. 877.

saperdas: ‘*saperda* genus est salsamenti quod ex pisce [cui nomen coracino (= Sparus chromis) est] fit’ Schol.

Ponto: ‘ex Ponto’.

castoreum: genus medicamenti. est fibrorum humor lentus et graveolens, qui in glandula quadam nascitur praeputio adhaerente. castoreum Ponticum pretiosissimum habebatur¹.

hebenum: merx Indiae² et Aethiopiae³.

tus: merx Araba⁴.

lubrica Coa: Coa vestis pretiosa, quae adeo pellucida atque tenuis est ut quasi nebula prensantium manus eludat.

136 *tolle recens primus piper et sitiente camelo.*

tolle recens primus piper: ‘primus tolle recens piper’. nota res narratur: mercator qui aemulos praevenit, optimas quasque merces pretio quam minimo coemit.

recens ... piper: ‘*nuper de camelo depositum*’ Schol. ceterum de pipere cf. 3, 75; 5, 55.

sitiente camelo: (ablat. abs.). sitiunt scilicet cameli, qui piper Indicum⁵ ut puta Alexandriam modo attulerunt (ideo piper *recens* dictum est) neque tempus adhuc habuere ut sitim exstinguerent.

137 *verte aliquid, iura.* ‘*sed Iuppiter audiet.*’

verte aliquid: ‘commuta aliquid’ i. e. ‘age negotium aliquod’; dictum non solum de mercatura, sed etiam de omni quaestuosio negotio.

¹ cf. Verg. geo. 1, 58-59; Plin. nat. 32, 27; Strab. 3, 4, 15.

² Theophr. hist. plant. 4, 4, 6; Verg. geo. 2, 116 sq.; Plin. nat. 12, 17.

³ Hdt. 3, 114; Lucan. 10, 117; 303 sq.

⁴ Hdt. 3, 107; Plin. nat. 12, 51; Verg. geo. 2, 117.

⁵ de itinere Indico vide Plin. nat. 6, 102; 105.

iura: sensu ‘peiera’. ‘hoc est pecuniam falsitate iuramenti auge’ Schol., ut solent in negotiis agendis homines pecuniae cupidi.

sed Iuppiter audiet: cogitandum est de Iove peiurii ultore¹.

137-139 ‘*eheu, / baro, regustatum digito terebrare salinum / contentus perages, si vivere cum Iove tendis.*’

eheu: h. l. vituperantis atque contemnentis est potius quam dolentis, cf. v. 75 (*heu*) adn.

baro: ‘stulte’.

regustatum etc. *tendis*: significat Avaritia perquam tenuiter eum esse victurum foreque ut ne salis quidem ad usum cottidianum satis habeat² si *cum Iove* (i. e. sancte) vivere velit. etenim ἀνήρ δίκαιος πλοῦτον οὐκ ἔχει ποτέ (Ps. Menand. monost. 52).

regustatum etc. *perages*: ordo: ‘perages (sc. vitam) contentus terebrare digito regustatum salinum’, i. e. ‘vives usque ad mortem pauper’.

regustatum ... salinum: dictum propter salem saepius inde gustatum h. e. extractum. *regustato salino* contrarium est *sine labe salinum* 3, 25.

digito terebrare salinum: sc. digito exsculpere micras salis adhuc tenaciter adhaerentes fundo salini (ita ut ibidem notae appareant digitorum).

terebrare: dictum graphice!

perages: absolute dictum, ut graece διάγειν. cf. OLD s. v. 10.

vivere cum Iove: Iove non irato vivit qui non peierat.

tendis: ‘intendis, studes’, cf. 2, 49 (*intendit*) adn.

140-153 iam persuaserat Avaritia ut opes quaereres, iam sarcinas itineri aptari iubes: nihil impedit quin navem inscendas, nisi Luxuria se insinuat quae monet ut instituto operi propter navigationis molestias desistas vitaeque potius commodis deses fruaris.

¹ cf. Plaut. asin. 23; Verg. Aen. 12, 200. de Iove Iurario cf. CIL 1² 990 = 6, 379; cf. καὶ ἔρκειον ... αὐτόν [sc. τὸν Δία] προσαγορεύουσιν Cornut. de nat. deor. p. 9, 17 Lang.; πῶς γὰρ οἶόν τέ ἐστιν τὴν διὰ πάντων διήκουσαν δύναμιν λαυθάνειν τι τῶν ἐν τῷ κόσμῳ γινομένων; κτλ. ib. p. 11.

² cf. πάντα φασὶ δεῖν τὸν ἔμπορον κάλων σείειν· ἐμοὶ δὲ εἶη τὴν ἀλίαν τρυπᾶν ἐν Θέμιδος οἴκῳ Apoll. Tyan. epist. 7.

140 *iam pueris pellem succinctus et oenophorum aptas*¹.

pueris: 'servis'.

pellem: in pellibus sarcinae portabantur².

succinctus: veste succincta, sc. quo ocius expeditiusque cursitare possis.

oenophorum: est vas magnum vinarium quod peregrinantes secum portare solebant³.

aptas: 'imponis' i. e. 'imponi iubes'.

141-143 *ocius ad navem! nihil obstat quin trabe vasta / Aegaeum rapias, ni sollers Luxuria ante / seductum moneat:*

ocius ad navem!: imperativus narrationem vivide repraesentat, cf. LHS 783 sq.

trabe vasta: magniloquam locutionem in usum sermonis cottidiani convertit.

trabe: 'navi', cf. 1, 89.

vasta: 'magna', cf. 'ingentes ... dei' 6, 30.

Aegaeum: sc. mare.

sollers: quae ingeniose desidiam persuadet.

rapias: 'raptim percurras', 'celeriter pernaviges'.

seductum: cf. 2, 4 (*seductis*) adn.; 6, 42. Luxuria, quae cum segnem hominis indolem perspiciat, occultius agit quam Avaritia, cuius sunt aperta consilia quia ea, quae multis probata sunt, aliquid laudis continere videntur.

143-148 'quam rem ergo agis? quid insanis? tu tam virilem animi impetum habes ut navigationis incommoda commode ferre possis?'

¹ non prorsus absurde codd. distinguunt (vide app. crit.): *iam puer is* etc.: 'iam tamquam servus (sc. Avaritiae) curris'; hoc spectat ad v. 126 ('*i puer*'). cf. '*qui melior servo, qui liberior sit avarus / ... non video*' Hor. epist. 1, 16, 63-65. *pellem*: calcei corrigias dixeris quibus pes succingitur; de quo sensu cf. Hor. '*impediit crus / pellibus*' sat. 1, 6, 27 sq. *pellem succinctus*: 'corrigiis constrictis'. *succinctus*: de pedibus non est adeo insolens, cf. '*cothurnisque succinctus*' (ubi Cludius '*suras cinctus*' coniecit) Vell. 2, 82, 4.

² cf. Petron. 102, 8.

³ cf. Marx ad Lucil. 139.

143-145 *‘quo deinde, insane, ruis, quo? / quid tibi vis? calido sub pectore mascula bilis / intumuit quam non extinxerit urna cicutae?’*

deinde: hoc adverbium ponitur interdum in interrogationibus cum consecutione aliqua coniunctis. itaque increpat Luxuria: ‘cum sis in hoc rerum statu, quo ruis?’. cf. 4, 8 (*deinde*).

insane: Luxuria animos effeminatos reddit atque ideo omnes masculos affectus damnare debet tamquam furorem.

quid tibi vis?: vituperationem adumbrat, cf. ‘*quid tibi vis, insane, et quam rem agis?*’ Hor. sat. 2, 6, 29.

calido: vide 3, 108 (*nil calet hic*) adn.

mascula etc.: ‘tu tam forti impetu ad labores navigandi tolerandos accensus es, ut, credo, ne larga quidem cicutae potio ardorem tuum sedaverit’.

mascula bilis: pro: ‘maribus propria, fortis, vehemens cupiditas’¹.

bilis / intumuit: cf. 2, 13 sq. (*acri / bile tumet*); 3, 8 (*turgescit vitrea bilis*).

urna: hyperbole. proprie vas magnum tredecim litrorum (ut nostra ratione utar).

cicutae: medicamentum insaniae², cuius potio ‘*calorem in nobis frigoris sui vi extinguit*’ Schol.³

146-148 Luxuria varia navigandi incommoda recenset: ‘tune audacter naviges, et, cum sis homo mollis, super duro rudente⁴ (et non pulvino fultus, ut soles) cubans in navium transtris (et non in lecto, ut assoles) cenes? tune vinum mali coloris maleque odoratum bibas?’

146-147 *tu mare transilias? tibi torta cannabe fulto / cena sit in transtro*

torta cannabe: ‘rudente qui ex cannabi contortus est’. nam ‘*e cannabi funes* [sc. fiunt]’ Plin. nat. 19, 29. *cannabe* est ablativi casus forma rarior, nam cannabi metro non respondit.

torta: atque ideo dura. ceterum *tortus* perpetuum est epitheton funium et rudentium, cf. Catull. 64, 235; Verg. Aen. 4, 575; Ov. met. 3, 679.

¹ cf. ‘*masculum: pro forti ac vehementi*’ Non. p. 141, 7 M.

² cf. Hor. epist. 2, 2, 53.

³ praeterea apte cicutam ad *masculam* bilem sedandam inducit poeta, nam et ‘*quibus usus veneris interdicebantur, hoc quoque liquoris genere utebantur, ut a concubitu abstinerent*’ Schol.

⁴ ut puta funem nauticum in orbem vel in globum convolutum.

fulto: cf. ‘*apud veteres unusquisque eo, super quod iacebat, "fultus" dicebatur*’ Serv. auct. ecl. 6, 53.

transtro: nam super transtra nautae sedent¹.

147-148 *Veiiintanumque rubellum / exhalet vapida laesum pice sessilis obba?*
sic verba inter se iunge: ‘sessilis obba exhalet Veiiintanum² rubellum laesum vapida pice’.

Veiiintanumque: ‘*Veintanum dicit vinum in Veiente natum*’ Schol. cf. ‘*pessimum vinum in Veiento nascitur*’ Porph. in Hor. sat. 2, 3, 143 sq.

rubellum: bonum vinum sanguinei coloris³ esse debet, at Veiiintanum propter *crassam faecem*⁴ clarescit i. e. amissa vi saporeque ex rubro rubellum fit. quae vina ex agro Veiiintano veniunt hodie etiam inter viliora censentur.

exhalet: nam malum vinum priusquam labiis admotum est morosas nares odore offendit.

vapida laesum pice: quia pice infectum vinum vapidum fit. apud veteres dolia non tantum pice obturabantur nequis humor transire posset, sed etiam vini condiendi causa picabantur⁵. rite quidem pice condita vina in pretio erant, sed nimia pice infecta gratiam amittunt.

vapida: cf. ‘*dicitur ... vinum vappa, quod perdidit saporem*’ Ps. Acro Hor. sat. 1, 1, 104; cf. 5, 78 (*vappa*) adn.

sessilis obba: obba est poculum ex vili materia factum⁶, maioris moduli, ventriosum, lato fundo firmiter insidens⁷, superne in angustum ostium desinens⁸, atque ideo navigantibus praecipue aptum. ceterum obbae vocabulum A. Gellio iudice inter ea est, quae ‘*obsoleta ... et maculantia ex sordidioris vulgi usu*’⁹ videntur. equidem non negaverim Persium sordidioribus atque, ut ita dicam, acidioribus vocabulis libenter uti.

¹ cf. Verg. 3, 289; 4, 573; Lucan. 3, 543; Val. Fl. 2, 442.

² accusativus obiecti interni (vide Ind.)

³ cf. ‘*colores vinis quattuor: albus, fulvus, sanguineus, niger*’ Plin. nat. 14, 80.

⁴ Mart. 1, 103, 9.

⁵ cf. Plin. nat. 14, 124 sqq. dolia pice oblinebantur, cf. Cato de agr. 105 sq.; Plu. quaest. conv. 5, 3, 1 p. 676b-c; ‘*est et vappa cado nuper defusa picato*’ Copa 11.

⁶ ‘*obba genus vasis ex sparto factum*’ Schol.; ‘*poculi genus vel ligneum vel ex sparto*’ Non. p. 545, 1 sqq. M; ‘*cratera vel obba est calix habens ansas*’ Gloss. 5, 617, 38.

⁷ cf. ‘*sessilis, quod non videtur stare, sed sedere*’ Isid. orig. 10, 261.

⁸ de obba (ἄμβλιξ): εἰς ὃξὺ ἀνηγμῆνη Athen. 11, 480d.

⁹ Gell. 16, 7, 4; 9.

149-150 *quid petis? ut nummi, quos hic quincunce modesto / nutrieras, pergant avidos sudare deunces?*

sensus: 'visne, ut pecunia, quam Romae modice auxeras, in multis tuis laboribus maiore cum quaestu exerceatur?'

nummi: cf. chol. 12 (*nummi*) adn.

quincunce modesto: haec usura iuris consultis etiam dicitur levis, cf. e. g. Ulp. dig. 26, 7, 7, 10.

quincunce: $\frac{5}{12} \times 12 = 5\%$ pro anno.

nutrieras: 'auxeras'. cf. 'nummos ... pascet' Hor. epist. 1, 18, 35.

pergant: nummos ait impigre¹ quaestum persequi.

avidos: opponitur 'quincunce modesto'.

sudare: sudandi verbum exprimit magnum in maiore pecunia acquirenda laborem perlatum. quincunces enim sine labore proveniebant.

deunces: $\frac{11}{12} \times 12 = 11\%$ pro anno.

151-152 *indulge genio: carpamus dulcia, nostrum est / quod vivis; cinis et manes et fabula fies;*

indulge genio: 'laute vivas', 'genialia cures'. 'nam quotiens voluptati operam damus indulgere dicimur genio, unde e contrario habemus in Terentio [Phorm. 44]: "suum defraudans genium"' Serv. geo. 1, 302.

carpamus dulcia: 'fruere deliciis', 'utere suavi vita, vita vere vitali'. 'carpam ... significat ... fruar ... ut ... Persius "indulge genio: carpamus dulcia", id est: fruamur rebus dulcibus' Donat. Ter. Ad. 591.

nostrum est / quod vivis: ex mente eorum dictum qui illud tantum tempus vere vixisse putant, quod voluptatibus impendissent. sententia: 'vere tuum² est tantum quod vivis (*vivis* = 'laute vivis')', 'tu possides tantum vitae voluptates, cetera tua non sunt'. cf. e. g. νῦν δ' οὐκέτ' οὐδέν, ἀλλὰ γῆ πεποίημαι / ἔχω δ' ὀκόσον ἔπαισα χῶκόσ' ἤεισα / χῶκόσ' ἐράσθην Phoen. CA p. 231 sq. fr 1, 17-19; Dio Chrys. 4, 135 sq.

quod vivis: (accusativus obiecti interni, vide Ind.) idem atque: 'tua vita'.

¹ cf. 'pergere: Die ursprüngliche Bedeutung dieses Verbums ist *etwas mit Eifer, Kraft und Energie betreiben, verfolgen ...*; daran schließt sich *eine begonnene Richtung, Bewegung eifrig fortsetzen*' J. Ph. Krebs, J. H. Schmalz, *Antibarbarus der lateinischen Sprache*. Basel 1905, vol. 2, p. 279.

² similiter *Ambitio loquitur* (v. 178 '*nostra*'), est tamen hic sententia generalis de hominum condicione.

cinis et manes et fabula: haec verba per gradationem quandam rei evanescentis procedunt.

fabula fies: 'tu eris rumor vacuus, nomen inane', i. e. nihil prorsus eris. cf. 'iam te premet nox fabulaeque manes' Hor. *carm.* 1, 4, 16.

153 *vive memor leti, fugit hora, hoc quod loquor inde est.*'

vive memor leti: 'fruere vita memor eam brevem esse'. sententia vulgo satis trita; similiter vel Trimalchio: 'sic erimus cuncti, postquam nos auferet Orcus. / ergo vivamus, dum licet esse bene' Petron. 34, 10, cf. Lucr. 3, 914 sq.; atque mus Horatianus: 'dum licet, in rebus iucundis vive beatus; / vive memor quam sis aevi brevis' Hor. *sat.* 2, 6, 96 sq.

fugit etc.: sensu: fugit tempus celerius quam opineris, fugit hoc ipso temporis puncto, quo loquor. cf. 'dum loquimur fugerit invida / aetas' Hor. *carm.* 1, 11, 7 sq.

inde: 'ex hac ipsa fugiente hora'.

154 *en quid agis? duplici in diversum scinderis hamo.*

en quid agis?: vide 3, 5 (*en et quid agis?*) adn.

duplici etc.: sensus: animus tuus duplicis (i. e. Avaritiae atque Luxuriae) servitutis necessitate devinctus tamquam duobus, quos *intus* (v. 129) habes, hamis distrahitur in diversas partes¹.

scinderis: cf. OLD s. v. 6. simili imagine quamvis in re diversa utitur Terentius, cf. 'tot me impediunt curae, quae meum animum divorsae trahunt' Andr. 260.

155-156 *huncine an hunc sequeris? subeas alternus oportet / ancipiti obsequio² dominos, alternus oberres.*

prima quidem fronte offert sese sensus: 'quem dominum servus sequeris? scilicet necesse est tibi ut, interim alternatim dominis (ut puta, serviens modo Avaritiae modo Luxuriae) servias, interim dominos tamquam erro per aliquod temporis³ deseras'. cui tamen interpretationi ratio ipsa (etenim

¹ οὐτω δὲ ψυχὴν διαφορομένην τε καὶ διασπωμένην, ἀεὶ ποτε ἐν μάχῃ καὶ στάσει etc. Dio Chrys. 4, 138; πολυάγκιστρον ἢ κακία etc. Plu. *mor.* 536e.

² cf. si vacet M. Tullii Ciceronis *Laelius* ... bearbeitet von M. Seyffert. Zweite Auflage, besorgt von C. F. W. Müller, Leipzig 1876, p. 513.

³ de servis erroribus non ab re fuerit Ulpianum consulere: '... proprie errorum sic definimus: qui non quidem fugit, sed frequenter sine causa vagatur et temporibus in res nugatorias consumptis serius domum redit' dig. 21, 1, 17, 14.

de cupiditatum temporaria desertione, cum proximis versibus abunde agatur, iam nunc cogitare consentaneum non esse videtur) atque *oberrandi* verbi vis repugnant; nam *oberrare* plerumque is dicitur qui passim vagatur hic illic in conspectum incidens (cf. 6, 32), non is qui ideo vagatur ut consulto ex conspectu (ut erronei qui dominos deserunt) se subtrahat. alia itaque interpretationis via ineunda: 'quem dominum servus sequeris? scilicet necesse est, ut interim alternatim dominis servias, interim circa dominos vageris dubius cui potissimum servias'. siquidem qui nescit quam potissimum cupiditatem sequatur (*huncine an hunc sequeris?*), necesse est aut per vices cupiditatibus serviat aut eis omnibus incertus appareat (atque ideo ab eis distrahatur).

subeas ... dominos: cf. e. g. 'subire ... servitutum' Ulp. dig. 28, 3, 6, 5. subire aliquid dicitur, qui rem opprimentem suscipit, ut *subire onus, iugum* etc. *ancipiti obsequio*: 'alternis servitiis'.

dominos: i. e. cupiditates.

157-160 inducto canis exemplo (vv. 159-160), qui rupta catena maximam eius partem fugiens secum trahit, demonstrat liberum non esse eum qui cupiditates semel quidem effugit sed tamen vincula earum non omnino abiecit. nam semel aliquid recte fecisse nihil prodest: eum esse vere liberum qui cupiditatibus obstinate resistit.

157-158 *nec tu cum obstiteris semel instantique negaris / parere ingenio, 'rupi iam vincula' dicas;*
'nec tu, cum imperantibus vitiis semel repugnaveris, continuo dicas te solutum a pessima servitute. est enim vitiorum maxima pars, quae te quasi fugientem retineat' Schol.

semel: quod non sufficit. nam nisi εἴς virtutis accesserit, liber esse non potes. *instantique*: 'urgenti', cf. v. 133.

'rupi iam vincula' dicas: i. e. 'dicas te liberum esse'.

159-160 *nam et luctata canis nodum abripit, et tamen illi, / cum fugit, a collo trahitur pars longa catenae.*

'nam licet canis abrupto fugiat vinculo, vinculi tamen partem post se trahit' Schol. 'huc pertinet Gallicum proverbium, Il n'est pas escappe, qui trainne son lien' Antonius Foquelinus Veromandensis (Foquelin de Chaulny (XVI saec.)) in commentario (Parisiis a. 1555) ad l.

nodum: 'catenam'.

et tamen: cf. 2, 48. de formula cf. 'et tamen illi / surgebant cristae' Iuv. 4, 69 sq.

pars longa: catenae pars quam canis abreptam secum trahit longior atque ideo gravior est, quam altera (quae restat) pars; quod in proverbium vertit, cf. 'abreptum crede hunc graviore catena' Iuv. 13, 175.

161-174 quod docuit (vv. 157-160) vitium semel effugisse non sufficere, h. l. illustrat vivido exemplo adulescentis amantis, qui recidivis vitiis laborat. is enim, cum non bona fide meretrici valedixerit, statim in amoris mala relabitur¹.

'hunc locum de Menandri Eunucho traxit, in quo Davum servum Chaerestratus adulescens alloquitur tamquam amore Chrysidis meretricis derelicto, idemque tamen ab ea revocatus ad illam redit. apud Terentium personae immutatae sunt [Terentius ex Davo Parmenionem, ex Chaerestrato Phaedriam, ex Chryside Thaidem fecit]. quod exemplum induxit ad similitudinem vitiorum, a quibus recedere non possumus. hoc et Horatius [sat. 2, 3, 259 sqq.] et Terentius similiter in Eunucho [Eun. 46] cum dicit "quid igitur faciam? non eam? ne nunc quidem cum accersor ultro?" Schol. ad v. 161. itaque lectores priusquam aggrediantur ad Persium, legant Ter. Eun. 46-78; meminerint tamen Persium ipsum Menandrum, consulto utique Horatio (sat. 2, 3, 259-271)², sequi maluisse.

161-163 'Dave, cito, hoc credas iubeo, finire dolores / praeteritos meditor.' (crudum Chaerestratus unguem / adrodens ait haec)

Dave: solitum servorum in comoedia nomen.

cito: iungendum cum 'finire'.

hoc credas iubeo: constructio paratactica, cf. KS 2, 227-230.

finire dolores / praeteritos meditor: vult dicere: 'meretricio meo amori renuntiare volo'. Chaerestratus declarat se Chrysidem meretricem velle relinquere. respicit Horatium, 'an potius mediter finire labores' sat. 2, 3, 263.

dolores praeteritos: amoris incommoda³ dicit, quae antea perpeusus est.

¹ 'eadem quoque non festive minus et facete forsitan magis expressit comicus noster J. B. Molière, in comoedia cui titulus: le Dépit Amoureux' Nicolaus Ludovicus Achaintre in commentario (Parisiis a. 1812) ad l.

² Horatius vero Terentii potius quam Menandri vestigia legit.

³ quae autem amoris incommoda sunt, et ipse infra commemorat, et Terentius docet: 'in amore haec omnia insunt vitia: iniuriae, / suspiciones, inimicitiae, indutiae, /

crudum ... unguem adrodens: i. e. ‘adrodens unguem iam usque ad ipsam carnem demorsum’, quod est signum acris et incitatae meditationis¹, et apparet multa tacitum secum agitasse adolescentulum antequam in haec verba eruperet.

163-164 ‘*an siccis dedecus obstem / cognatis?*’

‘*an frugi et sobriis affinibus meis vel cognatis vivens dedecus afferam?*’ Schol.

siccis: ‘*frugi et sobriis*’ Schol. cf. ‘*siccum dicitur et sobrium, modicum*’ Non. p. 395, 33 M. dicitur etiam de ingenio sano sed potius severo, cui illa laus est, nihil ei vitiosi redundare². ceterum ‘*siccis ... cognatis*’ quodammodo opponitur v. 165 sq.: ‘*udas / ebrius ante fores*’.

164-166 *an rem patriam rumore sinistro / limen ad obscaenum frangam, dum Chrysidis udas / ebrius ante fores extincta cum face canto?*’

‘*an bona paterna turpiter in meretricium amorem effundam, dum pernox ante fores Chrysidis ebrius canto?*’

rumore sinistro: ‘*mala fama*’ i. e. ‘*hominibus de me male loquentibus*’.

limen ad ... frangam: rem patriam frangit ad limen meretricis velut navis ad scopulum illiditur, cf. e. g. ‘*rei familiaris naufragia*’ Cic. fam. 1, 9, 5.

obscaenum: quia meretricis est. cf. ThL 9, 2, 161, 5.

udas ... fores: propter multa oscula et lacrimas amantis³.

bellum, pax rursum’ Eun. 59-61, et ib. 72 sq.; cf. ‘*in amore haec sunt mala; bellum, / pax rursum*’ Hor. sat. 2, 3, 267 sq., ‘*nam amorem haec cuncta vitia sectari solent, / cura, aegritudo nimiaque elegantia etc.*’ Plaut. Merc. 19 sq. et ‘*amori accedunt etiam haec ...: / insomnia, aerumna, error, [et] terror et fuga, / ineptia stultitiaque adeo et temeritast, incogitantia excors, inmodestia etc.*’ ib. 24 sqq.

¹ aliquatenus conferendus est locus 1, 106.

² cf. ‘*ingenium ... siccum ac sobrium*’ Sen. epist. 114, 3; ‘*nihil erat in eius oratione nisi sincerum, nihil nisi siccum atque sanum*’ Cic. Brut. 202, cf. ib. 285.

³ cf. ‘*at lacrimans exclusus amator limina saepe / floribus et sertis operit postisque superbos / unguis amaricino et foribus miser oscula figit*’ Lucr. 4, 1177 sqq.; ‘*uda sit ut lacrimis ianua facta meis*’ Ov. am. 1, 6, 18; ‘*udis ... genis rigare marmor*’ Sidon. epist. 4, 11, 6, 24; ‘*osculis udus*’ (de homine) Mart. 8, 44, 5 (neque prorsus a re alienum est ‘*uda labella*’ Pers. 2, 32).

ceterae interpretationes omnes mihi non arrident vel latinitati minus convenire videntur, ut: *udas* propter imbrem (cf. ‘*paries ... pluvia udatur*’ Optat. 3, 10 CSEL vol. 26, p. 95, 16-19; ‘*secuta est pluvia sub Gregorio: udatus est paries, sed non*

extincta: 'ob diuturnam moram consumpta' Volscus¹.

canto: cantat παρακλαυσίθρον.

167-168 'euge puer, sapias, dis depellentibus agnam / percutere.'

Davus gratulatur saniolem Chaerestrati mentem hortaturque eum ut qui ex ingenti periculo evaserit, agnam diis mala avertentibus mactet.

puer: haec allocutio non tam ad aetatem quam ad familiaritatem spectat (ut Angli: 'oh baby!'). cf. 6, 22 (*puer*) adn.

sapias: coniunctivus adhortativus. est tamen gratulantis potius quam adhortantis.

dis depellentibus: 'diis depulsoribus' Schol. e graeco vertit, cf. ἀπωσικάκοις θεοῖς *ex oraculo* CIL 6, 105; ἀποτρόποισι δαίμοσιν Aesch. Pers. 203; ἄλεξίκακος Aristoph. Pax 422.

168 'sed censen plorabit, Dave, relicta?'

Chaerestratus iam vacillat in proposito.

relicta: 'si a me relicta erit'.

169-170 'nugaris. solea, puer, obiurgabere rubra, / ne trepidare velis atque artos rodere casses.

'illa ut demisse flebiliterque ploret? quin potius tibi mox verbera fortiter ingeret, quibus coebergeris, ne in posterum imperium eius effugere velis!'

nugaris: 'ineptis, nugas agis', cf. 1, 56 (*nugaris*).

solea ... obiurgabere: 'solea vapulabis', cf. 'misero mihi mitigabat sandalio caput' Turpil. com. 147; Terent. Eun. 1028; 'cur tua femineo caeduntur tergora socco?' Anth. Lat. 156, 3; ἐπεὶ σανδάλω γε χρυσῶ ἐς τὰς πυγὰς ὥσπερ τὰ παιδίᾳ [cf. *puer*] παίεσθαι Lucian. philopseud. 28; Iuv. 6, 612.

maduit ib. p. 96, 20 sq.); propter rorem antelucanum vel iam matutinum (cf. e. g. 'mane ubi ... / facta ... erit posito rore ... uda seges' Ov. fast. 6, 199); propter unguenta (cf. Lucr. loc. mem.; 'udas fores dixit, quas amatores solent unguento perfundere, et ante ianuam earum noctem vigiliis et cantu transigere' Schol.). mire Philippus Valentinus, ut est vir in doctrinis mirificus, inter cetera ad hunc locum iudicii specimina congesta quae repetere non audeo, udas esse fores edicit propter lotium Chaerestrati longae scilicet morae impatientis, v. *In Auli Flacci Persii Satyras sex, quattuor praestantium virorum commentarii ...* Basileae 1578, p. 145, cf. Oleg Nikitinski, *Quaestiones urinales selectae* in: *Vox Latina* 34 (1998), fasc. 134, p. 553 sq.

¹ in ed. 1578 supra mem.

solea ... rubra: 'calceamentum muliebre significat' Schol.

solea: praeclarum illud muliebris imperii insigne memorat.

obiurgabere: eadem ratione *obiurgandi* verbo utitur e. g. Petronius: 'colaphisque obiurgari puerum ... iussit' 34, 2.

rubra: ut est mulieris elegantis.

trepidare: sic etiam de captis feris dicitur quae retia quibus implicitae sunt, effugere gestiunt¹, vide OLD s. v. 1b, cf. 'crus ubi commisit volucris sensitque teneri, / plangitur ac trepidans astringit vincula motu' Ov. met. 11, 74 sq. simili modo de amantibus: 'ac veluti primo taurus detractat aratra, / post venit assueto mollis ad arva iugo, / sic primo iuvenes trepidant in amore feroces, / dehinc domiti post haec aequa et iniqua ferunt' Prop. 2, 47-50.

artos rodere casses: tractum a feris, quae retibus capta ea rodere conantur ut se liberent.

171-173 *nunc ferus et violens; at si vocet, haut mora dicas / "quidnam igitur faciam? nec nunc cum accersat et ultro / supplicet, accedam?"*

'modo animum in amorem indomitum praestabas, at si ultro Chrysis te vocet, continuo animum istum mitiges atque incertus vacilles'.

ferus: sensu 'amoris iugum impatiens' cf. Prop. 1, 5, 12; Tib. 1, 5, 5.

haut mora: 'ilico, statim'.

quidnam etc.: cf. 'quid igitur faciam?² non eam ne nunc quidem / quom accersor ultro?' Ter. Eun. 46 sq.; 'nec nunc, cum me vocet ultro, / accedam?' Hor. sat. 2, 3, 262 sq.

nec nunc: 'ne nunc quidem'. vide Indicem s. v. 'nec' et app. crit. ad v. 174.

173-174 – *si totus et integer illinc / exieras, nec nunc.*'

'si plane evaseras, ad eam, etiamsi supplicet, non accedas.' nam qui vere a libidine liberatus est, in eam non relabitur.

totus et integer: sollemni iunctura, cf. 'sine eam totam integram matrem esse filii sui' Gell. 12, 1, 5; 'integrum et totum deum colimus' Tert. apol. 16.

exieras: cf. 'exire: evadere, liberari' Non. p. 296, 22 M., cf. 'retibus ipsis / exire et validos Veneris perrumpere nodos' Lucr. 4, 1147 sq.; OLD s. v. 4a.

nec nunc: vide v. 172 adn.

¹ neque multo abludit luctatae canis imago, v. 159.

² 'Menander [fr. 161 Koerte] ἀλλὰ τί ποιῶω' Donat. Ter. Eun. 46.

174 *hic hic quod quaerimus, hic est,*

‘hic est vera, quam querimus, libertas’. in sententia (vv. 173-174) Davi servi exprimitur quid sit libertas: vere liber est qui in vitia non relabitur.

hic: adv.

175 *non in festuca, lictor quam iactat ineptus.*

continuat sententiam: ‘vere liber est in quem vitia non redundant, non is quem lictor manumisit’.

festuca: ‘vindicta’, de qua vide v. 88 (*vindicta*) adn.

iactat: ‘moveret, agitat’. cf. OLD s. v. 6.

ineptus: qui specie et dicis causa, non re vera¹ liberare potest.

176-179 *ambitiosus perstringitur.*

176-177 *ius habet ille sui, palpo quem ducit hiantem / cretata Ambitio?*

‘estne liber quem ambitio ducit?’

palpo ... ducit: ‘blande regit’.

palpo: (abl.) dictum a palpando², palpari autem cum proprie sit ‘manu blande percutere, plaudere’³, latiore sensu ‘blandiri⁴, adulare⁵’ significat. Ambitio quasi titillet hominem laudis et honorum cupiditate.

ducit: Ambitio istum tamquam sui iuris expertem ducit⁶.

hiantem: velut aperto ore appetentem, i. e. cupidum laudis et honorum.

cretata Ambitio: per enallagen Ambitio cretata dicitur quia honorum petitores (= candidati) toga cretata⁷, quo candidior appareret eoque ipsi

¹ ineptus est enim qui aliquid praeter rem facit, cum ipse perversitatem suam non sentiat. cf. Cic. de or. 2, 17. cf. ‘notante / iudice ... populo, qui stultus honores / saepe dat indignis et famae servit ineptus’ Hor. sat. 1, 6, 14-16; ib. 1, 3, 138 sq. cf. quae Seneca de iuris consultorum ineptiis disserat in ben. 6, 5, 3; Cic. nat. deor. 1, 59.

² Non. p. 163, 10 M.

³ Porph. in Hor. sat. 2, 1, 20. locutio desumpta ab equis, qui palpari plaudi manibus amant, cf. ‘cum equum permulsisset quis vel palpatus esset’ Ulp. dig. 9, 1, 1, 7. ‘plausae sonitum cervicis amare’ (de equo) Verg. geo. 3, 186.

⁴ Paul. Fest. p. 246, 11 L.

⁵ cf. Porph. loc. mem.

⁶ non alienam imaginem invenias apud Hor. l. c. in adn. ad v. 128 (*nervos agitet*).

⁷ toga fit candidior addito quodam cretae genere, cf. Plin. nat. 35, 196 sqq.

populo placerent, induti populum ambiebant. cf. *'toga candida eademque cretata, in qua candidati ... ambiebant, addita creta, quo candidior insigniorque esset'* Isid. orig. 19, 24, 6.

177-179 *'vigila et ciceringere large / rixanti populo, nostra ut Floralia possint / aprici meminisse senes. quid pulchrius?'*

Ambitio persuadet, ut iste ludis Floralibus larga manu distribui iubeat plebeculae cicer, quo facto eum consecutum esse diuturnam gloriam, quam esse rem pulcherrimam.

cicer ab aedilibus in ludis Floralibus populo ingerebatur. homines ambitiosi hac liberalitatis exercendae occasione utebantur ad populi favorem impetrandum. cf. Hor. sat. 2, 3, 182 et Porph. ad l.: *'antiqui aediles huiusmodi res populo Floralibus spargebant'*. *'sparge, inquit, populo cicer. hoc enim in ludis Floralibus inter cetera munera iactabatur, quando terrae ludos colebant, et omnia semina supra populum spargebant, ut tellus velut visceralibus suis placaretur'* Schol.

vigila: 'esto providus, strenuus'. cf. OLD s. v. 4. Ambitio iubet nostrum, ut populari aerae captandae naviter studeat.

ingere: vide v. 6 (*ingeris*) adn.

rixanti populo: ut fere fit quando populus gratuita liberalitate fruitur.

nostra ut Floralia possint / aprici meminisse senes: 'ut etiam post multos annos ludorum tuorum spectatores iam senes¹ facti munificentiae tuae non obliviscantur'. ironice a Persio memorantur *aprici senes*, qui otiosi aplicantur atque garruli laudant quaedam ex temporibus actis se iuvenibus².

nostra: Luxuria quoque per primam personam plur. adhortatur ('*carpamus ..., nostrum est*' v. 151).

quid pulchrius?: iam videmus quo modo Ambitio subblandiatur (cf. v. 176 '*palpo ... ducit*') homini gloriolae cupido.

¹ seniores enim solem praecipue amant, vide 4, 18 (*adsiduo curata cuticula sole*) adn. '*aprici senes: ad solem sedere consueti*' Schol.

² temperari mihi nequeo quin Ninum Scivoletto testem sapientem mihi adhibeam: 'I vecchiarrelli, che, godendosi il sole ... rimembrano la vita passata, punteggiata, direi, dalle feste solenni offerte al popolo, costituiscono veramente un quadro in cui si nota la mano di un grande artista: sono bastate tre sole parole per creare un ambiente pieno di luce, di vita e, diciamo pure, di malinconia' ad l.

179-188 *superstitiosos traducit. 'hic de superstitionibus tractat ostendens etiam qui superstitionibus sit deditus servire'* Schol. ad v. 180. Persius hic homines Romanos notat turpissimis Iudaeorum, Phrygum et Aegyptiorum superstitionibus servientes.

179-180 *at cum / Herodis venere dies*

Herodis ... dies: 'sabbata Iudaeorum', quae sunt dies quos celebrat populus Herodis¹, i. e. Iudaei.

180-182 *unctaque fenestra / dispositae pinguem nebulam vomuere lucernae / portantes violas,*

nam sabbatis *'lucernas accensas et violis coronatas in fenestris ponunt'* Schol. hoc tamquam pravae superstitionis ritu factum irridet Persius. cf. *'quomodo sint dii colendi solet praecipere. accendere aliquem lucernas sabbatis prohibeamus, quoniam nec lumine dii egent et ne homines quidem delectantur fuligine'* Sen. epist. 95, 47².

unctaque: vel propter sparsos pretiosis unguentis margines fenestrarum³ vel potius propter perfusas unguentis coronas sartaque quibus fenestrae ornabantur⁴. utcumque se habent ista, per *unctam fenestram* festivitas diei egregie exprimitur. male quidam interpretes de sordibus fenestrarum cogitant: agitur enim de hominibus Iudaeorum quidem superstitioni obnoxii, sed qui et cives Romani et satis divites sunt.

pinguem nebulam vomuere: densas lucernarum cum fumo exhalationes dicit.

portantes violas: e composito duriuscule dixit pro: *'ornatae, coronatae violis'*. violae autem in sacris plurifariam adhibebantur, cf. e. g. Iuv. 12, 90.

¹ *'hic Herodes apud Iudaeos regnavit temporibus Augusti in partibus Syriae'* Schol.

² cf. *'hic [sc. Seneca] inter alias civilis theologiae superstitiones reprehendit etiam sacramenta Iudaeorum et maxime sabbata, inutiliter id eos facere adfirmans de illis sane Iudaeis cum loqueretur, ait [sc. Seneca]: "cum interim usque eo sceleratissimae gentis consuetudo convaluit, ut per omnes iam terras recepta sit: victi victoribus leges dederunt"'* Augustin. civ. dei 6, 11.

³ licet huius moris certum testem apud auctores non inveniam, cf. tamen Plin. nat. 13, 22 sq.; OLD s. v. *'ungo'* 2b.

⁴ cf. *'tura dabo atque omnis violae iactabo colores. / cuncta nitent. longos erexit ianua ramos / et matutinis operatur festa lucernis'* Iuv. 12, 90-92; 10, 65 et Courtney ad Iuv. 6, 51-2.

182-183 lautitiae sollemnium esulentorum atque poculentorum narrantur.

182-183 *rubrumque amplexa catinum / cauda natat thynni*,
 ‘*tunc rubrum fictile, quod est Arretinum, cauda thynni amplectitur*’ Schol. die Veneris vesperi Iudaei piscem etiam nunc edere solent.

rubrumque: vide v. 183 (*alba*) adn.

amplexa catinum: per hoc ostendit magnitudinem thynni.

amplexa: sensu: ‘amplectens’. vide KS 1, 759 sq.

cauda natat thynni: caudam videre licet cum ceterae thynni partes in garo mersae latent.

natat: sc. in garo¹. per hoc ostendit magnitudinem² catini.

thynni: thynnus est piscis nobilis.

183 *tumet alba fidelia vino*,

tumet: fidelia tumere dicitur quia usque ad extremam oram plena est vino³. hoc verbo egregie latum vasis ostium innuitur.

alba: cum rubro vino *albam* fideliam ante oculos nostros confligendo artificiose Persius colores distinguit; similiter *rubro* catino ex contrario *alba* thynni caro nituit (v. 182).

fidelia: vide 3, 22 adn.

184 *labra moves tacitus recutitaque sabbata palles*.

‘*ordo est: tunc quando haec celebras, labra moves tacitus*’ Schol.

labra moves tacitus: nam ‘*murmurantes Iudaei preces effundunt*’ Schol.

tacitus: vide 2, 5 (*tacita*) adn.

recutitaque sabbata: ‘*sabbata recutitorum*’ i. e. Iudaeorum.

palles: ob metum religionis, ‘*religioso cultu anxie observas*’. vide 3, 43 (*palleat*) adn.

¹ cf. ‘*aliud vero <est> [sc. garum] Castimoniarium, superstitioni etiam sacrisque Iudaeis dicatum, quod fit e piscibus squama carentibus (?)*’ Plin. nat. 31, 95 (cf. Th. H. Corcoran, *Pliny’s Garum Castimoniarium*, Class. Bull. 34, 1958, p. 69).

² cf. ‘*affertur squillas inter murena natantis / in patina porrecta*’ Hor. sat. 2, 8, 42 sq.

³ cave tumendi verbum ad formam vasis quasi vino distento (quod propter fideliae formam etiam absurdum esset) pertinere putes. h. l. apud OLD ad 2 potius quam ad 1d referendus erat.

185-188 sensus hic est: 'tum (i. e. si superstitiosus es) lemures horres, ova anxius observas, sacerdotes Cybeles atque Isidis stulte veneraris: inde efficitur ut perverse de diis sentias'.

185 *tum nigri lemures*

nigri: quia nocte maxime timentur. cf. 'somnia, terrores magicos, miracula, sagas, / nocturnos lemures portentaque Thessala rides?' Hor. epist. 2, 2, 208 sq.

lemures: 'lemures: larvae nocturnae et terrificationes imaginum et bestiarum' Non. p. 135, 13 sq. M.

185 *ovoque pericula rupto,*

'sacerdotes qui explorandis periculis sacra faciebant, observare solebant ovum igni impositum, utrum capite an latere desudaret. si autem ruptum effluxerat, periculum ei portendebat, pro quo factum fuerat, vel rei familiaris eius' Schol. Casaubonus latius accipit de superstitiosis qui portentosum esse credunt si ova casu aliquo frangantur, ut nunc etiam superstitiosi homines timere solent si quid de mensa decidat vel salinum invertatur.

186 *tum grandes galli*

grandes: gallos grandes dicit tum quia castrati re vera procera statura esse solent¹, tum quia stultitiam eorum irridet, cf. v. 95 (*alto*) adn. et infra v. 190 (*ingens*).

galli: ministri Cybeles deae.

186 *et cum sistro lusca sacerdos*

sistro: 'sistrum sacerdotes Isidis portabant' Schol.

lusca: cum in Aegypto multos antiquitus oculorum morbis laborasse constet², apte vitam ipsam exprimere videtur poeta philosophus adeo non naturalium vitiorum simplex irrisor, cf. 1, 128 (*lusco*) adn.³

¹ cf. Arist. probl. 10, 36, 894b.

² cf. RE 9, 2130; M. Malaise, *Les conditions de pénétration et de diffusion des cultes égyptiens en Italie*, Leiden 1972, p. 127 sq.

³ ceterum 'lusci' vocabulum spectare potest ad vitiosos mores, ut alias 'lip-pus', cf. 1, 79 (*lippos*) adn.

187-188 *incussere deos inflantis corpora, si non / praedictum ter mane caput gustaveris ali.*

‘incusserunt tibi deos, qui inflant corpora si non gustaveris etc.’ hoc loco Persius resumit versus 185-186, ut sententiarum nexus sit: ‘quae omnia (i. e. ‘lemures’, ‘pericula’, ‘galli’, ‘sacerdos’) inculcaverunt tibi talem cognitionem deorum, ut deos te morbo afficere posse credas si caput alii rite non sumas’. qui autem tales esse deos animo concipit, ridicule superstitiosus est.

incussere deos etc.: ‘tales esse deos tibi valde persuaserunt, qui corpus tuum inflare possint, nisi etc.’

incussere: (perfectum gnosticum) ‘inculcaverunt’. apte dixit de vehementi actu: *persuademur* enim plerumque ratione, *incutimur* vero commotionibus animi, ut puta timore, ira, religione etc., cf. ThL 7, 1, 1101, 33 sqq.; 51.

inflantis corpora: ‘qui corpus inflant (i. e. hydrope¹ afficiunt) nisi etc.’²

praedictum: ‘iussum’, i. e. sicut a superstitione praescribi solet. praedicere est ‘serio monere’³. iste quidem monita superstitionis religiosissime exsequitur.

ter: ternario numero in superstitionibus summa vis tribuitur, cf. e. g. Verg. ecl. 8, 75 et Serv. ad l. cf. praeterea Pers. 2, 16.

mane caput gustaveris ali: cf. ‘dicunt, si alium ieiuni gustaverint, contra artem magicam remedium esse’ Schol.

189 *dixeris haec inter varicosos centuriones,*

dixeris haec: ‘si dixeris haec’: est protasis condicionalis sententiae, quem excipit apodosis ‘ridet Pulfenius ... licetur’. vide Ind. (‘coniunctivus: si deficit’).

varicosos: milites enim intumescentes in cruribus venas contrahunt dum propter vitae genus multum stare multumque ambulare debent. ceterum varicosi vocabulum in contemptu exprimendo proxime accedit ad sensus vocabulorum quae supra (‘grandes’ et ‘lusca’ v. 186) legimus.

¹ cf. 3, 63; 95.

² quod ad constructionem attinet, cf. ‘inflantes corpora ... fabas’ Ov. med. 70.

³ cf. ‘... praedixitque, ne destinatum iter peterent’ Vell. 2, 82, 2; ‘ita enim medicus praedixerat’ Curt. 3, 6, 3.

centuriones: cf. 3, 77 (*centurionum*) adn. *centuriones*, utpote ab omni liberali doctrina prorsus alienos, deridet noster, cf. 3, 77 sq.

190-191 *continuo crassum ridet Pulfenius ingens / et centum Graecos curto centusse licetur.*

crassum ridet: 'ineleganter atque immodice ridet'. 'stultorum risum exprimit' Schol. vide Ind. ('accusativus obiecti interni'). cf. 3, 86 sq.; 1, 132 sq.

Pulfenius: stolidi alicuius centurionis nomen¹.

ingens: cf. v. 95 (*alto*) adn.; 3, 89.

et centum etc.: Pulfenius dicit centum philosophos non valere centum asses.

centum: cum ultimum versum saturae initio (*centum*, v. 1) respondere voluisset poeta, notum proverbium ('aliquid ne unius quidem assis facere'²) leviter mutavit.

Graecos: de Graecorum contemptu cf. 3, 78 sq.

curto: cf. 'tamquam nonaginta novem' Schol. i. e. singulos philosophos non unius assis aestimat.

centusse: pro: 'centussibus, centum assibus'. in hac forma Persius 'poetica licentia abusus est' Schol.

¹ de forma nominis cf. W. Schulze, *Zur Geschichte lateinischer Eigennamen*, Berlin 1904, p. 216 sq.

² vide Otto, *Sprichwörter*, p. 39 (nr. 175); Häußler, *Nachträge*, p. 96, 136.

SATURA VI

DE USU DIVITIARUM SIVE DE AVARITIA VITANDA

Alloquitur Caesium Bassum poetam lyricum sibi a puero familiarem: percontatur iamne in villam Sabinam secesserit, an poeticae operam det. deinde ipse dicit ubi sit, quid rerum agat: se in Ligustico suo secure hie-mantem ab omni ambitione, invidia, divitiarum cupiditate vacuum, fru-entem bonis et contentum. reliqua saturae pars, quae et maior est, demon-strat falsa esse argumenta eorum qui rectum divitiarum usum ignorant. cf. *‘hanc satiram scribit ad Caesium Bassum lyricum poetam. ... hic ergo dum vi-veret, Roma ad Sabinos secesserat, ubi hiemali tempore in loco calido carmina scribebat. huic ergo Persius dicit, quod iam propter hiemem foco caleret, et ut daret operam carminibus scribit vero Persius in hac satira de iis, qui heredibus rem suam auctam reliquerunt, inedia se et labore in vita conficientes. se autem dicit in eo loco, ubi positus est, id est in Liguria, neque ambitione, neque iniuria, neque desideriiis, neque avaritia laborare, et in nullo se eis simile, quos culpat’* Schol. de Caesio Basso vide Vitam Persi.

1 *Admovit iam bruma foco te, Basse, Sabino?*

bruma: frigidum hiemis mediantis tempus dicit.

foco: cf. 2, 75 (*templis*).

2 *iamne lyra et tetrico vivunt tibi pectine chordae,*

‘eundem Bassum interrogat, qui de urbe ad Sabinos secesserat, si iam scriberet’ Schol.

lyra et ... chordae: hendiadys: ‘chordae lyrae’.

tetrico: (sc. *pectine*) iocose: 'horridulo'. nam chordae cum pectine percutiuntur quasi severitatem eius sentiunt¹. praeterea iocari poeta in rigidos Sabinos² videtur, cum Bassus ipse homo minime sit rigidus atque carmina eius minime tetrica.

vivunt: 'in opere occupantur'.

pectine: 'plectro'.

3-6 '*opifex*' spectat ad '*intendisse*', '*egregius*' autem ad '*agitare*' et '*luisse*'. vide Indicem ('infinitivus substantivo additur' et 'infinitivus adiectivo additur').

3-4 *mire opifex numeris veterum primordia vocum / atque marem strepitum fidis intendisse latinae,*

ordo est: '*mire opifex numeris veterum intendisse primordia vocum atque marem strepitum latinae fidis*'. sensus: 'o opifex, qui metris Graecorum mira arte aptas latinas voces atque fortem sonitum lyrae latinae'. laudat perfectam artem Bassi qui possit metris graecis carmina modulari latinae dignitatis³.

mire: (adv.) referri videtur tam ad '*opifex*' quam ad '*intendisse*'.

numeris veterum: pro: 'metris veterum lyricorum graecorum'.

primordia vocum: 'elementa vocum' sunt singulae voces latinae quae tamquam elementa arte digerat Bassus ex quibus materiam carminis formet⁴.

marem strepitum: cf. '*masculum et fortem sonum, non quo solent quidam velut muliebri ac molli voce cantare*' Schol. vide Ind. s. v. 'attributum'.

¹ cf. de chordis quae pectine pulsantur: '*crispo numerantur pectine chordae*' Iuv. 6, 382.

² cf. '*animum instructum disciplina tetrica ac tristi veterum Sabinorum*' Liv. 1, 18, 4; '*tetricas ... Sabinas*' Ov. am. 3, 8, 61; '*Tetricus mons in Sabinis asperrimus. unde tristes homines tetricos dicimus*' Serv. Aen. 7, 713; itaque Philippus Engelbrecht Engentinus (? – 1528) ad l. '*tetrico pectine*' reddit: 'Sabino plectro'.

³ cf. '*verba sequi fidibus modulanda latinis*' Hor. epist. 2, 1, 143; '*princeps Aeolium carmen ad Italos / deduxisse modos*' id. carm. 3, 30, 13 sq.

⁴ ceterum Persius, dum hoc agit, videtur iocose significare Lucretium qui vocem humanam ex atomis constare affirmat: '*corpoream vocem quoque enim constare fatendum est / et sonitum, quoniam possunt impellere sensus*' Lucr. 4, 526; '*ire foras ubi coeperunt primordia vocum*' ib. 531. cf. '*vocem Stoici corpus esse contendunt eamque dicunt ictum aera*' Gell. 5, 15, 6.

intendisse: quasi ‘aptasse’, nam *numeris intendisse primordia vocum et strepitum fidis* idem est atque: ‘secundum numeros (i. e. rhythmos, metra) intendere voces et strepitum’, cf. ThLL 7, 1, 2114, 69 sqq. imago tracta a nervis citharae, quae recte sonat si nervi arte intenti sunt. cf. ‘... ita huius modi praeceptis debet quidem aptata esse et citharae modo intenta ratio doctrinae’ Quint. inst. 5, 10, 124.

5-6 *mox iuvenes agitare iocos et pollice honesto / egregius lusisse senex?*

mox: ‘tum, et contra’. adverbium h. l. non temporis ordinem, sed rerum vicissitudinem in transitu et progressu narrationis exprimit, cf. 5, 108 (*prius ... mox*) adn.

iuvenes agitare iocos: Bassus iocosa carmina (in quibus non tantum iuveniles amores, sed etiam convivia, varii lusus etc. insunt) scribit, quae iuveniliter vigent.

iuvenes ... iocos: ‘iuveniles iocos’. vide Ind. s. v. ‘attributum’.

agitare: cf. ‘inter agere et agitare hoc interest, quod agere est aliquid vel necessarium facere, agitare voluptarium’ Donat. Ter. Hec. 93.

pollice: quo citharae chordae crispantur, cf. ‘quia citharizantes non solum plectro, verum etiam digito de chordis sonos eliciunt’ Schol.; ‘laeva [sc. manus] distantibus digitis nervos molitur, dextra psallentis gestu pulsabulum citharae admovet, ceu parata percutere, cum vox in cantico interquievit’ Apul. flor. 15.

honesto: quidni? scimus graves etiam viros paulo licentiores versiculos scriptitasse, cf. Plin. epist. 5, 3, 2-6.

lusisse: haec forma melius perfectionem versuum designat. ceterum *lusus* et *iocus* apud auctores saepe iunguntur, ut unum carminis genus significant, cf. e. g. Plin. epist. 5, 3, 2.

senex: eundem Bassum alloquitur, cui hoc ipsum meriti loco ponit Persius quod, quamvis senex, ‘*iuvenes agitare iocos*’ et vivida carmina ludere possit.

6-7 *michi nunc Ligus ora / intepet,*

‘se ipsum Persius significat secessisse in Liguriae fines, videlicet propter Fulviam Sisennam matrem suam, quae post mortem prioris viri ibi nupta erat; vel quia brumali frigore tepidum caelum praebeat’ Schol.

Ligus: loco adiectivi positum, cf. e. g. ‘*femina Ligus*’ Tac. hist. 2, 13; Sall. Catil. 17, 19; KS 1, 233.

intepet: ‘intepescit’. propter tepidas hiemes hodie etiam grata regio.

7-8 *hibernatque meum mare qua latus ingens / dant scopuli et multa litus se valle receptat.*

iocose dicit fere: meum mare hiemem <tranquille>¹ agit in portu Lunae.

hibernat: 'hiemem agit'. artius cum *qua* iungendum.

meum mare: i. e. mare ad portum Lunae.

meum: pronomen animi affectum exprimit.

qua etc. *scopuli*: 'ubi scopuli ingens latus ponto obiiciunt, et inclusis inter se aquis naturalem efficiunt portum' Schol.

scopuli: qui portum Lunae (hodie *La Spezia*², vide infra) cingunt atque maris fluctus arcent.

et etc.: flexuosum litus cum multis seductis recessibus describit.

multa ... valle: 'multis vallibus'. de singulari numero, quem more poetico pro plurali ponit, vide Indicem.

receptat: quasi in secessus refugiat. ideo frequentativo usus est quia litus per multos sinus (vide supra) inflectitur, qui ad amoenitatem loci hodie etiam multum faciunt.

9 '*Lunai portum, est operae, cognoscite cives.*'

versum Ennii (Enn. op. incert. fr. 1 Sk. = ann. fr. 16 V.) loco profert Persius. cf. '*cuius* (i. e. portus Lunae) *etiam Ennius in principio annalium suorum meminit hoc versu, quem etiam Persius carminibus suis iunxit et refert ab Ennio ablatum*' Schol. ad init.

est operae: 'est operae pretium'.

10-11 *cor iubet hoc Enni, postquam destertuit esse / Maeonides Quintus pavone ex Pythagoreo.*

dicit Ennium sapiens hoc de portu Lunae cognoscendo consilium dedisse: 'hoc iubet sapiens Ennius postquam evigilavit ex somnio in quo visus est sibi esse Quintus Maeonides factus ex pavone Pythagoreo'. huic loco intellegendo conducit Annalium principium ubi Q. Ennius narravit se Homerum in somnio vidisse a quo edoctus esset illum secundum Pythagorae de metempsychosi doctrinam quondam in pavonem³ renatum fuisse unde eius animam in Ennium poetam transmigrasse.

¹ quia portus Lunae inclusus est scopulis et ideo tutus a fluctibus maris aperti.

² ὁ δὲ λιμὴν μέγιστος τε καὶ κάλλιστος Strab. 5, 2, 5; '*Luna ... / insignis portu, quo non spatiosior alter / innumeras cepisse rates et claudere pontum*' Sil. 8, 480 sqq.

³ cf. '*memini me fieri pavom*' Enn. ann. fr. 11 Sk.

cor ... Enni: pro 'sapientia Ennii'. hoc dicit Persius more epico Ennii gravitatem facete exprimens. cf. 'egregie cordatus homo, catus Aelius Sextus' Enn. ann. fr. 329 Sk.

iubet: hoc spectat ad 'cognoscite' (v. 9).

destertuit: i. e. 'somniaire desiit, expergefactus est'¹. cf. 3, 3 (*stertimus*) adn.

Maeonides Quintus: nomen iocose compositum, quasi 'Quintus Homerus'. in hoc ludit Persius: dum somniabat Ennius, se esse Homerum transfiguratum credebat.

Quintus: Ennii praenomen est.

pavone ... Pythagoreo: pavo Pythagoreus dicitur quia Homeri anima in pavone revixit.

12-14 *hic ego securus volgi et quid praeparet auster / infelix pecori, securus et angulus ille / vicini nostro quia pinguior,*
construe: 'hic ego (sum)

1) securus

a) volgi

b) et quid auster, infelix pecori, praeparet

2) et securus quia ille angulus vicini (est) pinguior nostro (angulo)'.
'

hic: sc. in villa Ligustica.

securus volgi: sc. sum. dicit se parum curare vulgi rumores, cum sit remotus a vulgari urbis Romae strepitu atque ab omni cum vulgo commercio.

securus: 'non curans', cf. 3, 62.

quid praeparet etc. *pecori*: sc. *securus*. per hoc significat se opum augendarum cura non angi. *auster* vero *infelix pecori* dicitur quia interdum aerem gravissimum affert Italiae (ital. *scirocco*), perniciosum animantibus, cf. e. g. 'nocentem corporibus austrum' Hor. carm. 2, 14, 15 sq.

infelix: 'noxius'.

securus et angulus etc.: dicit invidia se non laborare si vicinus fertiliorrem agrum possideat.

securus et: 'et securus', cf. 1, 34 (*vatum et*).

¹ 'apud Persium destertere legitur pro desistere a stertendo' *Scaligerana ... Cologne* 1695, p. 120 s. v. 'decrepitus'.

14-17 *et si adeo omnes / ditescant orti peioribus, usque recusem / curvus ob id minui senio aut cenare sine uncto / et signum in vapida naso tetigisse lagoena.* sensus fere hic est: 'quin etiam si locupletari sciam homines ortos parentibus ignobilioribus quam meis, constanter tamen recusem ea de causa animo vexari et sordide parcus fieri'. cf. '*ne plus frumenti dotalibus emetat agris / Mutus et – (indignum!) quod sit peioribus ortus – / hic tibi sit potius quam tu mirabilis illi*' Hor. epist. 1, 6, 21 sq.

et si adeo: 'adeo' positum in transitu orationis ad priorem sententiam amplificandam¹ cum ad rem ipsam ('*usque recusem...*') acceditur (cave igitur 'adeo' cum 'omnes'² aut cum 'ditescant' iungas)³. cf. '*et si adeo dotalis regia cordi est*' Verg. Aen. 11, 369.

et si: 'et si' melius proferas quam 'etsi' vel propter iterationem '*et ... et ... et*' (vv. 12-14).

usque: significat continuum alicuius temporis vel morae.

recusem ... minui ... tetigisse: cf. 1, 41 et Ind. s. v. 'infinitivus'.

curvus ... minui: quasi anxietate curisque oppressus macrescensque.

senio: non de senectutis condicione, sed de acerbitate⁴, qualis in senibus esse solet, cf. 1, 26 (*senium*) adn.

cenare sine uncto: 'cenare sine cibis lautioribus'. h. e. multum de victu cottidiano remittam ut parsimonia opes augeantur atque aemuli divitiis meis superentur. nam 'unctum' dicebatur pro cibis lautis et opipare positis, cf. "*unctum*" *autem lautum convivium*' Ps. Acro Hor. ars 422. cf. Pers. 4, 17; 2, 30; 3, 102.

et signum etc.: sc. ne servi vinum clam domino bibant '*solent avari signum in vasis vinariis ponere, et sic diligenter aspicere, ut oculos propius admovendo naso tangant*' Schol.

vapida ... lagoena: 'lagoena cum vapido vino' (de enallage cf. 3, 92). cf. 5, 148 (*vapida*) adn. propter parsimoniam numquam aliud vinum nisi vilissimum habet.

naso: cf. 1, 33 (*nare*) adn.

¹ cf. OLD s. v. 6b: '(used to re-emphasize, elaborate, or modify a statement, etc.) yes and, and what is more, or rather'.

² cf. Madvig ad Cic. fin. 2, 37.

³ cf. Hofmann, *LU* p. 112.

⁴ '*senium a senili acerbitate et vitiiis*' Fest. p. 454, 30 L.

18-24 sensus: 'licet alius aliter atque ego vivat (est enim varia natura hominum), ego opibus meis libere fruar: ita tamen ut neque prodigus ostentator (v. 23) neque homo subtilis nimis palati (v. 24) fiam'.

18 *discrepet his alius*

iungendum cum v. 22 ('*utar ego, utar ...*') ut sensus fiat: 'licet sint qui dissentiant hisce rebus (vv. 14-17) a me, ego tamen utar ...'.

discrepet: (coni. concess) sc. 'a me'.

alius: cui opponitur 'ego' v. 22.

18-22 variam esse naturam hominum dicit: tam diverso ingenio vel gemini fratres interdum sunt, ut alter deparcus alter prodigus vivat. cf. 5, 52-61.

18-19 (*geminos, horoscope, varo / producis genio*:

apostrophe ad horoscopum: 'horoscope, licet una geminos fratres edas, illi dissimiles tamen indoles habent'.

horoscope: ut hodie dicimus 'sidus natale', cf. '*caeli particula, ubi ponitur horae [sc. natalis] notatio, quem horoscopum vocant*' Augustin. civ. dei 5, 2.

varo: 'diverso, contrario'.

producis: 'in vitam producis, in lucem profers'.

genio: cf. 4, 27 (*genioque*) adn.

19-21 *solis natalibus est qui / tinguat holus siccum muria vafer in calice empta, / ipse sacrum inrorans patinae piper;*

avarum depingit, qui ex festis diebus meliore cena natales suos tantum celebrat, quae et ipsa ex vilissimis cibis constat. cf. Hor. sat. 2, 2, 59-62.

natalibus: 'diebus natalibus'.

siccum: 'frugi'. quia holus est cibus siccorum hominum, cf. 5, 163 (*siccis*) adn. ceterum siccus opponitur uncto, cf. v. 16.

muria: liquor salsus ex piscibus parvi pretii.

vafer: callidus ad opes suas parcissime tuendas, cf. Hor. sat. 2, 4, 55.

calice empta: avaritiam hominis notat: muriam domi non servat sed si quando opus est emit in parvo vasculo, scilicet ne profuse absumatur neve in profestos dies aliquid redundet.

ipse: non alterius ministerio confisus, tamquam in re sacra.

sacrum: avaritiam deridet: pipere velut re sacra utitur, quam nefas est profundere¹. cf. 4, 29. de brevitate primae syllabae vide Ind. ('prosodiaca ...').

inrorans: metaphora hyperbolica insigni avaritiae describendae apta.

pipere: cf. 3, 75 (*pipere*) adn.

21-22 *hic bona dente / grandia magnanimus peragit puer*:

exemplum prodigi.

bona dente ... peragit: '(in cenis opiparis) fortiter absunit, exhaurit'.

grandia: sc. bona sua, ingentes opes quae dilapidat.

magnanimus: de prodigio cum ironia dictum, qui in sumptu nolit parvi animi esse.

puer: ironice dictum, cf. 'qui bona donavit praesepibus et caret omni / maiorum censu, dum pervolat axe citato / Flaminiam puer Automedon?' Iuv. 1, 59-61. cf. Ter. Ad. 940; Apul. met. 3, 5. non tam ad aetatem pertinet quam ad familiarem (cf. praeterea 5, 167 '*puer*' adn.) quandam hilaremque oburgationem.

22 *utar ego, utar,*

cf. Hor. epist. 2, 2, 190 sqq.

utar ... utar: vide Ind. sub voce 'iteratio'.

23 *nec rhombos ideo libertis ponere lautus*

dicit nolle se adeo prodigum esse ut clientibus mensam magnifice sumptuosam exstruat. (melius est enim amicorum temporibus succurrere (cf. vv. 27 sqq.) quam tam stulte opes perdere).

nec: 'nec tamen'. cf. KS 2, 42: OLD s. v. 'neque' 5.

rhombos: rhombus est piscis sumptuosus.

ponere lautus: vide Ind. s. v. 'infinitivus'.

ponere: 'apponere', cf. 5, 3 (*ponatur*) adn.

lautus: lautus est liberalis, qui magnifice vivit, ut solent divites utque eos decet.

24 *nec tenuis sollers turdarum nosse salivas.*

'nec adeo in hac re callidus sum ut turdorum sapes discernam. solent enim quidam gulae dediti tantae subtilitatis habere palatum, ut cognoscant turdos, an

¹ cf. 'tamquam parcere sacris / cogere' Hor. sat. 1, 1, 71 sq. 'metuens velut contingere sacrum' ib. 2, 3, 110.

cancellarius, an terrarius sit, et si masculus sit an femina Schol. cf. ‘... vidi qui inter turdos iunipero pastos, aut non, discrimen nossent’ Philippus Valentinus ad l.

tenuis ... salivas: ‘subtiles salivas’, ‘salivas acuto subtilique iudicio per gustus quosdam gradus distinguendas’. vide 5, 93 (*tenuia*) adn.

sollers ... nosse: vide Ind. s. v. ‘infinitivus’. cf. 5, 37 (*fallere sollers*).

turdarum: potest enim masculos a feminis distinguere. ceterum turdi apud Romanos inter volatilia praecipue celebrabantur.

salivas: ‘sapores’. metonymice: effectus pro causa.

25-80 avarum quasi alloquatur. sed non per dialogum, cum pro avaro Persius ipse sibi respondeat.

25-33 annuas fruges secure consumendas; amicorum vero inopiae etiam cum damno rei familiaris succurendum.

25-26 *messe tenuis propria vive et granaria (fas est) / emole.*

cohortatio ad vitandam avaritiam: vivendum liberaliter secundum rei familiaris facultates: ‘utere opibus tuis quantum facultas redditus tui annui admittit’: ‘*ad modum reddituum tuorum vive. fas enim est, quod in terra nascitur, consumere omnino, cum sit cultura reparabile* [i. e. cum novus annus novos fructus afferat]’. Schol.

tenuis: praep.

granaria ... emole: cf. 5, 110 (*granaria laxes*) adn.

fas est: affirmative: ‘sic in rerum natura positum, concessum est, licet’, cf. ThlL 6, 290, 39 sqq. et 292, 59 sqq., cf. ‘*operi longo fas est obrepere somnum.*’ Hor. ars. 360.

emole: vi praepositionis vigente: ‘molendo exhauri, consume’. apta imagine: qui utitur, bona sua non congerit.

26 *quid metuis? occa et seges altera in herba est.*

quid metuis insumere congestas in granario fruges cum videas in operibus rusticis continuari vices messemque alteram tibi succresci?

metuis: vide Ind. (‘prosodiaca quaedam notabilia’: ‘syllabae breves pro longis ante caesuram’).

occa: vide Ind. (‘imperativus in apodosi condicionalis sententiae’). post occasionem seges mox est in herba. cf. ‘*segetes occat tibi mox frumenta*

daturas Hor. epist. 2, 2, 161. *'occare autem est, cum rustici, satione facta, bobus dimissis, grandes glebas caedunt ac ligonibus frangunt'* Schol.

et: i. q. 'iam', 'tum'. ThlL 5, 1, 894, 55 sqq.

in herba: 'in herba' locutio est de teneris adhuc (frumenti) satis, quae culmos nondum agunt, cf. *'sive in frondibus et herbis, sive iam maturis frugibus.'* Colum. 1, 2, 1; ThlL 6, 2622, 57 sqq.

27-33 poeta obicit (*'ast etc.'*) sibi et respondet (*'nunc etc.'*). de altero opum usu loquitur, qui non ad annuos redditus, ut supra (vv. 25-26), definitur, sed ad necessitatem amici egentis, propter quem rem familiarem etiam cum damno imminui fas est.

27 *ast vocat officium:*

vocat: sc. iubet, ut misero amico succurras.

officium: cf. *'neque enim solum nobis divites esse volumus, sed liberis, propinquis, amicis, maximeque reipublicae'* Cic. off. 3, 63.

27-28 *trabe rupta Bruttia saxa / prendit amicus inops*

trabe: 'navi', cf. 5, 141.

Bruttia saxa: in Ionio mari naufragium passus est (vide 'Ionio' v. 29). Bruttium promunturium saevitia maris notum.

prendit: depingitur homo post naufragium enatans, qui manibus litoris saxa amplectitur. cf. *'prensantemque uncis manibus capita aspera montis'* Verg. Aen. 6, 360; Hom. Od. 5, 321.

inops: viribus corporis privatus. cf. *'deficient inopem venae te'* Hor. sat. 2, 3, 153.

28-29 *remque omnem surdaque vota / condidit Ionio,*

remque omnem ... condidit Ionio: bona sua omnia in mari Ionio perdidit, quasi sepelivit.

surdaque: quae non audita sunt, irrita.

vota: quae navigaturi atque navigantes concipere solent. hic latiore sensu etiam pro: 'spes consiliaque'.

condidit: metaphora ironice sumpta a penu et arca ubi res reconduuntur.

29-30 *iacet ipse in litore et una / ingentes de puppe dei*

iacet etc.: *iacet* postquam enatavit, *et una* iacent imagines deorum tutelarium, quas unda litori appulit, vel potius naufragus, homo pius, secum tulit ligneas illas imagines (quibus fortasse enatavit).

iacet: *iacere* naufragi dicuntur, v. ThLL 7, 1, 10, 43 sqq.

ingentes: per hoc vocabulum navis magnitudo innuitur.

de puppe dei: deorum imagines quorum in tutela navis erat, in puppi constituebantur.

30-31 *iamque obviam mergis / costa ratis lacerae:*

obviam: 'exposita'.

costa ratis lacerae: 'latus navis fractae'.

31-33 *nunc et de caespite vivo / frange aliquid, largire inopi, ne pictus oberret / caerulea in tabula.*

'nunc, <non solum de annuo reditu, sed etiam> de capite concede amico inopi, ne mendicare cogatur'.

nunc: in tanta calamitate, cum ille omni auxilio destitutus sit.

de caespite vivo / frange: 'deme patrimonii tui partem'. per *caespitem vivum* respicit segetem illam quae adhuc in herba est (v. 26), cui opponitur messis, id est annuus reditus.

de caespite vivo: 'vel cum damno tui' (cf. 'dat de lucro, nihil detrahit de vivo [i. e. de sorte pecuniae]' Cic. Flacc. 91; 'de vivo igitur erat aliquid rescandum' Cic. Verr. 2, 3, 118); *caespes* est enim proprie 'terra cum propria herba evulsa' Serv. ecl. 1, 68.

inopi: 'indigenti, paupero'. aliter in v. 28.

ne pictus etc.: quod facere solent naufragi mendicantes, vide 1, 89 sq. adn.

pictus ... in tabula: nam et ipse depictus est in tabula quam gestat.

oberret: ut mendicantes solent. de vi verbi cf. 5, 156 adn.

caerulea in tabula: mare in tabula caeruleo colore adumbratum est. expresse tabula caerulea dicta est quae magnam partem mare repraesentat.

33-41 Persius vanum argumentum sibi obiicit: 'sed etc. paratus' (vv. 33-36), deinde sollemnem quadam ironia, ut qui semper iocatur, se rogat: 'tunc bona incolumis minuas?' (v. 37), tum insulsa Bestii verba adducit (vv. 38-40), quae omnia adeo ridicula sunt, ut poeta suo iure affirmare non dubitet, nihil prorsus tales fabellas sibi metuendas et fas esse rem fami-

liarem minui. Persius itaque in vv. 25-41 adversarii partes in contradictionibus ipse semper agit, neque necesse est nobis dialogum (cum avaro) fingere.

33-34 *sed cenam funeris heres / negleget iratus quod rem curtaveris;*

cenam funeris: 'silicernium'.

iratus: iungendum cum 'quod'.

rem curtaveris: 'bona mutilaveris, minueris'. cf. 4, 52 (*curta*) adn.

34-36 *urnae / ossa inodora dabit, seu spirent cinnama surdum / seu ceraso peccent casiae nescire paratus.*

iratus heres promptus erit ad iusta neglegenter minimoque pretio persolvenda.

urnae ... dabit: 'in urnam condet'.

ossa inodora: ex sequentibus ('seu ...seu') explicatur.

inodora: ad honorem defunctorum pertinebat cremati cadaveris ossa urnae condere admixtis aromatis et odoribus.

spirent ... surdum: 'evanidum odorem emittant', de vetere cinnamo, quod iratus heres vili pretio emit. vide Ind. ('accusativus obiecti interni quod vocant').

seu ceraso peccent casiae: 'seu casiae vili ceraso adulteratae sint'. cf. 'solent pigmentarii ceraso casiam admiscere, sicut et alias merces adulterant et emptoribus vendunt' Schol.

peccent: peccatum fit eo, quod qualitas integra adulteratur, cf. tamen ThlL 10, 1, 888, 24.

nescire paratus: 'facilis ad convivendum'. vide Ind. ('infinitivus adiectivo additur').

37 *tune bona incolumis minuas?*

incolumis: 'indemnis, salvo honore'.

37-38 *et Bestius urget / doctores Graios:*

Bestius increpat philosophos Graecos (cf. 3, 77 sqq.; 5, 189 sqq.), quod secum attulerint artem liberaliter vivendi quo fit ut bona dissipentur.

Bestius: Bestius ex Horatio (epist. 1, 15, 36 sq.) notus, homo fuit severus vel ex luxurioso postea nescio quo pacto factus severus. fortasse Lucilium potius quam Horatium (qui et ipse Bestii personam ex illo sumpsisse videtur, cf. Kießling – Heinze ad l.) respicit.

38-40 *'ita fit: postquam sapere urbi / cum pipere et palmis venit nostrum hoc maris expers, / fenisecae crasso vitiarunt unguine pultes.'*

ordo est: 'postquam cum pipere et palmis urbi venit sapere hoc nostrum maris expers, fenisecae crasso unguine vitiarunt pultes'. vel explanatius: 'postquam urbi (i. e. Romae) evenit, ut, una cum externis mercibus advectis nostra haec quae antea simplex erat vitae ratio (*'nostrum hoc maris expers'*) sapere inciperet, Romani illi, qui antea rudes atque agrestes homines (*fenisecae*) pulte mera victitantes erant, coeperunt delicate vivere et pultes suas lautis cibus mutare'.

ita fit: 'hoc fieri videmus'.

postquam sapere urbi ... venit nostrum hoc maris expers: i. e. 'postquam urbi evenit ut *nostrum hoc maris expers* sapere inciperet'.

sapere urbi ... venit: 'urbi sapere evenit', i. e. factum est ut urbs sapere inciperet. de verbi *veniendi* sensu 'evenire, usu venire' vide OLD s. v. 15. viget praeterea ea verbi significatio in qua natum est: nam *pipere* quoque *cum palmis* in urbem veniunt.

nostrum hoc maris expers: 'nostra haec navigii ignara (i. e. externarum (transmarinarum) rerum ignara atque ideo simplex) vitae ratio'. vide Ind. ('substantive ...').

pipere: de pipere cf. 3, 75; 5, 55; 136.

palmis: 'dactylis'.

crasso: 'multo', cf. 3, 104.

vitiarunt: 'in peius mutaverunt'. neglecta simplice illa priscorum pulte, unctos (i. e. lautos) cibos comesse coeperunt.

pultes: puls cibus est simplex priscorum Italicorum, qui ex farre (aut leguminibus) sale et aqua constabat.

41 *haec cinere ulterior metuas?*

dicit haec talia meras nugas esse.

haec: 'talia'.

cinere ulterior: '*postquam factus fueris cinis*' (Schol.), 'post mortem'. cum ironia dicitur, cf. 1, 36 (*cinis ... felix*) adn.

41-69 alloquitur heredem, cuius tamen personam ipse gerit in responsis.

41-51 'atque ut tu, mi heres, scias vacuum me esse ab hoc inani metu (cf. 41), dico tibi, propositum mihi esse gladiatorium munus propter laetam Cae-

saris de Germanis victoriam edere magnamque pecuniam popello impendere, neque terret me sumptus magnitudo: faciam. quid tu igitur ad haec? audesne praeclaram hanc meam munificentiam improbare?’ versibus 27-33 de liberalitate egerat, his autem versibus mera pecuniae profusio describitur, cf. ‘omnino duo sunt genera largorum, quorum alteri prodigi, alteri liberales: prodigi qui epulis et viscerationibus [cf. vv. 50-51] et gladiatorum muneribus [cf. vv. 48-49] ... pecunias profundunt in eas res quarum memoriam aut brevem aut nullam omnino sint relicturi, liberales autem qui suis facultatibus ... aut aes alienum suscipiunt amicorum ... aut opitulantur vel in re quaerenda vel augenda [cf. vv. 27-33].’ Cic. off. 2, 55.

41-42 *at tu, meus heres / quisquis eris, paulum a turba seductor audi.*

at: haec particula in dialogo (vel in coloribus dialogum imitantibus) saepius ingerit initium responsi, cf. ThL 2, 993, 28 sqq.

meus: ‘mi’. cf. Kühner-Holzweissig, p. 447.

quisquis eris: cf. 1, 44.

paulum a turba seductor audi: i.e. huc paulisper a turba remotus concede et audi.

seductor: (compar. abs.) heredem sevocat, ut remotis arbitris (cf. 2, 4 (*seductis*) adn.; 5, 21; 143) liberius loquatur; quod ni ita esset ille propter inconsulta responsa in offensam vulgi incurrere posset (vide v. 51 sq.).

43-44 *o bone, num ignoras? missa est a Caesare laurus / insignem ob cladem Germanae pubis,*

bone: vide 3, 94 (*bone*) adn.

num ignoras?: sc. victoriam Caesaris, quae per ora omnium fertur.

num: ironice¹.

missa est ... laurus: (metonym.) ‘missae sunt litterae laureatae’, quibus imperatores senatui victoriam nuntiabant. cf. ‘[sc. laurus] Romanis praecipue laetitiae victoriarumque nuntia additur litteris’ Plin. nat. 15, 133.

Caesare: Gaius Caligula (sicut ex Caesoniae uxoris mentione (v. 47) elucet) intellegitur, qui cum de simulato hoste triumphare vellet, ementitae victoriae, quasi Germanos longe lateque vicisset, nuntios ad senatum misit. vide Suet. Cal. 43-49.

insignem etc.: grandia haec verba per irrisionem protulit Persius. cf. Suet. Cal. 46.

¹ cf. D. R. Shackleton Bailey, ‘Num in direct questions: a rule restated’, CQ 3 (1953), p. 123 sq.

44-45 *et aris / frigidus excutitur cinis,*

post longum tempus (ideo cinis dicitur *frigidus*) sacra instaurantur: veterum sacrificiorum cineres residui removentur, ut arae ad nova sacrificia praeparentur.

45-46 *ac iam postibus arma, / iam chlamydes regum, iam lutea gausapa victis*

ac iam postibus arma: sc. *locat Caesonia* (v. 47), i. e. administrari facit Caesonia. *arma* hostium, victoriae signum, postibus affigebantur. ceterum turpe erat spolia postibus affigere nisi de hoste capta. cf. Fest. p. 352, 6 sq. L.

iam ... / iam ... iam: sensus copulativus 'et – et' apud auctores nusquam (pace ThL 7, 1, 119, 7 sqq.) sine affectu quodam profertur. hic est color festinationis (cf. ThL 7, 1, 118, 46; 44 sqq.), omnis enim triumphus apparatus ante imminem C. Caesaris adventum expromendus fuit.

postibus: (dat.) sc. templorum.

iam chlamydes regum: quae falsi reges in pompa induant. advertenda ironia: cum capti reges desint (si quidem Adminium Cynobellini Britannorum regis filium excipias, qui pulsus a patre cum exigua manu ad C. Caesarem transfugit. vide Suet. Cal. 44, 2), chlamydes saltem parantur, quibus suppositicii reges in triumpho ornentur.

lutea: quae rutilam Germanorum comam imitetur.

gausapa: intelleguntur lutei coloris capillamenta (cf. 4, 37) quae capitibus aptata homines in Germanorum speciem formarent.

47 *essedaque*

essedae (*essedum* est vehiculi genus quo Galli atque Britanni soliti sunt pugnare) ad triumphum pertinent.

47 *ingentesque locat Caesonia Rhenos.*

ingentesque ... Rhenos: Rheni fluvii praegrandes effigies, quae in triumpho portentur. ceterum complures Rheni, res ridiculae.

locat: 'redemptori(bus) addicit'. i. e. hos omnes triumphus apparatus (*arma, chlamydes, gausapa, esseda, Rhenos*) faciendae vel comparandae pretio, et quidem minimo¹, proposito committit Caesonia.

Caesonia: Gaii Caesaris uxor.

¹ cf. 'scripsit (sc. C. Caesar) et procuratoribus, triumphum apparent quam minima summa, sed quantus numquam alius fuisset, quando in omnium hominum bona ius haberent' Suet. Cal. 47.

48-49 *dis igitur genioque ducis centum paria ob res / egregie gestas induco.*

‘itaque ob res bellicas praeclare gestas meo sumptu apparatissimum munus gladiatorium edo, quo diis genioque imperatoris gratificer’.

paria: sc. gladiatorum.

induco: sc. in harenam.

49-50 *quis vetat? aude. / vae, nisi conives.*

quis vetat?: i. e. nemo vetare potest quominus ludos hos gladiatorios instituam. haec formula rem concessam saepius¹ exprimit.

aude: sc. ‘id vetare’.

vae, nisi conives: ‘vae tibi, si renuis aut saltem non dissimulas’, nam cupiditatem tuam maioribus etiam sumptibus discruciare possum iamque novam profusionem (quam sequentibus verbis indicat: ‘oleum etc. largior’) agito.

50-51 *oleum artocreasque popello / largior.*

‘quin etiam meo sumptu populo congiarium atque viscerationem do’.

artocreas: (vox composita ex ἄρτος et κρέας) est visceratio², in qua populo caro et panis divise³ proponebantur.

popello: cum levi quodam contemptu dictum, cf. 4, 15 adn.

51-52 *an prohibes? dic clare. ‘non adeo’ inquis / ‘exossatus ager iuxta est.’*

sensus: tu, mi heres, non audebis clare mihi contradicere quominus largitiones meae fiant, timens ne iratus populus te lapidibus⁴ ex vicino hoc agro sumptis obruat.

dic clare: cf. 2, 8.

¹ exempla v. in comm. Georgii Luck ad Ov. trist. 1, 2, 11 (Heidelberg 1968, vol. 2, p. 26 sq.).

² Gloss. 2, 209, 48.

³ cf. Kißel, 833. itaque errare videntur qui putant (e. g. André, *L'alimentation*, p. 218) artocreas edulii genus esse pane et carne constans.

⁴ cf. Kießling – Heinze ad Hor. epod. 5, 97: ‘Steinigung ist bei den Römern stets Lynchjustiz, nicht wie lange Zeit bei den Griechen anerkannte Strafe: *obruere ista solet manifestos poena nocentes, publica cum lentam non capit ira moram* Ov. Nux 3 fg. So sagt Cicero von Verres, ohne seinen Kollegen Piso *lapidibus coopertus esset in foro* 1, 119’.

non adeo ... exossatus: lapidum plenus¹, ‘non adeo sine lapidibus’, ‘non adeo elapidatus, lapidibus purgatus’.

adeo: adv.

iuxta est: ‘in propinquo’.

52-56 huiusmodi argumentum inducitur: ‘at quid est, cur tibi, mi heres, quidquid omnino relinquere debeam? finge me propinquos cognatosque nullos habere. at possum, te neglecto, ignotum quemque heredem mihi instituere. praedia mea sunt ad octavum miliarium viae Appiae²; si hinc Bovillas et ad clivum Virbi accedo, quae loca vicina³ praediis meis sunt, iam primus quisque qui mihi obvius erit, ut puta Manius mendicus, sit mihi heres’.

52-55 *age, si mihi nulla / iam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis / nulla manet patruī, sterilis matertera vixit / deque avia nihilum superest*, Persius per gradus quosdam cognationis (cf. dig. 38, 10, 1; 10) procedit fingitque nullam sibi legitimam heredem esse. feminae tantum recensentur eo proposito, ut marem quoque cognationem sibi deesse tacite intelligatur. et certe bona sua matri et sorori reliquit (quarum commemoracionem hoc loco verecunde omisit. ceterum cf. 2, 39 (*nutrici*) adn.), ut Vita docet: ‘*reliquit circa HS vicies matri et sorori*’.

age: interiectio quae animi attentionem excitat cum novum aliquid affirmatur. cf. ThL 1, 1405, 16-34.

nulla / iam: cf. ThL 7, 1, 99, 5 sqq.; 22.

sterilis matertera vixit: ‘si soror matris iam defunctae (‘*vixit*’), stirpem nullam reliquit’.

deque avia nihilum superest: ‘si avia mea et posterī eius mortui sunt’.

55-56 *accedo Bovillas / clivumque ad Virbi: praesto est mihi Manius heres.*

Bovillas: ‘*Bovillae sunt vicus ad undecimum lapidem Appiae viae*’ Schol.

Virbi: ‘*quatuor milibus ab urbe [sc. Aricia] est Virbi clivus, qua iter est ad Ariciam et ad nemus Dianae, ubi Virbius colitur, id est Hippolytus*’⁴ Schol. ad

¹ nam lapides ossa terrae dicuntur, cf. Ov. met. 1, 393.

² vide Vitam Persi.

³ vide v. 55 (*Bovillas*) adn. et v. 56 (*Virbi*) adn.

⁴ Thesei filius. qui post mortem ab Aesculapio, Diana intercedente, ad vitam restitutus, Virbii nomen accepit. Verg. Aen. 7, 761; Ov. met. 15, 497.

eum locum multitudo hominum confluebant et mendici frequentes erant, cf. Iuv. 4, 117 sq.; Mart. 2, 19, 3.

praesto est mihi Manius heres: pro: 'continuo inveniam pauperem et ignobilem heredem'.

Manius: Manius pro quolibet mendico vel homine humilis condicionis. secundum proverbium '*multi Mani Ariciae*'¹, cuius sensus, licet ab auctoribus obscure explicetur², fere est: 'in loco frequentato multi sunt homines humilis condicionis'³.

57 '*progenies terrae?*'

'at tu, mi heres, ad haec (vv. 55-56) mirabundus obicias, me heredem velle instituere hominem ignotum'.

progenies terrae: 'terrae filius' dicitur homo ignotus obscuro loco natus⁴.

57-60 respondit poeta, quemvis hominem, si altius maiores suos repetere cogatur, ab ignoto auctore originem ducere fateri necesse est. tum probat se et Manium genere proximos esse hac ratiocinatione: 'pater tritavi mei et Manius filii terrae sunt (i. e. ex eadem matre (terra) geniti), ergo Manius non multum abest quin tamquam maior meus avunculus censeatur'.

57-58 *quaere ex me quis mihi quartus / sit pater: haut prompte, dicam tamen*; 'si quaeras quis abavus meus fuerit, cunctanter licet, respondebo tamen'.

quaere: vide Ind. ('imperativus in apodosi condicionalis sententiae').

quartus ... pater: 'dicit abavum, quia primus pater, secundus avus, inde proavus, deinde abavus' Schol.

haut prompte, dicam tamen: μόλις μὲν, ἐξερῶ δ' ὄμως.

haut prompte: 'non facile'. cf. 2, 6 (*haut cuius promptum*) adn.

¹ Otto, *Sprichwörter*, p. 208 (nr. 1030).

² cf. '*Manius Egerius lucum Nemorensem Dianae consecravit, a quo multi et clari viri orti sunt, et per multos annos fuerunt; unde [et] proverbium: "multi Mani Ariciae". Sinius Capito longe aliter sentit. Ait enim turpes et deformes significari, quia Maniae dicuntur deformes personae, et Ariciae genus panni fieri, quod mania [cod. manici] appellatur*' Fest. p. 128, 15-22 L., cf. '*aut certe Manium dicit deformem et ignotum hominem eo, quod maniae dicuntur indecori vultus personae, quibus pueri terrentur*' Schol.

³ cf. '*iam Manios aliquot habet et mulierem essedariam et dispensatorem Glyconem*' Petron. 45, 7; Cato. r. r. 141, 1.

⁴ cf. Otto, *Sprichwörter*, p. 344 (nr. 1763).

58-59 *adde etiam unum, / unum etiam: terrae est iam filius.*

‘si ultra me quaeras quis atavus, quis tritavus¹ fuerit, non habebō quod de illo dicam: is itaque iuste terrae filius vocandus mihi erit’.

59-60 *et mihi ritu / Manius hic generis prope maior avunculus exit.*

ritu ... generis prope maior avunculus: ‘ritu generis (i. e. iure cognationis) prope maior avunculus’.

maior avunculus: ‘proavunculus’ (*avunculus maior: is est proaviae frater, patris vel matris avunculus magnus*’ Paul. dig. 38, 10, 10, 16; ‘*proavunculus ... id est proaviae frater*’ Gai. dig. 38, 10, 1, 7). proprie prope locutus est Perseus: ‘tritavus meus et Manius sunt Terrae filii, ergo fratres inter se, igitur Manius est prope maior meus avunculus’. ceterum tritavi frater tritavunculus dici deberet, quod tamen vocabulum linguam latinam deficit; ideo apte dixit *prope* proavunculum, cum latiore sensu unum ex cognatis significare vellet.

exit: ‘fit’, hac cognationis ratione habita. cf. 5, 78 (*exit*) adn.

61 *qui prior es? cur me in decursu lampada poscis?*

sententia est: ‘qui (i. e. quomodo. cf. 5, 130) tu mihi potior heres habendus es? cur in fine vitae meae hereditatem expetis?’ imago tracta est a Graecorum λαμπραδηφορίας certamine, in quo fax ardens a cursoribus continuatis successionibus tradebatur. inde translatio satis vulgata de quavis continua rerum serie, cf. Varro r. r. 3, 16, 9; Lucr. 2, 77 sqq.

in decursu: ‘in fine cursus mei’² ut sensus fiat: ‘demenso spatio vitae’³.

62-63 ‘in insperato lucro deputa hereditatem meam gratoque animo accipe quidquid reliquero’.

62-63 *sum tibi Mercurius; venio deus huc ego ut ille / pingitur.*

‘*cum lucro venio ad te. Mercurium enim deum lucri dicebant*’ Schol.

¹ cf. ‘*parentes usque ad tritaovum apud Romanos proprio vocabulo nominantur, qui non habent speciale nomen, maiores appellantur*’ Paul. dig. 38, 10, 10, 7.

² cf. ‘*in decursu honorum* [i. e. decursis honoribus]’ Cic. de or. 1, 1; fam. 3, 2, 2; ‘*destitit ante decursum*’ Suet. Nero 24, 2.

³ ceterum frustra moliuntur qui ‘in decursu’ sensu ‘in ipso cursu’ vel ‘in medio cursu’ intellegunt. loci autem quos huc Otto Iahn vocat (Verg. Aen. 11, 189; Tac. an. 2, 7, 3, cf. ib 2, 55, 6; 3, 33, 3) a re prorsus alieni sunt.

Mercurius: cf. 2, 44 (*Mercuriumque*) adn.

ut ille pingitur: 'quia eum cum saccello pleno pecuniae pingebant' Schol.

63 *an renuis?*

'an forte ea, quae tibi offero, spernis?' Schol.

63 *vis tu gaudere relictis?*

'an dubitas grato animo accipere quidquid tibi reliquero?'

vis: cf. "'vis" non interrogantis modo est ut "vin", sed orantis, hortantis, flagitantis, iubentis' Bentley ad Hor. sat. 2, 6, 92.

64 '*dest aliquid summae.*'

tu, mi heres, fortasse obicias deminutum a me esse patrimonium. at ego tibi respondeo:

64-65 *minui mihi, sed tibi totum est / quidquid id est.*

'si quid consumpsi, de meo detraxi, non de tuo. tibi enim quantulumcumque erit, quod relinquam, totum et integrum erit' (quandoquidem non potuit imminui hereditas quae nondum erat hereditas).

65-66 *ubi sit fuge quaerere, quod mihi quondam / legarat Tadius,*

sensus: 'noli curiosius inquirere quid de quoque legato quod quondam acceperam, factum sit, cur imminuerim'.

fuge quaerere: 'noli quaerere'. de formula cf. Hor. carm. 1, 9, 13.

legarat: 'testamento reliquerat'.

Tadius: pro quolibet testatore.

66-68 *neu dicta: 'pone paterna, / fenoris accedat merces, hinc exime sumptus: / quid relicum est?'*

sententia: 'neque putida diligentia ad calculos bona mea revoces', 'neque computando mihi (dativ. ethic.) decantes bonorum meorum rationem'.

dicta: imperativ.

'pone etc.: heres computat: 'refer in acceptum quod hereditate a patre habes, adde redditus usurarum, de summa deme quod impendisti: quid superest?'

fenoris: fenus hic est pecunia usurarum gignendarum causa collocata.

merces: 'usurae'.

hinc: i. e. de paternis bonis cum usuris.

sumptus: sc. meos.

quid relicum est?: subducit rationem dicens: 'quid sumptibus detractis redundat?'

68-69 *relicum? nunc nunc impensius ungue, / ungue, puer, caules.*

relicum?: ex more indignantium vocabulum repetit poeta, sensu: 'etiam rogas?'.
nunc nunc etc.: 'velut exardescat ira, lautius se et sumptuosius vivere minatur, et multo magis abuti rebus, et praecipit lautiores sibi escas iam parari' Schol. de formula cf. Hor. sat. 2, 3, 124 sqq.

nunc nunc: est urgentis. cf. 3, 23; Wills, *Repetition*, p. 108.

impensius: 'largius', ThL 7, 1, 549, 22 sqq.

ungue, / ungue: cf. v. 16.

puer: servum adloquitur.

69-74 *egone, cum sim dives, festis diebus vilissimis cibus deparcus vicitim ut ganeo et voluptarius heres meus deliciis diffluat? absit. cf. 'et saturatus anserum iecinoribus in patriciarum turpibus stupris bona mea consumat, cum in eo libido exarserit'* Schol. ad v. 69.

69-70 *mihi festa luce coquetur / urtica et fissa fumosum sinciput aure,*

festa luce: 'festo die', cum lautius vivere decet.

urtica: qua pauperes vesci solebant.

fissa ... aure: (abl. qualit.) 'scissa aure'. innuit pervetus sinciput esse saepeque iam in usu fuisse. nam sinciput, ubi frustulum carnis sectum erat, unco in aure defixo in cella suspendebatur; quod cum saepius fieret, factum est ut foramen auris paullatim in fissuram dilataretur.

fumosum: diutius fumo conditum (quo melius duret) atque pervetus, iam diu in cella suspensum. ceterum ad fumum servata caro minus delicata fit, hominibus pauperibus tantum comedenda, cf. Hor. sat. 2, 2, 116 sq.

sinciput: porcinum sinciput fumo conditum cibus est satis vilis.

71 *ut tuus iste nepos olim satur anseris extis,*

tuus iste: ironice, cf. 'quid iste tuus praeter nova carmina vates / donat?' Ov. am. 1, 8, 57 sq. cf. ThL 8, 917, 84 sqq. nepos iste tibi adeo gratus¹,

¹ de hoc sensu (inest lepida quaedam ironia) cf. 'hoc quidem ... isti tui dicunt voluptarii Graeci' Cic. Pis. 42; 'Platonem illum tuum quem admiraris' Cic. leg. 1, 15.

cuius anxia cura gerenda est cuiusque causa parcus esse debes scilicet ne irascatur, ut heres ille in vv. 33 sqq. per ‘*tuus*’ secum disputans avarum illum imaginarium (vv. 25 sqq.) quasi denuo alloquatur Persius. cf. 3, 21.

nepos: ‘homo dissolutus’.

olim: ‘postero tempore’.

satur anseris extis: ‘*saturatus anserum iecinoribus*’ Schol. anseris iecur hodie etiam inter delicatissima edulia censetur.

extis: sic per contemptum dictum.

72-73 *cum morosa vago singultiet inguine vena, / patriciae inmeiat volvae!*

(*ut ... nepos*) ... *cum ... singultiet ... vena, / patriciae inmeiat volvae*: sensus: ‘ut nepos semen iniciat in vulvam matronae, cum mentula illius libidine incitabitur’.

morosa ... vena: ‘mentula cui difficile satisfieri potest’, cf. ‘*morosa prurigine ... auris*’ Mart. 14, 23, 1. cf. ‘*morosa est ... perversis moribus*’ Non. p. 433, 27 M.

vago ... inguine: dictum de inguine nepotis, qui libidinose sine stabili conubio vivit, cf. ‘*concubitu ... vago* [= promiscuo]’ Hor. ars 398; ‘*Venerem incertam*’ id. sat. 1, 3, 109.

singultiet: de excitata mentula, quae concisis motibus movetur dum quasi singultiens¹ semen eiicere conatur².

inmeiat: ‘semen iniciat’.

73-74 *mihi trama figurae / sit reliqua, ast illi tremat omento popa venter!*

‘egone ossa ac pellis fiam, ut nepos ille pinguescat?’

trama figurae: quasi ‘subtemen corporis’. imago ducta a subtemine, quod est res tenuis et translucida filis late adhuc distantibus. τὸ σκελετόν hodie dixeris.

tremat: de obeso ventre qui in motu corporis subsilit.

¹ nam nihil necesse est singultiendi vel singultandi verba ita semper interpretari, ut de sonitu tantum agatur, cf. ‘*truncum ... / sanguine singultantem*’ Verg. Aen. 9, 332 sq.

² apte dixit: nam sicut singultus sternumento finitur (Cels. 2, 8, 15) ita mentulae concitatio coitu solvitur. subest fortasse et illa imago: personificata (cf. 4, 48: Hor. sat. 1, 2, 68) ista mentula queritur (*singultiet*, ‘suspiria ducet’, quasi plorans. cf. penem lacrimantem apud Lucil. 307 M.) vulvam sibi deesse.

omento: 'pinguedine'. cf. 2, 47 adn.

popa venter: (vide Ind. s. v. 'attributum') 'pinguis venter': 'venter quae popae esse possit' et quasi 'multorum animalium mactator venter'. imago ducta a popis i. e. victimariis (sacerdotum ministris), qui hostiarum quas feriebant reliquiis saginati pingues plerumque esse solebant.

75-80 concludit poeta per ironiam se ipse avari verbis ad rem familiarem augendam adhortans: vv. 75-78 (cf. 5, 134-137). cui respondet ipse: 'feci etc'. sententia: avaris nullo modo satisfieri posse. facilius Chryssippi acervo finem poni quam lucri cupiditatem explere.

75-76 '*vende animam lucro, mercare atque excute sollers / omne latus mundi, vende animam lucro*: 'redime lucrum anima tua' i. e. omnibus modis vel animae i. e. vitae periculo¹ lucrum quaere.

excute: 'perquire, scrutare' (sc. ut merces novas invenias) cf. 1, 49 adn.; 5, 22.

latus mundi: 'plagam mundi'.

76-77 *nec sit praestantior alter / Cappadocas rigida pinguis plausisse catasta; 'nec sit quispiam te melius in exercendo mangonico quaestu'*, i. e. nullus esto tam turpis quaestus, quem non exerceas.

praestantior: cum '*plausisse*' iungendum. vide Ind. ('infinitivus adiectivo additur'. cf. '*nil obstat tibi, dum ne sit te ditior alter*' Hor. sat. 1, 1, 40.

Cappadocas: 'servos ex Cappadocia'. Cappadoces servi robusti (cf. '*pinguis*') altaeque staturae erant (cf. 5, 95 (*alto*) adn.), iidem stulti habebantur. notandum est tria vocabula ('*Cappadocas rigida*² *pinguis*') continua serie posita stoliditatem quandam exprimere.

rigida: 'dura, quae (sc. magnum pondus sustinens) non flectitur'.

plausisse: mango nuda venalium corpora manu palpat ostendens emptoribus bonitatem suorum mancipiorum. de inf. perf. usu cf. 1, 42 (*meruisse*) adn.

catasta: '*apud antiquos ... venales in catasta ponebantur, ut in eis possent omnia membra conspici*' Schol.

¹ hoc potest ad navigantium pericula respici.

² licet ad '*catasta*' spectet.

78 *rem duplica.*'

rem: sc. familiarem.

78-79 *feci; iam triplex, iam mihi quarto, / iam decies redit in rugam. depunge ubi sistam:*

per ironiam respondet: 'age, sit ita. fingamus me rem meam duplicasse, triplicasse, quadruplicasse quin etiam decuplasse. quid postea? dic, ubi mihi divitiarum faciendarum terminus statuendus sit?'

feci: i. e. rem meam duplicavi.

quarto: adv.

redit in rugam: 'denuo plicatur', quasi dicat: 'multiplicatur'. '*in rugam ἀλληγοικῶς dixit a vestibis, quod ad rugam plicentur*' Schol. itaque '*decies redit in rugam*' est: 'decuplatur'.

redit: sc. res familiaris.

depunge ubi sistam: 'puncto nota, adsigna, ubi mihi lucri faciendi finis sit'.

depunge: hapax. 'καταστίζω: *depungo*' Gloss. 2, 344, 7.

80 *inventus, Chrysippe, tui finitor acervi.*

ironice adicit poeta: 'iam mihi inventus est, qui notissimum illud Chrysippeum soritis¹ problema solvit'. nimirum qui avaritiae modum imponere potest, potest etiam Chrysippi acervo finem ponere. cf. '*Chrysippus philosophus Stoicus syllogismum σωρίτην vocavit quem per adiectionem et de-tractionem ex acervi frumentarii similitudine ostendit*' Schol.

Chrysippe: Chrysippi philosophi scripta Persius in deliciis habebat. vide Vitam Persi.

finitor: 'qui finit'.

acervi: 'soritis'.

¹ sorites est syllogismus de illis rebus, quae non habent terminos, aut modum certum et assignatum. quaeritur, verbi causa, an granum sit acervus? – non. an centum grana? etc.

VARIA DE PERSIO IUDICIA
SAEC. XIV – XX

Dante Alighieri 1265-1321

"Costoro¹, e Persio ed io ed altri assai",
rispose 'l duca mio, "siam con quel greco²
che le muse lattâr più ch'altri mai,
nel primo cinghio del carcere cieco:
spesse fiate ragioniam del monte³,
che ha le nutrici⁴ nostre sempre seco."⁵

La Divina Commedia, Purg. 22, 100 sqq.⁵

Francesco Petrarca 1304-1374

‘Non capit hic locus poetarum vitas. Quanta Virgilii integritas! quenam Statii urbanitas! que facietie Nasonis! que fides Enii! que Pacuvii gravitas! quis Vari candor! que Flacci discretio! que Persii pietas! que modestia Lucani! que libertas atque constantia Iuvenalis! Longum est singulos attingere, nec oportet.’ *Invective contra medicum* [ed. princeps 1496], lib. III in: Francesco Petrarca, *Invective contra medicum*. Edizione critica a cura di Pier Giorgio Ricci. Roma 1978, p. 69.

‘Satis ne, oro, igitur digne breve illud et hispidum poema non aliunde quam ab exclamationibus orsus est Persius: ‘o curas hominum, o quantum est in rebus inane? [sat. 1, 1]’. *Familiarium rerum libri*, 8, 5, 18 in: Francesco Petrarca, *Le familiari*. Edizione critica per cura di Vittorio Rossi. Firenze 1934, vol. 2, p. 227⁶.

¹ sc. Terentius, Caecilius Statius, Plautus, Varius (alii Varronem intellegunt).

² Homerum dicit.

³ mons Parnasus.

⁴ Musae.

⁵ cf. E. Paratore, *De Persio apud Dantem* in: *Latinitas*, 12, 1964, 193-200.

⁶ cf. Pers. 5, 66 sqq. adn.

Giovanni Boccaccio 1313-1375

‘<...> si dicant leges non pati quicquam approbari testimonio unius, venusinum insuper Flaccum suscipiant, Persium vulterranum, Iuvenalem aquinatem, quorum satyricum carmen tanto virtutis impetu in vicia viciososque invehitur, ut eos exterminare videatur.’ *Genealogie deorum gentilium libri*. lib. 14, cap. 15 § 12 in: Brigitte Hege. *Boccaccios Apologie der heidnischen Dichtung in den Genealogie deorum gentilium libri. Buch XIV*. Text, Übersetzung, Kommentar und Abhandlung (Ad Fontes. Quellen europäischer Kultur. Hrsg. von Michael von Albrecht. Bd. 4). Tübingen 1997, p. 112.

Enea Silvio Piccolomini 1405-1464

‘Satyri apud nos hodie tantum tres inveniuntur, Horatius, Iuvenalis, Persius, potest et Martialis Cocus Satyrus videri, sed carmen satyrae legem praeteriit. Horatius fuit multae eloquentiae, doctrinae, Vergilio parum minor: utilis est ubique <...> Sunt tamen in eo quaedam quae tibi nec legere voluerim, nec interpretari. Iuvenalis alto satis ingenio pleraque nimis licenter locutus est. In aliquibus autem satyris tam religiosum se praebuit, ut nostrae fidei doctoribus in nullo cedere iudicetur. Persius nimis obscurus est, utilis tamen. Martialis perniciosus, quamvis floridus et ornatus, ita tamen spinis densus est, ut legi rosas absque punctione non sinat.’ *De liberorum educatione* (1450) in: Aeneae Sylvii Piccolominei ... *opera quae extant omnia*, Basileae 1571, p. 984 [Aeneas Silvius, *De liberorum educatione*. Washington 1940 (The Catholic University of America. Stud. in Med. and Ren. Lat. Lang. and Lit. XII), p 184].

Cristoforo Landino 1424-1498

‘prudens vehemensque vates Persius.’ *Disputationes Camaldulenses* (ed. princ. Florentiae ca. 1480) in: Cristoforo Landino, *Disputationes Camaldulenses*, a cura di Peter Lohe. Firenze 1980, p. 230.

Rudolf Agricola 1443/4-1485

‘In satyra videmus, idem tribus illis, qui adhuc extant, Horatio, Persio et Iuvenali, institutum esse, eandemque rem tractari. Ea est, ut mores vitamque emendent, et reprehendant vitia. Suum tamen quisque secutus est colorem. Horatius ridentis speciem et ‘ingenuo’ (ut ipse ait) ‘culpam defigere ludo’ [Pers. 5, 16] affectavit. Persius severiorem et prope philosophi personam accepit. Docendo itaque reprehendit, et reprehendendo docet. Iuvenalis indignantis et irati plerumque praefert speciem.’ *De inventione dialectica libri tres* [1515], lib. 3, Cap. 2: *Quot modis a dicente tractentur affectus* in: Rudolf Agricola, *De inventione dialectica libri tres. Drei Bücher über die Inventio dialectica*. Auf der Grundlage der Edition von

Alardus von Amsterdam (1539) kritisch herausgegeben, übersetzt und kommentiert von Lothar Mundt. Tübingen 1992, p. 440.

Jakob Wimpfeling 1450-1528

‘Iuvenalem puero tradi vetamus propter spurcitiā; Persium propter obscuritatem.’ *Isidoneus Germanicus* s. l. s. a. [ca. 1497], cap. 21, fol. XIX^v.

Filippo Beroaldo 1453-1505

‘<...> et sanctitate scribendi et sententiarum pondere et satyrica urbanitate nulli postponendus esse videtur. insectatur vitia. Sontes carpit: preceptis legentium animos sanctissimis format et imbuit. aliquando subobscurus esse creditur propter hominum temporumque inscitiam et rerum ignorationem. Sed si quis curiosius poema luculentum introsperit proculdubio cognosceret id esse tersissimum atque elegantissimum.’ *Philippi Beroaldi oratio habita in enarratione Persii poetae Satyrici* in: P. Auli Persii *familiaris explanatio. Cum Joan. Britannici eruditissima interpretatione* ... Lugduni 1500, f. IV^v.

Angelo Poliziano 1454-1494

‘poeta diligentissimus’. *Miscellaneorum centuria prima*, cap. 98 (1489) in: Angeli Politiani *Opera, quae quidem extitere hactenus, omnia*. Basileae 1553 (ed. anast. Torino 1971), p. 307¹.

iudicium de Horatio, Lucilio, Persio et Iuvenale:

‘Hinc venusina favos dulci jucunda susurro
Carpsit apis; sed acu ferit irritata cruento
Haec eadem, rigidis Auruncae in vepribus errans,
Quas Persi manus et bilem succensus Aquinas
Mox legere sibi.’

Nutricia (scr. 1486, ed. 1491) = *Sylvae* 4, 640-644 in: Angelo Ambrogini Poliziano, *Prose volgari inedite e poesie latine e greche edite e inedite*. Raccolte e illustrate da Isidoro del Lungo. Firenze 1867 (ed. anast. Hildesheim – New York 1976), p. 415.

Desiderius Erasmus 1466? – 1536

in dialogo q. i. *Ciceronianus* (ed. pr. 1528) hoc ordine optimos poetas, qui plurimum ‘tum elegantiae, tum eruditionis’ habent, enumerat Erasmus: Vergilius, Horatius, Ovidius, Lucanus, Persius. *Opera omnia* Desiderii Erasmi Roterodami. Amsterdam 1971, t. I-1, p. 624, cf. ib. t. I-7, p. 30.

¹ cf. *Praelectio in Persium*, ib. p. 512-516; Angelo Poliziano, *Commento inedito alle satire di Persio*. A cura di Lucia Cesarini Martinelli. Firenze 1985.

Jakob Locher (Philomusus) 1471-1528

‘Auli Flacci Persii satiras numero sex, cura singulari factas, erudicione multiuga pollentes, acrimoniaque uellicandi peruersos hominum mores severas et, ut a plerisque dicitur, aceto mordaci lotas auspicabor. In quibus certe promendis elucidandisque conabor idipsum, ut auditores nostri, quicumque futuri sunt, Persii sensus, ledorias, scomata et totam mentem capiant, et quorundam male institutorum stultam famam exclamacionemque ex professo improbent, qui sensum obscurissimum et paucorum perceptibilem rumificant. Hunc tibi rumorem, studiose auditor, coram dissoluam et omnem obscuritatem, que indoctis atque stertentibus eciam in uigilantissimis libris obuenerit, procul abigam et immissa luce fumum tenebrasque abstergam. Iam non est operis mei poetae Flacci mores, ingenium et doctrinam pensitare. Tanti, queso, fac Persium, quanti Lactantius, Iheronimus, Augustinus et reliqui christianorum praemipili, quantique Seneca, Lucanus, Cesium Cornutus et Marcialis fecerunt.’ in: Stephan Randlinger, ‘Vorlesungs-Ankündigung von Ingolstädter Humanisten aus dem Anfang des 16. Jahrhunderts’ in: *Beiträge zur Geschichte der Renaissance und Reformation. Joseph Schlecht zum sechzigsten Geburtstag*. Freising 1917, p. 358¹.

Heinrich Bebel 1472-1518

‘Satyrici autem sunt Persius, Oratius et Iuuenalis, acerbissimi viciorum castigatores, et ob hoc non praetereundi. Sunt tamen in eis parum proba quaedam, sed lasciuia et turpitudinem narrantia (quae sunt caute adolescentibus ab eruditis praeceptoribus exponenda).’ *Opusculum de institutione puerorum*. Argentorati 1513, fol. g^f.

Paulus Crosnensis ca. 1475-1517

‘Cuius, Pegasidum cohors dearum
 Nec non plectripotentis alma divi,
 Argutum, graphicum, breve et venustum
 Carmen, quod – mihi crede! – fructuosum est,
 Iucunda usque facietatione
 Et multa simul eruditione,
 Nec parcas retinet mirasque nugas,
 Nec mendacia vana, nec susurros
 Insulsos, documenta sed retentat

¹ cf. ‘Die Anzeigen sind in einem Eichstätter Codex von zeitgenössischer Hand überliefert und in das Jahrzehnt zwischen 1506 und 1517 zu datieren.’ Günter Hess, *Deutsch-lateinische Narrenzunft. Studien zum Verhältnis von Volkssprache und Latinität in der satirischen Literatur des 16. Jahrhunderts*. München 1971, p. 64 adn. 17.

Almae de sophiae petita fonte,
 Spectato, legito atque amato, namque
 Delectat, iuvat et capit tenetque.
 Est, inquam, bonus estque perdisertus,
 Tersus, frugifer, aureus, rotundus,
 Doctus, mellifluus, severus, atrox,
 Dulcis, candidulus, facetiosus,
 Cultus, pulcher et affabre politus,
 Iucundus, teres et glaber libellus.¹

Phalecium Endecasyllabum (Ad pubem Cracoviensem magistri Pauli Crosnensis Ruteni Carmen phalecum, ca. 1508), vv. 34-51 in: S. Skimina, *Persjusz w Polsce*. Toruń 1952, p. 17.

Johannes Aventinus (Turmair) 1477-1534

‘Persius der poët, der das unordentlich wesen der stat Rom strafft.’ *Bayerische Chronik* (scr. 1522-1533, ed. 1566) in: Johannes Turmair's genannt Aventinus *Säm-tliche Werke*. München 1883, vol. 4, p. 820.

Lilio-Gregorio Giraldi 1479-1552

‘Qui liber [sc. saturarum] etsi obscuritate et reconditis sensibus est plerumque refertus, nihilominus bonis est connumerandus autoribus. Sunt inter eruditos, qui | hunc Persii librum imperfectum existiment, id quod ego nec vobis affirmo, nec refello.’ *Historiae poetarum tam graecorum quam latinorum, dialogi decem* (1545): *De poetarum historia dialogus IV* in: Lili Gregorii Gyraldi *Opera*. Lugduni Batavorum 1696, t. 2, col. 236 sq.

Martin Luther 1483-1546

‘Es thut die schriefft rechtt, das sie so schlecht und einfeltig redet; so könnens die kinder auch verstehen. Sonst, wo Christus und apostoli hetten geredt hoch wie Persius oder Iuvenalis, so wurde man kein kindt leren können.’ *Tischreden* (3. bis 19. Oktober 1540) in: D. Martin Luthers Werke. Kritische Gesamtausgabe. Tischreden, vol. 5. Weimar 1919, Nr. 5291, p. 47¹.

Euricius Cordus (Heinrich Ritze) 1484-1535

In praelectione Persii

Vnus sit licet et brevis libellus,
 Inter praecipuos tamen poetas

¹ cf. H.-U. Delius, *Luther und die Satiren des Persius* in: *Helikon* 18-19 (1978-1979), p. 364-377.

Magnam Persius obtinere laudem
 Et non ultimus esse fertur auctor.
 Quem quamvis gelido legam Decembri,
 Ferventem tamen aspicias laborem.
 Pro quo sex totidemque da Leones,
 Quae si multa videtur esse merces,
 Unum da mihi, care lector, Vrsum.¹

Epigrammatum libri III (Erfordiae 1520), Epigr. 1, 58 in: Euricius Cordus *Epigrammata* (1520). Herausgegeben von Karl Krause. Berlin 1892, p. 20.

Iulius Caesar Scaliger 1484-1555

‘A characteribus vero, ut alibi diximus, species duae: altera sedatior, qualis Horatiana, ac sermoni propriior, altera concitior, | quae magis placuit Iuvenali et Persio. Hi strictam habent cuspidem, illi veluti fronde contectum gerunt Thyrsum Satyrorum more, quo feriant imprudentes. Hedera namque obductus contus incautos vulnerabat: hederam, quam contemnerent, non metuebant, cuspide, quem non viderent, transfigebantur.’ *Poetices libri septem* [1561]: *Satyra*. lib. 1, cap. 12 in: Iulius Caesar Scaliger. *Poetices libri septem Sieben Bücher über die Dichtkunst*. Band I: Buch 1 und 2. Herausgegeben, übersetzt, eingeleitet und erläutert von Luc Deitz. Stuttgart – Bad Cannstatt 1994, p. 188 et p. 190.

‘Principio id est ediscendum, ne quod fecit Persius abstrusam ostentes eruditionem. Cum enim id unum studeamus, ut meliores fiant boni, mali a nequitia deterreantur: quonam consilio eam instituam orationem, quae ab auditore non intelligatur? <..!..> Iuvenalis ardet, instat aperte, jugulat, Persius insultat, Horatius irridet. <..!..> Stilus quoque tametsi pro re altior, aut depressior, aut lascivior, tenuis tamen atque humilis, atque de medio sumptus. Longe tamen melius aridet, si cum Romana puritate iuncturae sint molliusculae. Quales Iuuenalis felicissime est consequutus. duriusculus Persius. Horatius modo sententiae lacertos expressos ostentat sermone vulgato, sed lecto tamen: parum curat numeros.’ *ib.*, *Satyra*. lib. 3, cap. 97 in: Iulius Caesar Scaliger. *Poetices libri septem* [1561] *Sieben Bücher über die Dichtkunst*. Band III: Buch 3, Kapitel 95-126 Buch 4. Herausgegeben, übersetzt, eingeleitet und erläutert von Luc Deitz. Stuttgart – Bad Cannstatt 1995, pp. 54, 56 et 58.

‘Persii vero stilus morosus, et ille ineptus, qui quum legi vellet quae scripsisset, intellegi noluit quae legerentur. quanquam nunc a nobis omnia intelliguntur¹. at fuit tempus, cum inter ignota haberetur. illum igitur mittamus.

Iuuenalis autem candidus: ac Satyrorum facile princeps. nam eius versus longe meliores quam Horatiani: sententiae acriores: phrasis apertior. Hos autem

¹ cf. infra Fabricii et Ernesti iudicium.

omnes hoc in genere dicendi missos faciamus. quippe Horatius modo pure diceret, nihil pensi habuit. <...> Persius ostentator febriculosae eruditionis caetera neglexit: Iuuenalis paulo cultior, hac ipsa diligentia censuram nostram merito deprecatur.' ib., *Tertia aetas*. lib. 6, cap. 6 in: Iulius Caesar Scaliger, *Poetices libri septem*. Lugduni 1561 (ed. anast. Stuttgart – Bad Cannstatt 1964), p. 323.

Joachim Vadian (von Watt) 1484-1551

'Persius et parvo patriam illustrasse libello
Creditor et famae consuluisse suae.
Tersus Aquinatum decus est Iuuenalis abundans,
Esto etiam, nullis luxerit ante viris.'

Encomium Joachimi Vadiani in nomen et eruditionem Conradi Celtis Protucii, primi in Germania poetae a Caesare laureati, vv. 42-45 in: Conradi Celtis Protucii, *primi in Germania poetae a Caesare laureati libri Odarum quatuor cum Epodo et saeculari carmine ...* Argentorati 1513, fol. a5 (= *Der Briefwechsel des Konrad Celtis*. Gesam-melt, herausgegeben und erläutert von Hans Rupprich. München 1934, p. 626).

'Persius, tametsi a Hieronymo disertissimus appellatur, mihi tamen duriusculus videtur in versu, quanquam si corpus respicias, disertus magis quam durus videri debeat. Est hic metaphoris feliciter audax, sunt enim non solum peramoenae, sed etiam mire adiuvant quicquid in eo est satyricae vehementiae. Visus est is multis ex professo obscurus; sive illud ingenio ductus seu (quod minus credo) industria fecerit, obscurum esse tot interpretum testatur labor. <...> Multi autem nec obscurum nec difficilem esse contendunt iisque (aiunt) maxime quos temporum iscitia [sic] non obruit; quod ipsum si multis in promptu esset, nemo omnium scriptorum non esset vel facilissimus. Id ausim de Persio dicere: salubrium eum praeceptorum gravitate et concinnitate a nullo superari, et cum veritati tum religioni nostrae cum primis esse consonum, nec adeo omnibus vitiis, sed his tantum quae communis inter mortales stultitiae fundamenta iaciant, infestum fuisse. Quod si qui | sunt qui dedito eum amore prosequuntur legere possunt, verum non ut phrasim faciat (quod de Lucretio Quintilianus ait) sed erudiat potius. Carminis enim elegantia quanquam est magnus, Horatio tamen et Iuvenali collatus indubie inferior existit. Huius me lectio plurimum oblectat, non quidem quod adeo suavis, sed quod tam fidelis est et gravis, nec me unquam aut Horatii aut Iuuenalis libertas adeo movit, ut in obscena potius defecerim quod profecerim ex castis; causa esse potest quod anno aetatis meae vicesimo quarto hos primum legere coeperim, ante Marone ferme et Terentio contentus.' Joachimi Vadiani Helvetii, *de Poetica et Carminis ratione, Liber ad Melchiorum Vadianum fratrem ...* (Viennae 1518) in: Joachim Vadianus, *De poetica et carminis ratione*. Kritische Ausgabe mit deutscher Übersetzung und Kommentar von Peter Schäfer. München 1973 (Humanistische Bibliothek Bd. 21, I) vol. 1, p. 263 sq.

Francesco Alunno 1485-1556

‘Persio Poeta Satirico fu Volterrano, del cui ingegno le sue Satire, benche poche dimostrano manifesto segno.’ *La fabrica del mondo di M. Francesco Alunno da Ferrara nella quale si contengono tutte le voci di Dante, del Petrarca, del Boccaccio, e d’altri buoni autori ...* In Venegia [sic] 1548, f. 11^v.

Johann Menanus Greul (Greyl, Gewyl) fl. 1487-1524

Persius curas hominumque inanes,
 Quae valent mentem tenebrare castam,
 Aureum binis nequeat quam alis
 Tangere ramum. |
 Carpit irata Juvenalis acer
 Voce maiorum vitium et minorum,
 Quo ducant Bacho Venerique nephandae
 Nocte dieque.
 Musa censoris lyricosa Flacci
 Vulgus insanum et vitium reppendit
 Omne ridenti fidibus per orbem
 Ore canoris.’

Carmen saphicum Joannis Menani Greulii ad Conradum Celtim, poetam laureatum, Ostrofrancum, vv. 19-30, Joannis Menani Greulii ... *Historia diui Kiliani ...* s. l. 1526 in: *Der Briefwechsel des Konrad Celtis. Gesammelt, herausgegeben und erläutert von Hans Rupprich. München 1934, p. 635 sq.*

Francesco Florido (Floridus Sabinus) ca. 1500-1547

‘Floruit post Horatium in hoc poemate [sc. in satyra] A. Flaccus Persius Volterrano, cum tanta multorum admiratione, ut palmam illi de satyra deferre non dubitent. <...> Quis autem ex horum [saturae scriptoribus] numero fuerit in hoc opere praecipuus, licet multi (ut fieri solet) Lucilium omnibus etiam poetis praeposuerint, aliqui Horatium, Persium plerique maluerint, palma tamen frequenti meliorum consensu Iuuenali est delata. Quod ut eruditissimo cuique est persuasum, ita et Acron Horatii interpres non diffidetur. Denique, ait, nisi Iuuenalis scripsisset, isto (de Horatio loquitur) nemo esset melior.’ Francisci Floridi Sabini in *M. Actii Plauti aliorumque latinae linguae scriptorum calumniatores Apologia, nunc primum ab autore aucta atque recognita ...* Basileae 1540, p. 51¹.

¹ cf. ib. p. 303 (Francisci Floridi Sabini, *Lectioinum succisarum libri III, lib. III, cap. VIII*).

Antonio Sebastiano Minturno 1500-1574

‘<...> Horatio quidem <...> nemo mehercule est, qui non primas in eo [sc. reprehendendi] genere concedat. Verum alii quoque non parum artis in carpendo seruauerunt. Nam Persius quam artificose uel Socratem, qui Alcibiadem increpet, inducit; ut clam in Alcibiade Neronem reprehendat? uel Cornutum Philosophum, qui cum de seruitute, in quam uitii adducimur, loquatur? Ac Iuuenalis, ut sine offensione poetas alios laceret, se ipsum lacessit. etc.’ Antonii Sebastiani Minturni *De poeta, ad Hectorem Pignatellum, Vibonensium Ducem, Libri Sex ... Venetiis 1559*, p. 427 (Lib. V).

Pieter Nanninck (Nannius) 1500-1557

‘De Horatio, Persio, Iuvenale, id affirmare licet (quamquam omnes nunc salibus ludunt, nunc morsibus saeuiunt, nunc iocis lasciuunt) Horatium tamen ad reliquorum comparationem iocosiorem, Persium tristiorem, Iuuenalem petulantio-rem esse. Ut primum, festiui derisorem. Secundum, superciliosum censorem. Tertium, procacem lupercum recte dixeris.’ Petri Nannii Alcmariani *Miscellaneorum libri X* (lib. IV, cap. XXVI) in: *Lampas, sive fax artium liberalium, hoc est The-saurus Criticus, in quo infinitis locis Theologorum, Jurisconsultorum, Philosophorum, Oratorum, Historicorum, Poetarum, Grammaticorum scripta supplentur, corriguntur, illustrantur, notantur*, Tomus Primus. *Ex otiosa Bibliothecarum custodia erutus, et foras prodire iussus, a Jano Grutero ... Francofurti 1602*, p. 1289.

Thomas Naogeorg ca. 1506-1563

‘Fuerunt sane qui ante me scripserunt, quorumque Satyrae leguntur, Horatius, Persius, Iuuenalis, Franciscus Philelphus, nonnumquam in suis illis Satyris ab obscoenitate petulantiaque non alieni: atque nominatim in quosdam inuecti sunt nimis acerbe, non ueritatis honestatisque (ut uidetur) sed traducendorum illorum hominum studio.’ *Satyrarum libri quinque priores*: Thoma Naogeorgo Straubingensi autore. Basileae 1555, p. 4.

Konrad Gesner 1516-1565

‘Inter Satyricos secunda palma.’¹ *Bibliotheca Universalis, sive Catalogus omnium scriptorum locupletissimus in tribus linguis, Graeca, Latina et Hebraica exstantium <...> authore Conrado Gesnero Tigurino doctore medico*. Tiguri 1545, f. 112^r.

¹ quis prima, ex verborum contextu non liquet.

Konrad Wolffhart 1518-1561

‘In Satyris doctus, sed obscurus est’. *Theatrum Vitae Humanae, Omnium fere eorum, quae in hominum cadere possunt, Bonorum atque Malorum Exempla historica, Ethicae philosophiae praeceptis accomodata, et in XIX Libros digesta, comprehendens: Ut non immerito Historiae Promptuarium, Vitaeque humanae Speculum nuncupari possit. A Conrado Lycosthene ... iampridem inchoatum, nunc vero Theodori Zvinggeri [Theodor Zwinger 1533-1588] ... opera, studio et labore, eo usque deductum, ut omnium ordinum hominibus ad vitam praeclare instituendam, maiorem in modum utile et iucundum sit futurum.* Basileae 1565, p. 70.

Marcus Antonius Muretus 1526-1585

‘Patrum et avorum nostrorum memoria, qui se eruditos perhiberi volebant, optimis quibusque scriptoribus tamquam pervulgatis et nihil abditum ac retrusum continentibus valere iussis, in aliis quibusdam obscurioribus minusque tritis suam omnem industriam collo|cabant. Itaque eorum plerisque saepius in manibus erat Appuleius aut Sidonius Apollinaris quam Cicero: Persium quam Horatium, Lucanum aut Claudianum quam Vergilium libentius et maiore cum studio pervolutabant. Animadvertit hunc errorem insequens aetas, et Bembi, Sadoleti ac similium et exemplo et auctoritate commota, ad vetustiorum lectionem imitationemque revocata est.’ *Aggressurus satyram tertiam decimam Iuvenalis. Oratio XII habita Romae anno MDLXXV* in: M. Antonii Mureti *Opera omnia*, ed. Carolus Henricus Frotscher. Lipsiae 1834, vol. 1, p. 374 sq.

John Bond 1530-1612

‘At stylus Persi, cum sit adeo figuratus, ut ne vocabulum quidem unum sit expers alicujus artificii, quis in illo explicando brevitatem a me expectabit? Siquidem quod Horatius admisit, negat Persius, qui consulto est obscurus, suisque scriptis caliginem et tenebras ex industria objecit. Multi tamen et sancti et eruditi viri hunc libellum in oculis, seu mavis in osculis habuere, nec immerito, quippe qui sententiarum gravitate et verborum pondere haud ulli Satyrographo postponendus est. Vitia namque insectatur acerrime, virtutes vero ad coelum laudibus evehit sanctissime. In quo miram invenies eruditionem, stylum tersum et politum, varietatem rerum jucundissimam, omnia denique non ubivis obvia, scitu tamen (si quid aliud) dignissima’. *Auli Persi Flacci Satyrae VI. Cum posthumis Commentariis* Ioannis Bond, Amstelaedami 1645 [Londini 1614], p. 4.

Giovan Battista Pigna 1530-1575

‘Brevitas <...> in Persii satyris obscuritatem generat.’ Ioan. Baptistae Pignae *Poetica Horatiana. Ad Franciscum Gonzagam Cardinalem amplissimum ... Venetiis* 1561, p. 11.

Giovanni Antonio Viperano 1535-1610

‘Ardet Iuuenalis, insultat Persius, irridet Horatius. Illi satyras, hic, quasi cum praesentibus loqueretur, sermones, et quasi cum absentibus sermo est, epistolas inscripsit. <...> Atque hic est satyrae finis (nam ad vitam recte instruendam tota comparata est) a vitiis reprehensionum stimulis abstertere: quos ut aequiore animo excipias, iocis et risu illinit. Ideoque Persio abstrusam illam et penitus reconditam eruditionem obiiciunt, qui intelligi minus curauit, dum aliorum mores et vitam ad virtutem et honestatem informaret. Iam satyrae dictio sermoni prior est, tenuis et humilis ac de medio sumpta, puritatem vero seruans, et mollioribus ac remissioribus numeris verba coniungens.’ Io. Antonii Viperani *De poetica libri tres*. Antverpiae 1579, p. 138 (Lib. III, Cap. V.: *De Satyra Latinorum*).

Jean Vauquelin de la Fresnaie 1536-1607

‘En Satyre tu n’as en Grec auteur certain:
Suy doncques la façon du Lyrique Romain;
De Iuuenal, de Perse, et l’artifice brusque
Que suit le Ferrarois en la Satyre Etrusque:
Remarque du Bellay; mais ne l’imite pas:
Suy, comme il a suyui, la marque des vieux pas,
Meslant sous vn dous pleur entremeslé de rire,
Les ioyeux eguillons de l’aigrette Satyre.’

L’Art poétique (scr. 1589, ed. 1605), livre II in: Jean Vauquelin sieur de la Fresnaie, *Les diverses poésies*. Caen 1869 (ed. anast. Genève 1968) t. 1, p. 68.

‘Que le suiet de la Satyre soit donc pris d’vne chose commune: enquoy faisant il ne faut que l’auteur luy mesme se pardonne, ains qu’il depaigne le premier ses imperfections. Quelques anciens ont remarqué, que Lucilius estoit trop aspre et seure, mais Horace estoit plus doux et moderé en ses dedains, lesquels il cachoit dauantage aux commencemens de ses Satyres: Iuuenal d’un stile entre le deux les découuroit plus fort, chacun auoit son stile particulier, comme Perse l’a different de tous les autres.’ *Discours pour servir de preface sur le sujet de la Satyre* in: *Satyres françoises* (1581-1585, ed. 1604), ib. p. 131.

Iosephus Iustus Scaliger 1540-1609

‘Persius affectavit obscuritatem et caecus dicitur a poetis, Luciliano more scribit. C’est un pauvre poëte, lequel pourtant nous entendons tout.’ *Prima Scaligerana* in: *Scaligerana, Thuana, Perroniana, Pithoeana, et Colomesiana ...* Amsterdam 1740, t. 2, p. 136 (= *Prima Scaligerana*. Ultraiecti 1670, p. 85).

‘Persius miserrimus Autor obscuritati studet, non pulchra habet, sed in eum pulcherrima possumus scribere.’ *Secunda Scaligerana* in: ib. t. 2, p. 499 (= *Scaligeriana* [sic] sive excerpta ex ore Josephi Scaligeri. Lugduni Batavorum 1678, p. 263).

Iacobus Pontanus 1542-1626

‘Verumtamen ioci et sales satyrici carere obscoenitate rerum verborumque debent, et crimina libidinesque ita reprehendendi, ut ne dum animos reorum purgare volumus, alios interim sinceros et innocentes collutulemus, et ad morum turpitudinem quasi invitemus. Diligentior hac in re Persius, et severior quam Horatius, et Iuvenalis.’ ‘Cap. XXXVIII. Argumenta, finis, utilitas satyrae’ in: Jacobi Pontani S.J. *Poeticarum institutionum libri tres ...* Ingolstadii ¹1594, p. 172.

Isaac Casaubonus 1559-1614

‘<...> eo nomine Horatio longe melior [sc. Persius], quod uni aequus virtuti, perpetuus ac constans vitiorum hostis, sui semper similis, instrumento graviorum artium poeticam locupletat: Stoicam denique professionem nunquam obliviscitur <...>. | omnis Horatii et Iuvenalis de virtute oratio praeceptivam partem spectat: decreta serio attingunt nunquam. Persius vero assurgit altius, et Stoicum de ultimo fine dogma ubique urget, ubique inculcat <...> scias vero cum Persium legas, sentire illum quae dicit.’ Isaaci Casauboni in *Persii satiras liber commentarius*. Parisiis 1605¹, f. 4^r sq.

‘<...> omnium Persii laudum hanc primam et velut fundamentum caeterarum ponimus, quod ad praecipendum de virtute, non ut aliquis e circo aretalogus, aut indoctus e trivio cynicus prosiluit: sed scientiarum plenus, et disciplinis philosophorum diu excultus, eo accessit: propter emendatos mores suscepto operi non minus aptus, quam eloquendi facultate abunde instructus.’ ib. f. 5^r.

‘Persius <...> neque castitate sermonis Iuvenali cedit: et <...> pugnacitate, celeritate, et γοργότητι Horatium superat. character dicendi in Horatio humilior, in Persio grandior, in Iuvenale ut plurimum sublimis; figurarum, quae sunt orationis lumina, beata apud Horatium et Iuvenalem copia. noster [sc. Persius] illis

¹ cf. ‘Nobilissimi omnium qui post Flaccum in eo genere scribendi se exeruerunt, extitere Persius et Iuvenalis. de quibus plura heic erant dicenda, et treis isti praestantissimi poetae inter se comparandi: nisi iam ante in editione Persii nostrum ea de re iudicium abunde exposuissemus.’ Isaaci Casauboni *De Satyrica Graecorum poesi, et Romanorum Satira Libri duo. In quibus etiam poetae recensentur, qui in utraque poesi floruerunt*. Parisiis 1605 (ed. anast. New York 1973, with an introduction by Peter E. Medine), p. 295.

potissimum quae rebus addere pondus sunt idoneae, et ἡθοποιῖα καὶ ἐναργεῖα
paene regnat. vel illas mihi considera hominis sordide parci descriptiones, quas in
quarta, in quinta, et in sextae duobus locis posuit. non poterant tenacium mores
effingi maiore cum evidentia.' ib. f. 7^v sq.

'Persium vero adeo non esse indignum qui comparetur Horatio et Iuvenale,
ut vel de palma cum utrovis eorum iure suo possit contendere.' ib. f. 8^v.

John Owen ca. 1560-1622

'Scripta tenebrosi lego, non intelligo, Persi;
Lectores nimium negligit ille suos.'

'Epigrammata' (1606) lib. 2, epigr. 158 q. i. 'Persius Poeta' in: *Epigrammatum Ioannis Oweni* <...> *editio postrema, correctissima, et posthumis quibusdam adaucta*. Wratistylavae 1678, p. 43.

Thomas Nashe 1567-1601

'Horace, Perseus [sic], Iuuenal, my poore iudgment lendeth you plentifull
allowance applause: yet, with the Phrigian melodie, that stirreth men vp to bat-
taile and furie, mixt the Dorian tune, that fauoreth mirth and | pleasure, your
vnurged pilles (howeuer excellently medicinable) would not haue bene so harsh
in the swallowing.' *Strange Newes, Of the intercepting certaine Letters* <...> (1592) in:
The Works of Thomas Nashe. Edited by Ronald B. McKerrow. Oxford 1958, vol. 1,
p. 284 sq.

Ben Jonson ca. 1572-1637

inscriptio in exemplari Persii editionis Casauboniana (1605), quod amico suo
donavit: 'D. Joanni Roe, Amico Probatissimo, Hunc amorem et delicias Suas,
Satiricorum doctissimum, Persium, cum doctissimo Commentario Sacrauit Ben.
Jonsonius' *Ben Jonson*. Edited by C. H. Herford and Percy Simpson. Oxford 1925,
vol. 1, p. 52.

'Cum Iuvenale tuo, Farnabi¹, Persius exit,
Atque affectatis eruitur tenebris.
Quem legat, et quondam neglectum intellegat ille
Qui Stridone satus, nomine sanctus erat.'

in: *Iunii Iuuenalis et Auli Persii Flacci Satyrae*, Londini 1612, p. 134 = *Ben Jonson*. Ed-
ited by C. H. Herford, Percy and Evelyn Simpson. Oxford 1947, vol. 8, p. 381.

¹ cf. infra Farnabii iudicium.

Jacques Du Lorens ca. 1573-1655

'C'est un bon Medecin qu'un homme Satyric,
 Lors que sans passion par voye legitime,
 A la mode d'Horace il scait toucher un crime:
 Juvenal est trop aspre, et si nomme les gens,
 Perse fait plus de peur que quatorze Sergens,
 Renier coule assez bien, si les eaux estoient pures <...>'

Les Satyres. Paris 1624, p. 172.

Joseph Hall 1574-1654

Renowned *Aquine*¹, now I follow thee,
 Farre as I may for feare of ieopardie;
 And to thy hand yeeld vp the *Iuye-mace*,
 From crabbed *Persius*, and more smooth *Horace*²;
 Or from that shrew, the *Roman* Poetesse³,
 That taught her gossips learned bitterness.
 Or *Luciles* Muse whom thou didst imitate,
 Or *Menips* olde, or *Pasquillers* of late.'

Virgidemiarum lib. 5, sat. 1, 7-14 (ed. pr. 1598) in: *The collected Poems* of Joseph Hall Bishop of Exeter and Norwich, Edited by A. Davenport. Liverpool 1949, p. 75.

Thomas Farnaby ca. 1575-1647

'<...> quem [sc. Persium] si diligens Horatii lector furtivis nudarit plumis <...> apparebunt reliqua inaniis <...> oppleta atque araneis. Cuius denique omnibus Satyris vel unica praeferatur pagella Iuvenalis acuti, candidi, ac Satyrorum facile principis, qui versu melior, phrasi mollior, sententiis acrior ardet, instat, jugulat, dum Persius tumide insultat, Horatius albis tantum dentibus ridet.' *D. Iunii Iuvenalis et Flacci Persii Satyrae. Cum Annotationibus Thomae Farnabii*. Amsterodami, 1662 [Londini ¹1612], p. 5.

John Marston 1576-1634

'*Persius* is crabby, because antient, and his ierkies, (being particularly giuen to priuate customs of his time) duskie. *Iuuenall* (vpon the like occasion) seemes to our iudgement, gloomie. Yet both of them goe a good seemely pace, not stumbling,

¹ Iuvenalem dicit.

² cf. Iulii Caesaris Scaligeri iudicium.

³ Sulpiciam dicit.

shuffling. *Chaucer* is harde euen to our vnderstandings: who knowes not the reason? hovve much more those old Satyres which expresse themselues in termes, that breathed not long euen in their daies. But had we then liued, the vnderstanding of them had been nothing hard.' *To those that seeme iudiciall perusers* in: [John Marston] *The Scourge of Villanie. Three Bookes of Satyres*. London 1598, B4-4^v = *The Poems of John Marston*. Edited by Arnold Davenport. Liverpool 1961, p. 100.

Henry Peacham ca. 1576 – ca. 1643

Iuvenal of Satyrists is the best, for his Satyres are far better then those of *Horace*; and though he be sententious tart, yet is his phrase cleare and open.

Persius, I know not why we should so much affect him, since with his obscuritie hee laboureth not to affect vs; yet in our learned age he is now discouered to euery Schoole-boie: his stile is broken, froward, vnpleasing, and harsh.¹ *The Compleat Gentleman* (1622), chap. 10: 'Of Poetrie'² in: *Critical Essays of the Seventeenth Century*, Edited by J. E. Spingarn. Oxford 1908, vol. 1, p. 127.

Nicolas Rigault 1577-1654

'<...> quorum adeo satirae triplici dicendi caractere triplicem ethicae philosophiae gradum feliciter expleverunt. nam Horatius quidem humili sermone ludens hoc agit, ut stultos saltem insipientiae pudeat. Persius autem stili grauioris austeritate honesto pudori generosae mentis constantiam addit, viamque ipsam qua ad rigidam solidamque virtutem eatur monstrat. Iuuenalis denique hominum nequitiam impudentem horribili flagello dolore et indignatione succensus corripit et castigat. Sic igitur hi tres poetae per satiram fuere philosophi. neque ulla inter eorum satiras quaerenda est differentia, nisi quam diversus pro temporum varietate stilus imposuit.' *D. Junii Iuuenalis Satyrarum libri V ... Nova editio, cura Nicolai Rigaltii*. Lutetiae 1616 [1613], V.

Gerhard Iohannes Voss 1577-1649

Persio sicubi peccet ignoscendum esse ob stili magnifici difficultatem, putat Vossius: '<...> ignoscendum quoque Persio satyrico, quod et crebris, et audacioribus utatur translationibus. Nam, uti animus, ita dictio nobilissimi iuuenis, grandia tantum spirabat.' *Gerardi Ioannis Vossii Commentariorum rhetoricorum sive orationum institutionum libri sex, Quarta hac editione auctiores et emendatiores*. Lugduni Batavorum 1643 [1606], Pars altera, p. 454.

¹ cf. Iulii Caesaris Scaligeri iudicium.

² iudicium conflatum ex Georgii Puttenham libro q. i. *The Arte of English Poesie* (1589) et lib. VI *Poetices* (1561) Scaligeri, q. v.

Idem dicit Persii dictionem grandiolem esse quam ut saturae conveniat, ea-que parte Horatio inferiorem: ‘Hoc praeceptum [i. e. praeceptum Horatianum ut saturae scriptor non ornamenta sed verba propria sectetur et tamquam prosam scribet] non satis observat Juvenalis; cuius dictio epica: multoque minus hac sibi parte cavet Persius; qui grandi scribit stylo. Atqui nihil aequè ornat satyram, quam idea veritatis, et simplicitatis. Cui translationes audaces adversantur. Nempe, ut in Oratoriis nostris ex Aristotele diximus, enthymemata elidunt affectus: atque idem faciunt acumina, et major ornatus.’ Gerardi Ioannis Vossii *Poeticarum institutionum libri tres*. Amstelodami 1647, lib. 3, p. 44.

Thomas Dempster 1579-1625

‘A. Persius Satyricus frustra intricatus habitus.’ *Antiquitatum Romanarum Corpus absolutissimum*. Genevae 1640 [1613], f. 14^v.

Costantino de'Notari *clar. init. saec. XVII*

‘Le poche Satire di Persio, per la lor somma esquisitezza bilanciano gli ampi volumi d'altri famosi Scrittori.’ *Il duello dell' Ignoranza e della Scienza ...* Milano 1608, p. 523¹.

Daniel Heinsius 1580/1-1655

‘Hic quoque qui libro toties memoratur in uno
Flaccus, et inceptum morte reliquit opus,
Socraticas totus pallebat doctus Athenas:
Sed prope nox totus, totus et umbra fuit.
Sic latuit semper, quamvis legeretur ubique:
Et prope quam notus, tam tenebrosus erat.’

carmen q. i. In *obscurissimas A. Persii Satyras Commentario Isaaci Casauboni illustratas* vv. 19 sqq. in: *Poemata extemporalia* (cit. in: Danielis Heinsii *Poemata auctiora* Editore Nicolao Heinsio. Amstelodami 1640, p. 281).

‘Persius vero homo e Porticu, cum Horatii festivitatem esset admiratus, etiam in suis professus, cum inquit |

*Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, et admissus circum praecordia ludit;*

tam morosum et triste nobis scriptum reliquit, ut sinapi semper victitasse, aut in antro Trophonii Oracula reddidisse videatur. Quare cum Stoicus, hoc est severus

¹ hanc notitiam debeo diligentiae adolescentis eruditissimi Iosephi marchionis Fonseca.

et gravis, in lepidissimum Horatii theatrum intrat, idem facit, ac si habitu funesto, in festivitatem nuptialem veniret; et de vanitate vitae disputaret. Diligenter enim Stoico cavendum est, ne immoderato risu τὴν διάθεσιν corrumpat, ut severitatis suae rationem habeat ubique, ut quam nomine promittit gravitatem, ipsa re exhibeat. Sed quid agas cum illo, qui se cachinnonem vocat, quod non potest esse Stoici: qui, si Diis placet atque hominibus, petulantiam praedicat suam; quod ne quidem est viri boni, tantum abest, ut ad Satirae festivitatem requiratur? Statim enim in principio ipse de se inquit;

Quid faciam? sed sum petulanti splene cachinno

Quare infelix autor, nec promittit quod debet, neque quicquam minus praestat, quam quod promisit; et si praestitisset, Satirae Horatianae festivitatem immodeste transgressus fuisset; citra cuius nunc leges, imperante ita natura et genio, consistit. Sed hoc plane μετράκιωδες, et indignum cuius ratio habeatur. Nondum enim iudicium formaverat, et interpretationem animae subiecerat: | quae parere non imperare debet. Unde et maxima ex parte obscuritas, quae plerumque ab imbecillitate aetatis, aut ingenii aut defectu sermonis, proficisci solet.’ *Ad Horatium Flaccum Dissertatio* in: Q. Horatii Flacci *Opera omnia*; Cum Notis Danielis Heinsii. Raphelengii 1610, f. 25^v-26^v.

‘<...> iste Stoicida, pridie versum unum, qui sex pedibus constaret, inchoasse, postridie autem perfecisse videtur. Tanto molimine rem gerit. Nihil autem est tam insanum, quam poeta qui moleste scribit. Quia nihil est facilius quam praetermittere id quod difficulter praestatur.’ ib. f. 28^r.

Petrus Cunaeus (Peter van der Kun) 1586-1640

‘Enimvero Persius, quamvis juxta cum utroque illo [sc. cum Horatio et Iuvenale] ad haec tempora nostra transmissus sit, atque alterum etiam aetate antecedit, neutri tamen accenseri debet, cum utriusque impar sit: plane ut | veterum quorundam magnificam de illo praedicationem mirari potius libeat nobis, quam sequi. Nos, quibus nihil ex ipsa quidem antiquitate placere potest, nisi quod summa solertia elaboratum, iudicio singulari perfectum sit: postquam satis animum nostrum Flacci [sc. Horatii] ille genius, et divina dexteritas tenuit, jam nunc in hac Juvenalis gravitate, et splendore, atque magnitudine conquiescemus.’ *Oratio XII habita, cum Juvenalis explicationem ordiretur* in: Petri Cunaei *Orationes*. Lipsiae 1735 [1640], p. 197 sq.

‘Quae quidem singula dum in Flacco [sc. Horatio] persequemur, video quoque necesse nobis fore, ut de aliis, qui in hoc eodem genere cum illo contenderunt, iudicium pronuntiemus. Illud enim profecto constat, non eandem omnium laudem, neque parem in conando fuisse singulorum felicitatem. Quare et Persii morositas aspera nimis et inutilis et odiosa exagitari potest: et Juvenalis aestuantiam atque luxuriam ingenii non semel sophistae cujusdam ostendemus et de-

clamatoris esse propriam.' *Oratio XI habita, cum Horatium publice praelecturus esset* [anno 1591], ib. p. 193 sq.

Nathan Field 1587 – ca. 1620

‘I loue that Poet
That gaue vs reading, not seeke our selues
Beyond our selues¹ <...>’

A woman is a weather-Cocke (ed. 1612) 1, 1, 93-95 in: *The plays of Nathan Field*. Ed. by William Peery. The University of Texas. Austin 1950, p. 73 sq.

Kaspar von Barth 1587-1658

‘Magna vis est abstrusarum rerum etiam post commentationes tot doctissimorum hominum apud Persium, ita ille farciendis multis in pauca verba insanivit.’ Casp. Barthii *Adversariorum commentariorum libri LX*. Francofurti ²1648 [1624], col. 559 (lib. XI, cap. 27).

‘XXXXII *Persius*
Ut a liquore potus Hippocrenaeo
Dat erudita, Persius, sed obscura.’

Terraei Hebi *Amphitheatrum Sapientiae, quae ex libris hauriri potest. Cuius decem libri puris choliambis scripti Nunc primum prodeunt. Opus quale post inventos Typos in luce non comparuit*. Hanoviae 1613, p. 160 (lib. X, epigr. XXXXII) = C. Barthii *Epidorpidum ex mero scazonte Libri VIII in quibus bona pars humanae sapientiae gravissimo metro suaviter explicata*. Francofurti 1623, p. 127 (lib. VIII, p. 52).

‘Tenebricosa Persii fugit Larva
Casaubono exigente: sed locum servat
Ab eruditione multa adorandum.
Ut ipse nunc Casaubonus tenet regnum
In eruditionis omnibus punctis.’

Epidorpidum, lib. V, car. 1, 109-113 (op. cit. p. 74).

LIII. De Persio

‘Ut vitia expurges, scrutabere mentem animi ipsam,
Ut Flaccum capias, omnia docta tene.
Dum discis vatem, vitii natura patescit,
Hic vere scripsit Legitimam Satiram.’

Terraei Hebi *Amphitheatrum Seniorum Jocorum, Libris XXX Epigrammatum constructum*. Hanoviae 1613, p. 393 (lib. XXIV, epigr. LIII).

¹ cf. ‘*nec te quaesiveris extra*’ Pers. 1, 7.

[‘Sint saturae satirae doctrina et moribus altis,
Ebrius est istis Persius, ergo duplex.’]

epigr. 59, p. 54 (quod epigramma frustra apud Barthium quaesivi) cit. in: *Persius Flaccus cum interpretatione latina ... curante A. Perreau. Parisiis 1830, p. 678*

Paganino Gaudenzi 1595-1649

‘Persius quamvis lectissimus esset scriptor, et doctos conderet versus, non tamen tantum sibi tribuit, ut Satyras evulgaret, antequam praeceptorum legeret, immo ut apparet ne quidem edere sustinuit, sed Caesio Basso petenti edendum tradidit.’ *De exquirendo amicorum iudicio. Dissertatio VI* in: Paganini Gaudentii *Obstetrix litteraria sive De componendis et evulgandis libris dissertationes*. Ienae 1704 [Florentiae 1638], p. 55 sq.

Matthias Casimirus Sarbiewski 1595-1640

‘Vis Persi tetricas videre noctes?
Auditor, lege scripta; lector audi!’

Epigramma q. i. *De Persii satiris* (1625) in: Mathiae Casimiri Sarbiewski ... *Poemata omnia* ... Staraviesiae 1892, p. 454.

Thomas Bang 1600-1661

‘Persii carmen deformat densa Metaphorarum copia, et brevis affectata.’ *Triplex observationum et praeceptorum syntacticorum index Concinnatus a Thoma Bangio, Hauniae 1638, s. v. ‘Persius’*. cf. Thomae Bangii *Observationum philologicarum libri duo*. Hauniae 1640, p. 1423.

Baltasar Gracián y Morales 1601-1658

‘Cedióle Horacio lo heroico a Vergilio, y Marcial lo lírico a Horacio. Dio por lo cómico Terencio, por lo satírico Persio, aspirando todos a la ufanía de primeros en su género.’ *El Héroe* (1637), *Primor VII: Excelencia de primero* in: Baltasar Gracián, *Obras completas*. Estudio preliminar, edición, bibliografía y notas e índices de Arturo del Hoyo. Madrid 1967, p. 17.

Jacob Balde 1603/4-1668

‘In suas traxit Iuvenalis olim
Fervidum parteis rabieque sacra
Imbuit venam velut acta taedis
Volsca Mimallon.
Robur et vireis animosque et iras
Flaccus addebat sale maceratas,

Persius bilem stimulavit et Lucilius atram.'

Lycorum Lib. 3, 32, 5-12 (ed. 1643) in: Jacobi Balde *Carmina Lyrica*. Recognovit annotationibusque illustravit P. Benno Müller. Monachii 1844, p. 251.

Antoine Godeau 1605-1672

'Perse <...> n'a pas voulu, ce semble, qu'on l'entendist, et il ne merite pas la peine que ses Interpretes ont prise pour l'expliquer.' *Histoire de l'Eglise*. Paris 1653, t. 1, p. 126.

François Vavasseur 1605-1681

'Sequitur Horatium Persius <...> de quo cum tam honorifice video praedicari et a Quintiliano <...> et a Martiale <...>, miror equidem, quid isti tale ac tantum sex in satiris deprehenderunt, quod nos tam longo intervallo ne suspicione quidem assecuti sumus. Atqui maiora nobis omnia in illo videri debent nunc, quam videri potuerint antiquis: propterea quod ii plurima sui temporis nota habebant, ideoque vulgaria existimabant merito, quae tanto post cum acceperimus, cumque annis obscura sint, plena mysteriorum arbitramus, ut apud nos doctrinae nomen et instar obtineant, quae servis quondam essent, et opificibus, et tabernariis notissima. Nec tamen occurrit quidquam Persianum, quod laudem a nobis praecipuam nedum admirationem magnopere efflagitat. Nam mihi qui dem, ut verum dicam, nihil se offert insignius ipsa obscuritate scriptoris, ex qua fortasse nata est opinio eruditionis et doctrinae. Ac saepe carmina, ut oracula vates, videtur fundere, quae conjectatoris opem requirant: sic ut haereamus, ubi nos vetus interpres brevitate sua destituit. In quam obscuritatem si auctor incidit imprudens: magnum vitium. Si de industria quaesivit: non apparet cur plerique scripta mirentur, quae non intelligant: aut cur scriptorem laudent, qui intelligi noluit. <...> Verum esto sua antiquitati fides et auctoritas. defero Persio, quantum deferri potest: do ei iocos, cavillos, salem, fel, acetum: non adimo Latinitatem, diversam iam illam quidem ab optima, sed tamen nondum corruptam. Caret eo certe, quod adhuc investigare non potui ubinam sit, superiorum temporum foetoribus, suae memoriae quisquiliis, quas aut Volaterris repetierit, aut Romae collegerit in compitis, aut accierit rure alicunde. Eo caret, quo ridicularii nostri abundant, vel potius ex quo toti conflati et concreti sunt, sordidis et trivialibus verbis, et conquisitis undique cuiusque generis ineptiis. <...> Sed ne fiat longius non necessario, sic distinguemus: Horatium, placide et leniter influentem in animos, suadere ridendo: subsannantem Persium philosophari velle: Juvenalem, quasi crudum et nauseantem, indignari omnia.' Francisci Vavassoris S. J. *De ludicra dictione liber*. In quo tota iocandi ratio ex veterum scriptis aestimatur ... Lipsiae 1722 [Parisiis 1658], p. 244-248.

Jean de Bussièrès 1607-1678

‘Persius <...> Neronis vitia descripsit in Satyris, caligine lucis involutus [sic]. Nam quasi Solem pingas in tenebris, noctem offusam limatissimi iudicii radiis discutit.’ [Anon.] *Flosculi historiarum delibati, nunc denuo recogniti, et locupletiores redditi: sive historia universalis ... Coloniae Agrippinae 1708*, p. 120 [opus bipartitum, pr. ed.: *Flosculi historiarum delibati ex rebus praecipuis quae ab Orbe condito ad Christi obitum contigerunt*. A Patre Joan. de Bussieres S.J. Lugduni 1649; *Flosculi historiarum. Pars altera decerpta ex rebus praecipuis a Christi obitu ad nostra tempora*. Lugduni 1651].

Pietro Sforza Pallavicino 1607-1667

‘<...> ogni intelletto quantunque grande <...> legge volentieri quell'opere che gli danno occasione di sperimentar la singolarità della sua perspicacia. Dal che avviene che gli Scrittori più oscuri come Tacito, Persio, Dante, leggonsi più che altri con ispecial godimento da chi gl'intende: e chi sa | bene di Greco legge i libri greci più volentieri che i latini d'ugual bellezza.’ Sforza Pallavicino, *Trattato dello stile e del dialogo*¹. Torregiani 1824 (ed. anast. Modena 1994), p. 109 sq.

Giovanni Bona 1609-1674

‘Persius, acutus Satyricus, sed obscurus. Stylum enim magnificum affectans, crebrisque, et audacibus translationibus utens, in obscuritatem frequenter labitur. Nascitur etiam obscuritas ex ignorantia. Scribit ille quae suo tempore servis et tabernariis notissima erant, quae quia nobis ignota sunt, plena mysteriorum arbitramur.’ *De divina psalmodia* (1663) in: Ioannes Bona, *Opera omnia*. Antverpiae 1739, p. 604.

Johann Heinrich Böckler 1610-1672

‘A. Persius Flaccus, Satiricorum obscurissimus, ut videtur, de industria, quia animadvertibat, se plurimos laesurum’ *Historia Universalis* Saec. I. Sect. 5 § 7, cit. in: Benjamin Hederich, *Notitia auctorum*. Wittenberg 1714, p. 443.

Samuel Butler 1613-1680

Ex libro manu Butleri scripto (‘From Butler's manuscript’): ‘We had perhaps never heard of Nero's Bumbast way of writing but for Persius whose Stile came

¹ haec est inscriptio tertiae editionis (Romae 1662), priores vero inscribuntur: *Considerazioni sopra l'arte dello stile e del dialogo con occasioni di esaminare questo problema, se alle materie scientifiche convenga qualche eleganza ed ornamento di stile*. Roma 1646; *L'Arte dello stile ove cercasi l'idea dello scrivere insegnativo. Discorsi partitamente de' vari pregi dello stile sì latino che italiano*. Bologna 1647.

nearest to it, of any Author then living. For Torva Mimaloniis etc. and Costam longo subduximus Apenino are not much worse then Quantas robusti Carminis offas, etc.' Samuel Butler, *Prose Observations*, edited with an introduction and commentary by Hugh de Quehen. Oxford 1979, p. 125.

'Persius who only of all Roman Poets came nearest to the Fustian and Bombast ways of expression used in the declining Age of that Language, Is yet the only Author that take's Notice of it as a vice in others, and endeavors to render it Ridiculous in a way almost as vicious as it selfe.' ib. p. 235.

'Persius also commits a very great Absurdity, when laying the Scene of his 4th Satyr in Greece, and bringing in Socrates reproving a yong States-man, he make's him call the Graecians Quirites.' ib. p. 126.

Johann Andreas Quenstedt 1617-1688

'Aulus Persius Flaccus, author Satyrarum, quibus corruptos, depravatosque Civitatis Romanae mores insectatur. Severe objurgando docens Philosophi personam sustinet, et ex Platone plurimum depromit, judice Chytraeo *de Poetarum lectione recte instituenda*.' *Dialogus de patriis illustrium virorum*. Wittebergae 1691 [ib. 1654], p. 322.

Abraham Cowley 1618-1667

'Persius (who, you use to say, you do not know whether he be a good Poet or no, because | you cannot understand him, and whom therefore (I say) I know to be not a good Poet) has an odd expression of these Procrastinators, which, methinks, is full of Fancy: Jam Cras Hesternum consumpsimus, Ecce aliud Cras / Egerit hos annos.' *Essays* (10): *The danger of Procrastination. A Letter to Mr. S. L.* (1668) in: Abraham Cowley, *The Essays and other prose writings*, ed. A. B. Gough. Oxford 1915, p. 213 sq.

Martin du Cygne 1619-1669

'Haec tamen cavere debet Poeta Satyricus <...> Ne nimis aperte (quod fecit Persius) quorundam vitia taxando explicet: sed insinuatione utitur, vel parcendo nomini (uti saepe Horatius) vel persona ficta, vel se praemuniendo.' *De arte poetica libri duo* auctore Martino du Cygne, S.J. Leodii 1664, p. 196.

René Rapin 1621-1687

'Ce n'est point un veritable zele qui le [sc. Juvenal] fait parler contre les dére-glemens de son siecle, c'est un esprit de vanité et d'ostentation. Perse qui avoit joint à la gravité et à la vehemence de Juvenal toute | l'obscurité que luy causoit l'affectation qu'il avoit de paroître docte, n'a pas mieux réussi: parce qu'il n'a nul

agrément. Ce n'est pas qu'il n'aye après tout quelques traits d'une delicatesse cachée: mais ces traits sont toujours enveloppés d'une erudition si profonde, qu'il faut des Commentaires pour les développer: il ne dit que tristement ce qu'il y a de plus enjoué dans Horace, qu'il veut quelquefois imiter: son chagrin ne le quitte presque point: c'est toujours avec chaleur qu'il parle des moindres choses: et il ne badine jamais que le plus tristement du monde.' René Rapin, *Reflexions sur la Poétique d'Aristote, et sur les Ouvrages des Poètes Anciens et Modernes*, achevé d'imprimer pour la première fois le 29. Nov. 1673. Paris 1674 (ed. anast. Hildesheim – New York 1973), p. 226 sq.

'Et tous ceux universellement qui dans la décadence de l'empire affecterent de la grandeur | d'expression, sans avoir de génie, tomberent par une trop grande hardiesse du langage, ou dans l'obscurité, comme Perse en ses Satires; ou dans le style froid et languissant, comme Valerius Flaccus dans ses Argonautes; ou dans l'impropriété, comme Sidonius Apollinaris, et les autres.' ib. p. 78 sq.

Olaus Borrichius (Olaf Claudii von Borch) 1626-1690

'A. Persius Flaccus Volaterranus, eques, oppido juvenis scribendae Satyrae | se se impendit, Nerone Principe, neque id infeliciter, felicius si institutum, quod magno animo aggreditur, mordaci sale perfricans aevi sui vitia, paullo clariore dictione fuisset prosecutus. Nunc apud eos, qui minutis Grammaticorum et antiquitatis innutriti non sunt, obscuritate nimia acumen saepe perdit. Quid quod in tumorem nonnumquam attollatur, Satyrae utique non convenientem, quo pertinet illud ejusdem: "Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis etc." [sat. 1, 99]. Obscuritatem fortassis excusaverint tempora, quae attingi ulcera sua non patiebantur, nisi tectius <...> Saepe autem Persius et satis clare, et convenienter officio suo defungitur, ut in illo: "Udum et molle lutum es, nunc nunc properandus, et acri / Fingendus sine fine rota" [sat. 3, 23 sq.]' *Dissertationes academicae de poetis* (1676-1681) in: Olaus Borrichii *Dissertationes academicae de poetis*. Francofurti 1683, p. 59 sq.

John Dryden 1631-1700

'I will begin with him [Casaubonum dicit], who, in my Opinion, defends the weakest Cause, which is that of Persius; and <lxiii> labouring, as Tacitus professes of his own Writings, to divest my self of Partiality, or Prejudice, consider Persius, not as a Poet whom I have wholly translated, and who has cost me more Labour and Time than Juvenal; but according to what I judge to be his own Merit; which I think not equal, in the main, to that of Juvenal or Horace; and yet in some things to be preferred to both of them.

